


T. Sharp D.D. Preb.
of Durham. Arch
Deacon of North



PETER
SEABY
B

NUMISMATA
ÆREA
IMPERATORUM,
AUGUSTARUM, ET CÆSARUM,
IN COLONIIS, MUNICIPIIS,
ET URBIBUS JURE LATIO DONATIS,

Ex omni modulo percussa.

PARS PRIMA.

Auctore Jo. Foy-Vaillant *Bellovaco, Doct. Med. & Seren. Ducis Cenomanensium Antiquario.*



PARISIIS,

SUMPTIBUS AUCTORIS,

Apud DANIELEM HORTHEMELS, in vico Jacobæo sub signo Mæcenatis.

M. DC. XCV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSMO PRINCIPI
LUDOVICO AUGUSTO
BORBONIO,
CENOMANENSIUM
ET ALBAMALLENSIUM
DUCI,
HELVETIORUM RHÆTORUMQUE
PRÆFECTO,
PROREGI OCCITANIÆ,
REGII ORDINIS COMMENDATORI EQUITI.



XIGUUM *sanè pro mea tenuitate, sed tamen erudito Principi non aspernandum munus offero*, NUMISMATA IMPERATORUM IN COLONIIS PERCUSSA, *cujus apud Te gratia eò major esse debet*, PRINCEPS SERENISSIME, *quòd non modò amas colligere antiqua Numismata curiosiùs, sed collecta peritis oculis examinas, & solerti ingenio pervides quò singula pertineant. Annales sacros, Deorum fabulas, Græcorum monumenta, Romanorum gesta, temporum omnium testem Historiam, utriusque linguæ sermones complecteris, sicque*

 hærent

hærent singula menti Tuæ, ut omnium animos in admirationem rapias.

Atque hi sunt primi studiorum Tuorum fructus, PRINCEPS SERENISSIME: *unde quantus olim futurus sis, quivis conjiciat, & quàm multiplicem cudendi Tuo honori Numismatis materiam præbiturus. Equestris certè disciplinæ scientia Tibi jam* PRINCIPI JUVENTUTIS *plaudit. Rei militaris amor, armorumque tractandorum peritia promittit patriæ* MARTEM PROPUGNATOREM, *&* GENIUM EXERCITUS. *Singularis morum suavitas* HILARITATEM POPULI. *Virtutum omnium admirabilis in Te consensio* SPEM PUBLICAM. *Et erit brevi cùm Tibi quæsitas Tuo labore lauros triumphans Gallia circumponet, Tibique debitam* SALUTEM PROVINCIARUM, *conciliatam* FIDEM MILITUM, *meritamque* OB CIVES SERVATOS *coronam adscribet.*

Quid verò cùm Tibi creditam à REGE *nobilissimam Provinciam adire, ac per Te regere licebit? Cùm Te celeberrimis Comitiis Præsidem videbit Occitania: quam grato animo celebrabunt* ADVENTUM PRINCIPIS *singulæ urbes? quanta admiratione vivam in Te, ac spirantem Magni Parentis effigiem suspicient! & quam sine ænigmate alterum in Te Cæsarem intuebuntur, ac si, ut cœpisti,* LUDOVICO *similem Te pergis facere, etiam Cæsare majorem!*

Non Te fallet creditus olim NEMAUSENSIS COLUBER; *non erit ignota* SEPTUMANORUM DECUMANORUM*que Colonia; nec Te* VOLCÆ ARECOMICI, TECTOSAGES*que præteribunt: quid enim Tibi ignotum esse poterit iis in regionibus, quas Tibi toties Tuum repræsentavit Cimelium, cui instruendo primum & exornando visus Tibi sum præ cæteris idoneus. Liceat enim mihi,* PRINCEPS SERENISSIME,

Tua

Tua in me deprædicare beneficia, singularemque in me humanitatem Tuam. Tu mihi in Aula JUPITER CUSTOS, *contra æmulos atque obtrectatores* HERCULES PROPUGNATOR, *inter eruditos* APOLLO SALUTARIS; *quem semper cum honore appellatum, semper auditum benevolè, amicè apud omnes commendatum, atque annuente* REGE *cooptatum in familiam Tuam, Tua æstimatione, plus etiam quàm annuo censu fecisti beatum ac locupletem.*

Si quid igitur est in isto opere dignum eruditis oculis, si quid feliciori industria, si quid ingenio, si quid improbo labore perfectum, totum id Tibi, PRINCEPS SERENISSIME, *consecratum oportuit, cui totum me, meaque omnia, uni præ omnibus, jure quo qui optimo, dico, voveo, consecro.*

JOANNES FOY-VAILLANT.



CLARISSIMO VIRO
JOANNI FOY-VAILLANT,
DOCT. MED.

PRO EDITO LIBRO NUMISMATUM
Coloniarum Romanarum.

QUibus finibus Imperii Romani vaſtitas circumſcriberetur, fortè nec intellectum, nec apertè definitum hactenus fuerat: ſed quum affers, proferſque univerſa Numiſmata Coloniarum, ex quibus tanti moles Imperii conſtabat; hujus profectò ſingulas partes diſtinguere, terminos varios ac vagos capere commodiùs poſſe videmur. At quoniam hæc eadem Numiſmatum expoſitio miræ cujuſdam eſt utilitatis ad Hiſtoriam illuſtrandam, & ad ipſam depellendam caliginem ætatis anteactæ; fieri non poteſt, quin ſicut huic ævo doctiori noſtro tuum hoc Opus longè gratiſſimum accedit, ita ſeræ poſteritati non ſit acceptiſſimum, maximè ſi Muſas Latinas coluerit, quibus nullæ feliciores.

HENRICUS MAHIEU Doct. Medicus Pariſ.



IN

Excellentiſſimi Eruditiſſimique Viri

JO. FOY-VAILLANT BELLOVACI,

DOCTORIS MEDICI,

Et Sereniſſ. Ducis Cenomanenſium Antiquarii,

EGREGIUM OPUS

DE COLONIIS ROMANORUM.

URBEM Romam, ſub Roma ſepultam:
Remp. Romanam Coloniarum ruderibus obrutam:
Orbem Romanum jam adoratum, vix nunc laudatum ab Orbe:
Uno hoc in Volumine
Non tam ſuis, quàm tuis, à Libitina redimis NUMMIS,
ERUDITISSIME FOY-VAILLANT
Cunctis III. VIRIS. COL. DED. major:
Unus enim VIR tot Rom. Colonias nuper deducis, quot adducis.

Vix

Vix è præli torturis, in libertatem vindicatus hic liber,
Tibi Municipium unum, Orbem totum Romanum effecit;
Dum eidem abs Te sua jura reddita exhibet, & libertatem.

Jam tot sparsis in orbe ruinis, Reip. Romanæ umbram venerabamur;
At tuis in lucubrationibus, pristinam illa lucem repetens,
Hisce in vetustis Coloniarum NUMMIS
Primævos propè facis movere lacertos.

Colonias primus illustrasti, arduum quidem opus,
Sub tanto Orbis Romani pondere sudaret & Atlas:
Tantæ ergo molis operi & Auctori

TH. SIMEONIVS. D. F. LEM. CALABER. DOMO. HIPPONE
QVI ET PARTHENOPÆVS ET BONONIENSIS.
AVGVST. MIL. GRATIOSA MISS. MISSVS.
BONON. LAT. COL. SE. VIV. D. D.

A D

JO. VAILLANT DOCT. MED.

In ejus Librum

DE COLONIIS ROMANIS.

Quis mihi, quis veteres, clamabat Roma, Colonos,
Cæsareis reddet sculpta quis æra notis?
Clamanti multos offert vigilata per annos
Scripta VALENS, *quæ non auferet ulla dies.*
Et bene: namque sequens ea si disperderet ævum,
Talem iterum Romæ, quis dare posset opem?

DE LA MONNOYE.

AD VIRUM CLARISSIMUM

JO. FOY-VAILLANT DOCT. MED.

Et Sereniss. Ducis Cenomanensium Antiquarium.

Ecce suas iterum Romana potentia vires
Exerit, & medio surgit ab usque rogo:
Gloria magna quidem tantos fundare Colonos;
Extinctis lucem reddere, major erat.

DE LA TUILLERIE.



V. CL. JOANNI VAILLANT

COLONIARUM ROMANARUM
Reſtauratori.

Quos habuit toto diſperſos Orbe Colonos
Roma, hìc collectos pagina docta capit:
Templa, urbes, ritus, ludos, & jura Quiritum,
Cultaque diſperſis numina certa locis.
Quæcumque abſcondit tenebris immerſa Vetuſtas,
Eruit è nummis hæc monumenta VALENS.

P. PECHANTRE' Doct. Med.



DISTICHON

In librum de Coloniarum Nummis
JO. FOY-VAILLANT D. M.

Quanta tua eſt virtus! hanc quæque Colonia civem
Noſcit, & à NUMMIS *quàm pretioſa micat!*

BONAVENTURA DE RUBEIS
Bononienſis Italus.



CHARISSIMO PATRI,

JO. VAILLANT MAGISTER IN ARTIBUS,

Scholæ Medicæ Pariſienſis Candidatus.

LAudari patrem à filio, nec ratio conſiderata ſinit, nec fas, nec jura ethica volunt: atque huic quidem legi quidni paream hodierna die lubens ac gaudens? Etenim puerulus à Te doctus ea quæ ad *Nummos* pertinent, ſatis ſcio fieri nullatenus poſſe, quin hic Tuus liber ſuperis Deorum & imis gratiſſimus ſit: quinetiam confido fore Tuum hoc opus & perennius & illuſtrius ipſo ære numiſmatum, quæ appoſitè omnino refers, quæ ſolerter enodas.

IN

IN EFFIGIEM
JOANNIS VAILLANT
NUMISMATUM INTERPRETIS EGREGII.

Cernitis? hic vir hic est, spoliis Orientis onustus,
Romanas & opes, Argolicasque vehens.
Tot collecta, mori cur non monimenta vetabunt,
Tot collecta vetat, qui monimenta mori?

De la Monnoye.

ALIUD.

VALENTIS *hæc imago, cujus improbo*
Labore, veteres illa princeps Urbium
Revocat Colonos Roma, tot Numismatum
Fide, an-ne Roma laude dignior? an VALENS?

Du Perrier.

ALIUD.

Ecce suos recipit, Te vindice, Roma Colonos:
Num tua, num Romæ, gloria major erit?

A. Guoguet. Med.



LECTORI.



EI nummariæ campus adeò vaſtus & amplus eſt, ut ex eo varios & maximè utiles ad Hiſtoriæ notitiam fructus colligere liceat: in illa Deorum ſeries, quos venerata eſt Antiquitas, ferè integra obſervatur; pleræque Principum imagines, quorum Regna in ſuas provincias Romana potentia redegit, in nummis reperiuntur: in iis Imperatorum à Julio Cæſare ad Imperii occaſum (ſi quoſdam exceperis) effigies ferè ſingulæ exhibentur; innumera familiarum Romanarum nomina, libertatis tempore maximè celebrata, in illis recenſita habes; civiles Romanorum Magiſtratus, tum majores, cùm minores; tum ordinarii, cùm extra ordinem; dignitates ſacerdotales, imperia militaria & maritima ibidem explicantur: depictos eorum veſtitus planè varios, nec non & provinciarum, populorum, urbium, Coloniarumque à Græcis & Romanis deductarum nomina in iiſdem videbis inſcripta; diverſas præterea oppidorum æras, templa demum innumera, ac plurima ædificia, ut omittam dicere de animalibus, piſcibus, & plantis, ex quibus ſeorſum volumen efficitur.

Immenſa ferè eſt ex nummorum penu collecta materia, longèque profectò copioſior quàm ut ab uno eodemque ſcriptore cumulatè tractetur, cùm ſola vel unius Romani Imperatoris geſta per nummos deſcribenda librum implere facilè poſſint; res quidem ab antiquitatis ſtudioſis in Illuſtriſſimi *Aumontii Ducis* ædes convenientibus nuper propoſita, & partim inchoata, ſed fato quodam intermiſſa; unde is ſatis præſtare videatur, qui aliquam rei nummariæ partem tractandam ſuſceperit, præſertim ſi felici quadam animi ſolertia præditus, ea quæ veterum ſcriptorum diligentiam effugerint, expromere, aut ſi ſelectiora vel Principum, vel aliorum quorumcumque Antiquariorum numiſmata cum ipſorum typorum interpretatione exponere, vel quæ in ſuis peregrinationibus ex Aſia, Græcia, Syria, & tota Italia accuratè collegerit, in lucem proferre audeat. Has itaque regiones, ad locupletandum tantis opibus LUDOVICI MAGNI Theſaurum, luſtrare ſæpius miſſus, elegantes quos inſpexeram Latinos, Græcos, & Coloniarum nummos, juſſus ſum à Sereniſſimo Principe *Henrico Borbonio Vernolii Duce* eos publicos facere, verùm ita ut à Latinis Imperialibus inciperem, & præſtantiorum velut catalogum ad *Adolphi Occonis* exemplum, ſine notis & interpretationibus in lucem tantùm ederem: eo lubentius morem geſſi, quod Sereniſſimus Princeps hoc opus Gallieni tempora non ſuperare exoptaret, quòdque nummi Imperiales Græcarum urbium & Coloniarum poſt hunc Imperatorem non extent, ſed Græci annorum Imperii notas tantùm exhibeant.

Noſtras itaque collectiones in tres partes diviſimus, primamque de nummis primæ & mediocris formæ æreis, & alteram de aureis & argenteis jam dudum vulgavimus; Typographus autem omnia prorſus exempla divendidit, rogatque, ut nunc ſecundam eorum editionem cum notis & argenteis aureiſque nummis ad Heraclium productis, publici juris faciamus; quod libenter in Antiquariorum gratiam præſtabimus, poſtquam hæc tertia pars de Græcis Urbium & Coloniarum nummis ad finem perducta erit: nil mirum igitur ſi illam nondum confecerim, opus enim in immenſum ferè excrevit, prima quidem & ſecunda pars vix unum minoris formæ volumen implevit; Græci verò nummi, Municipales & Colonici, quatuor vel etiam quinque primæ magnitudinis libros implere poſſunt, quandoquidem primus hic de Coloniis majorem æquo molem continet, adeo ut eum quaſi in duos tomos dividere poſſis: tantæ amplitudinis cauſa fuit, non modò cujuſvis numiſmatis ectypum ſeorſum cælatum, ſed eorum omnium explicatio pro viribus tentata.

Res quidem omnino grata, nummorum icones Lectorum oculis exponere; ſed illas ex Principum Cimeliis eruere, perarduum: ad ipſa enim difficilis admodum aditus, etſi aliquando ſit permiſſus, vix in tanta numiſmatum congerie, tractandorum nummorum facultas datur, ſeu propter Cimeliarcharum peritorum paucitatem; aut ſi qui fortè ſint,

propter

propter minimum eorum erga hæc antiquitatis monumenta ſtudium. Eruditorum verò illorum cura eo potiſſimum pertinere deberet, ut ad cælandas præſtantiorum numiſmatum imagines, Principes eos quorum eruditis ſcriniis præpoſiti ſunt, impellerent. Jam CHRISTINA REGINA ſuorum numiſmatum, quæ ſunt majoris formæ, ſeriem in quadraginta tabulas incidi curavit; & SERENISSIMUS PALATINUS PRINCEPS nuper ante mortem per erud. virum *Begerum* id abſolvit: illi ejuſmodi quippe ſumptus privati hominis opes exuperant, & ſi forſan aliquis vellet, vix id poſſet, niſi Studioſorum auxilio adjutus, ut jam cœpit Vir cl. *Andreas Morellius*, cujus in ea re labor valdè optandus eſt. Ingens interea nummorum amor me impulit, ut meis ſumptibus omnes in Coloniis & Municipiis ſignatos, quos recondunt LUDOVICI MAGNI, CHRISTINÆ REGINÆ, MAGNI ÆTRURIÆ DUCIS, BARBARINÆ, GHISIÆ, CARPINEÆ, aliorumque virorum Principum Gazæ, ſcalpere curarem. Labor quidem viginti annorum, per quos pro Theſauro Regio nummos colligere ſum juſſus, viam aperuit; tunc enim in Bibliotheca Regia aſſervatos delineare mihi licuit: cùm autem numiſmata omnia Verſalias transferri juſſit REX, ut illa domi penes ſe haberet, iiſque ſpectandis, cùm eſſet libertas, ſeſe oblectaret; hæc LUDOVICI MAGNI Cimeliarchia, Regum omnium & Principum ſcrinia numero, integritate, & raritate longè ſuperant. Mihi cura in ſeries illa ordinandi, REGE ſpectante, demandata eſt: ſed quanta demum eorum congeries Illuſtriſſimi Marchionis *de Louvois* vigilantiâ eſt facta, tanto autem Theſauro Cuſtos P. *Rainſſant* D. Medicus Rhemenſis præfectus eſt; mihi verò à REGE, Cenomanenſium Ducis Cimelium eſt commiſſum, dum vir ille clariſſimus Gazam Regiam aliquando faciat publicam, nummos Coloniarum ipſi additos mihi communicavit, quorum ectypa D. *Morellius*, qui Regios ſumma arte & diligentia delineat, lubens tranſmiſit.

Sed ad externa pergamus Europæ Cimelia, ex quibus icones hauſimus, & ab æterna urbe Roma rei antiquariæ parente initium faciamus. Ibi primum locum obtinet Gaza CHRISTINÆ REGINÆ, cujus indulgentiâ ex illa tot nummorum cujuſvis metalli multitudine, Colonicos & Municipales excerpſimus, qui ſanè non tam frequentes ſunt quàm Romani: Colonici namque ex longinquis regionibus aſportantur; illi verò ex ipſis urbis ruinis quotidie eruuntur. Ad REGINÆ Gazam mihi ultima vice patuit aditus, conciliatore erudito viro *Jo. Petro Bellorio* ipſius Cuſtode diligentiſſimo, poſtquam Cl. *Camelius* rei nummariæ princeps oculis captus eſſet, uterque mihi jamdudum fuit mihi amicitiâ conjunctiſſimus, cùm Romam duodecies profectus ſim. *Camelius* quidem, dum in urbe morabar, nummos virorum Principum, ut polirentur ad ipſum miſſos, mihi communicavit: *Bellorius* verò, quos vellem CHRISTINÆ nummos delineare, ſumma urbanitate permiſit. Gazas obſervavimus BARBERINAS bis, CAMILLI MAXIMI olim Cardinalis pluries, CARPINEAS ter, BORGHESIAS, GHISIAS, GINETTAS, RONDANINAS, aliorumque nummariæ rei ſtudioſiorum, inter quos *Car. Antonium à Puteo* Equitem S. Stephani Commendatorem, Equitem *Jul. Florentium*, alterumque M. *Ant. Sabatinum* honoris causâ, & D. *Cauſeum* amicitiæ gratiâ nominare debemus.

In Etruriam divertamus, & Gazam Mediceam tanta annorum ſerie collectam, nemini tunc quamvis patentem atque expoſitam, luſtrare liceat; in hoc autem ſuperbo rei nummariæ theſauro LAURENTII ſenioris & FRANCISCI MAGNI DUCIS, LEOPOLDIque Cardinalis ex omni metallo ſeries, ſed præcipuè nummi maximi, quos Itali vulgò *Medaglioni* vocant, aſſervantur, quibus omnibus innumerabiles Coloniarum & Municipiorum nummos ex Sardiniæ Proregis hæredibus coëmptos COSMUS III. Muſarum parens, ac modò regnans feliciter, addidit: hos omnes oculis obſervare, manibuſque contrectare OPTIMI PRINCIPIS indulgentiâ mihi conceſſum eſt, comes adfuit P. *Noriſius* M. DUCIS vir Theologus, ſummæ eruditionis & de re nummaria benè meritus: verùm ut tantum Cimelium in ſua celeberrima Pinacotheca per totum Orbem decantata, publicum redderet SERENISSIMUS PRINCEPS, Cimeliarcham D. *Sebaſtianum Bianchi*, optimarum artium ſtudiis eruditum, ad perfectam nummorum notitiam ipſi comparandam non modò Principum Cimelia inviſere juſſit, ſed primariis Antiquariis per litteras ſuas commendavit; attamen hæ antiquitatis deliciæ non modò in Cimelio Mediceo Florentiæ reconduntur, ſed Marchio *Nicolinus* & Marchio *Riccardus* inter ſuperbas ſupellectiles, nummos in

in ſuis Gazis rariſſimos poſſident, nec non Illuſtr. *Apollonius Baſſetus* M. Ducis à Secretis, qui iiſdem præcipuè delectatur.

Bononia, ut ſtudiorum mater, ſic & nummorum parens, plurimos ipſorum habuit ſtudioſos. E vivis exierunt *Card. Buoncompagnus* urbis Archiepiſcopus, Muſei olim celeberrimi patrui ſui *Franciſci* Cardinalis hæres. *Jo. Bapt. Capponius*, N. *Carradorus*, Medici inſignes. *Lud. Borgoloccus*, *Fr. Lottus*, & *Val. Polazzus* inter alios emicuerunt. Comes *Car. Cæſar Malvaſia* S. Petri Canonicus, ſingulares olim congeſſit: nunc *Ant. da Via* Patricius, Pontificis Max. apud Belgas Internuntius, præſtantiſſimos acquiſivit. R. P. *Minius* Clericis Minoribus Præpoſitus, ut ex ſuis ſelectiora LUDOVICO MAGNO offerret, Verſalias venit. Illuſtris ille *Malpighius*, alterum Medicinæ lumen, aliquot eximios poſſidet; ſed omnes D. *Joſephi Magnavaccæ* inter Pictores commendati judicio ſtare volunt: is enim Antiquariorum Italiæ princeps quo ad praxim facilè prædicatur. Ille me comitem Regium Lepidi properantem ad Muſeum P. *Cattanei* PP. Minoris Obſervantiæ Definitoris generalis inviſendum comitari dignatus eſt; vix autem explicare poſſim quanta comitate R. admodum Pater præclaros Coloniarum nummos à ſe ex Hiſpania allatos mihi exhibuerit.

Mutinæ, Sereniſſima Estensis Familia, alios Italiæ Principes in nummis comparandis æmulata, præſtantes & luculentos olim comparavit, quos Eques *Rimbottus* Cimelii Præfectus ante aliquot annos mihi inſpiciendos exhibuit. Parmæ, Dux Ranutius II. inſtructiſſimam harum elegantiarum copiam ab Alexandro Farnesio collectam aſſervat, cujus curam habet eruditus P. *Pedrucius* S. J. In ea urbe *Com. Alexander Sanvitalis* Muſei majorum ſuorum partem cum fratre diviſam ſumma religione conſervat. *Comites Cantelli*, hujus antiquæ memoriæ vindices ac æſtimatores ſeſe præſtiterunt. Quantùm ad Mantuæ Ducum Gazam ſpectat, hoc ſæculo licèt cum urbe direptam, aquila eorum Principum ſtemma omnibus nummis inſerta, innumerabilem ipſorum numerum ab iis coacervatum olim fuiſſe declarat: teſtes ſint illi ex familiis Romanis in Theſauro LUDOVICI MAGNI reconditi. In eorum urbe *Marchio* olim *Bulgherinus*, nunc ex Prædicatorum Ordine, inter elegantiſſimos quos poſſidet nummos, Othonem Græcum majoris formæ, in cujus averſa parte Victoria pectore tenus obſervatur, fortè fortunâ à circumforaneo nactus eſt, quem ſubitò agnovit D. *Horatius Bellinus* Caroli II. Ducis auxiliarius, rei nummariæ ſedulus indagator.

Venetiæ urbs præ cæteris opulenta, hac veteri moneta maximè claruit & claret: ut enim prætermittam inſignes ſuperioris ſæculi viros Andr. Lauredanum, N. Contarenum, Seb. Erizzum, & Jo. dom. Grimanum Patricios; Petr. Donam, & Petr. Mauroce-num nuper fato functos: vivos autem hujus ſupellectilis nummariæ conſervatores aut indagatores commemorare nobis liceat, Jul. Justinianum & Marc. Ruzinum D. Marci Procuratores, Geor. Barbarum, Jo. Dom. Soderinum, Petr. Garzonum, Jo. Dom. Theupolum, Anton. Capellum, Bern. Trevisanum ampliſſimos Senatores, inter quos Hier. Corrarus nullis pepercit ſumptibus, ut in æreis nummis rariſſimis conquirendis ſeſe maximè commendaret. Alii ſunt inferioris quidem ordinis, ſed magnæ exiſtimationis, *Fr. Cima* & *Joſ. Marcus Brunus* Doctores Medici, ad quos omnes conveniendos non ſemel mihi adfuit comes V. Cl. *N. Bon* JC. in nummis cognoſcendis ſagax & eruditus, qui eximium de *Neocoris* tractatum in lucem, magno Antiquariorum voto, editurum ſe brevi pollicetur.

Padua hæc veteris ævi monumenta etiam elegantiora recondit; ibi *Comes Jo. de Lazara*, nummorum diligentiſſimus aſſervator, luculentas eorum ſeries congeſſit; ſed *Eques Patinus* Medicus Pariſienſis, Gymnaſii Patavini Profeſſor, urbem ſuis ſcriptis doctiſſimis perpetuò illuſtrat: multis enim rei nummariæ operibus jam clariſſimus, ſex adhuc millia & ampliùs numiſmata ex omnibus Cimeliis à ſe luſtratis ſelecta, cum eorum ectypis & erudita ut ſolet explanatione in lucem proferre meditatur. *Seb. Gouzonus* Doctor Medicus, & *Car. Torta* Univerſitatis Cancellarius, harum antiquitatum memoriâ delectantur. Veronæ, *Comes Fr. Moſcardus*, in Muſeo ſuo celeberrimo lautiſſimam nummorum copiam ab Ill. patre comparatam poſſidet. Sunt & alii hac in urbe antiquæ hujus memoriæ curioſi, quorum Cimelia non obſervavi. Mediolani, *Comes Mediobarbus*, qui *Occonem* feliciter illuſtravit

vit & auxit, ſex millia ex omni metallo numiſmata collegit, cujus Gazam, per ejus abſentiam, inviſere proh dolor! non licuit. Præclara nummorum congeries in Muſeo *Fr. Septalæ* Canonici, à *Manfredo* ejus patruo, cujus interitus nunquam ſatis defleri poteſt, adquiſita reperitur. *Jo. Maria Bidellus* JC. amore & ſtudio hujus veteris memoriæ maximè commendatur. A *Jo.Bapt. Seccia* etiam JC. ante paucos annos defunćto, Græcum pro Latino Pertinacem accepi, Regio Theſauro meâ curâ additum. Genuæ, rariſſimam illius Imperatoris, Pertinacis nimirum, Titianam uxorem, à DD. *Lavagna* fratribus, ampliſſimis civibus, emptam, tanto Cimelio etiam adjeci. Turini, SABAUDIÆ DUCES Gazam nummis exornatiſſimam olim comparaſſe ex pretioſis eorum reliquiis in palatio à nobis obſervatis, ſuſpicari facilè poſſumus. Sed antequam ex Italia egrediamur, Muſea in aliis urbibus ab itinere remotis jamdudum nuper inſpećta recenſeamus. Neapoli, D. *Piquettus* in hoc rei antiquariæ genere operam & induſtriam feliciter collocavit. Oximi, *Cæſar Leompardus* Patricius inſtrućtiſſimam nummorum collećtionem habet. Spoleti, *Jo. Ant. Luparinus* frequentibus per totam Italiam peregrinationibus numiſmatum indefeſſus ſcrutator, rariſſimos excerpſit. Anconæ, *Cam. Picchus* Græca aliquot inſignia ex Epiro allata, cum plurimis Romanis conſervat. Piſis, *Joſeph Gianottus* Doćt. Medicus non integram nummorum ſeriem, ſed quoſdam præclaros ab Armenis Liburni emptos comparavit, à quo Gordianum Afr. Seniorem Græcum Cimelio Cenomanenſium Ducis à nobis adjećtum accepimus.

Anglia, licèt ab Italia nummorum parente longè diſſita, eorum tamen ſedulos habuit & habet collećtores: Rex CAROLUS I. hac omni elegantiarum ſupellećtili plurimùm delećtatus, plurima conquiſivit numiſmata, ex quibus aurea tantùm in ordinem redaćta CAROLUS II. ſingulari benignitate dedit mihi viſenda: ſed omnium congeriem JACOBUS II. feliciter regnans in loculos & ſcrinia ordinari præcepit. In quas manus abierint nummi *Bukingami Ducis* & *Arundelii Comitis*, à noſtris Antiquariis ſæpius laudatis, detegere non potui. Collećtionem ab Oratore quondam apud Venetos *Dodington* comparatam, apud ipſius hæredes venalem docemur. *Comes Piterboroug* primus Regis Cubicularius ad ſuum rei nummariæ Muſeum in ſuburbano palatio aſſervatum, me priùs epulis adhibitum deduxit inviſendum. *Comes Clarendonius* omni laudis genere ſpećtandus, nummos eximio quodam delećtu ſingulares, poſt epulas etiam lautiſſimas, ſumma cum ingenii & eruditionis ſignificatione non ſemel exhibuit: ad hos autem primarios viros mihi patuit aditus per eruditiſſimum Doćt. *Fraiſerum* non minùs à Rege quàm ab Aulicis probatum. Eques *Georg. Weheler* ex Aſiæ peregrinatione nummos elegantes Græcos attulit, quorum explicationem vernaculâ lingua edidit. D. *Charleton* collećtos undique præſtantiſſimos in Muſeo rerum naturalium aſſervat. Pretioſas illas antiquitatis merces *Willelmus Falchner* ex Orientalibus plagis, in quibus eum offendi, per duodecim annos congeſtas Londinum aſportavit, ex iis autem plurima Cimelia locupletavit, quæ res occaſionem ipſi præſtitit nummos exquiſitos ex Aſia emendi, unde ſtupendus ille Maximus argenteus PESCENNIUS, ex Aleppo ad eum miſſus, & mox mecum communicatus, ſupremum in LUDOVICI MAGNI Theſauro locum nunc obtinet. In Walia *Ill. Aſaphapolis Epiſcopus* nummorum fautor egregius, & peritus æſtimator, his indubitatis hiſtoriæ monumentis Imperatorum Romanorum geſta feliciter illuſtrat, Trajanique vitam pro ſpecimine videre nobis datum eſt. Sed hîc *D. Gailhard* Anglum, qui ob peregrinationes frequenter in Gallia morari videtur, inter ditiſſimos hujus vetuſtæ memoriæ poſſeſſores annumerare liceat. Belgæ Spartam hanc etiam exornarunt. *Arſchotani Ducis* Cimelium à *Io. Hemelario* notis luculentis explicatum, in lucem prodiit. *Lævinus Torrentius* Epiſcopus Antuerpienſis Suetonium nummis ornavit. *Goltzius* icones quamplurimas *M. Laurini* operâ collegit & incidit, earum quatuor tomos *Lud. Nonnius Medicus* commentariis dOćtiſſimis in lucem iterum revocavit. *Andreas Schottus* S. J. Muſeum *Nicolai Roccok* Equitis cum iterata editione Arſchotana eruditis interpretationibus evulgavit. *Chifletii* ambo *Io. Iacobi* filii, *Claudius* quidem de antiquo numiſmate, *Henricus* verò de Othonis nummis ſcripſere. *Gevartius* JC. Uterque *Rubenius* & *Schinkelius* nummos undique compararunt. Batavia, ejuſdem gloriæ æmula, ſuos pariter harum antiquitatum vindices tulit, *Iac. Oiſelius* nuper è vivis ereptus, commentariis, *Cuperus* & *Iac. Perizonius* diſſertationibus nummos illuſtrarunt. *Daniel Heinſius* & *Io. Georgius Grævius*, ambo præclara provinciæ ſuæ lumina, ille nuper mortuus, antiquæ hujus elegantiæ cultor eximius, hic

hic verò peritus æstimator, non mediocrem in hoc studio laudem meruere. Novissimè *Jac. Gronovius*, alterum Bataviæ decus, insignem nummorum seriem comparavit. D. *Modè* Trajectinus, ex Gallia & Anglia selectiores in patriam nummos asportavit; sed quàm raros & insignes ex suis peregrinationibus advecturus est D. *de With*.

Germaniam ex nummorum Scriptoribus, & ex iis qui eam perlustrarunt, plerosque Principes habere hoc antiquitatis studio immensos novimus; verùm iis qui eorum Cimelia inspexerint, mentionem eorum facere permittimus, quandoquidem de Museis tantùm à nobis observatis sermonem instituimus: liceat tamen hîc commendare *Car. Velserum* Senatorem Norimbergensem, hujus rei antiquariæ assertorem peritissimum, quicum per litteras colloqui datum est, ut in Helvetia cum *Tobia Hollandero à Berau* Schafusianæ Reipublicæ Quæstore, & *Seb. Feschio* JC. Basileensi, doctissimis harum elegantiarum vindicibus. Suetia suos etiam habet nummorum cultores; mihi notus erat D. *Oldemberg*, qui in suis peregrinationibus elegantissimos congesserat, frater ejus horum hæres, me Parisiis nuper invisit. Dania pariter rei nummariæ fautores numerat. Hispania, Coloniarum olim à Romanis deductarum parens, ex suis quotidie visceribus nummos effundit; unde apud eruditos ejus gentis ingens eorum amor, inter quos *Antoninus Augustinus* Tarraconensis Archiepiscopus lucem nummis exponendis ac diligentiam luculentiùs nemo asseruit. *Rodericus Carus* patrios quidem evulgavit: præclaros autem ex omnibus Hispaniæ regnis erutos, inter Antiquariorum manus conspicere gratissimum nobis fuit.

Sed cùm de externis Europæ Cimeliis, ex quibus ectypa collegimus, honoris causâ priùs à nobis actum sit, jam Galliæ nostræ hujus antiquæ supellectilis studiosos & indagatores recensere æquum videtur. Primum locum occupat Thesaurus LUDOVICI MAGNI, totius Europæ ditissimus, jucunda cujus contemplatio CENOMANENSIUM DUCEM ad rei nummariæ studium incitavit. Rex geminos statim nummos lubens concessit, & brevi Dux Serenissimus Cimelium, post Regium, comparavit exornatissimum, cujus me Custodem habere voluit. *Comes Tolosæ*, Ducis fratris exemplo, in idem studium incubuit. *Marchio de Seignelay*, licèt selectiores à patre conquisitos REGI nummos obtulerit, eorum tamen numerum & præstantiam ex celeberrimi *Bracesii* Musei Romani novis monumentis resarsit. Ab Aula Parisios divertamus, & instructissimas *Lamonias*, *Harlæas*, & *Bignonias* Gazas suspiciamus. R. P. *de la Chaize*, Regi à Confessionibus, in colligendis nummis operam inter tam graves curas, oblectationis causâ, collocavit. RR. PP. *Jobert* & *Chamillard* ejusdem Societatis, antiquitatis hujus diligentissimi sunt investigatores & peritissimi. Idem studium, & eadem quærendorum nummorum cura *Sirmondum* & *Cossartium* præstantissimos viros olim incessit, & parta à se numismata in LUDOVICI MAGNI Collegio ornamenti gratiâ reposuerunt: porro tum eorum, tum librorum custodiendorum provincia eruditissimo P. *Harduino* de nummis benemerito concessa est. Hæ veteris monetæ elegantiæ Bibliothecas etiam Sanctæ Genovefæ & Sancti Germani locupletant; huic D. *Placidus*, illius memoriæ diligens scrutator, præfectus est; illi P. *Chaponel* elegans hujus industriæ fautor, post Patrem *du Molinet* præpositus. *Comes de Vaux* Imperatorum seriem ex argento insignem comparavit. DD. *de Blois* & *de Lompré* ejusdem generis nummis summopere delectantur. D. *Dron* Sancti Thomæ à Lupara Canonicus, præstantissima Coloniarum & Græca numismata ex ære medio præsertim adquisivit. D. *Baudelot* Patronus insignis, amore & harum antiquitatis deliciarum studio celebratur. Sed quid de Illustrissimo *Spanhemio* Brandeburgensis Electoris apud Regem Oratore dicturus? illo certè elegantiùs & feliciùs nummos nullus illustravit. D. *Morellius* Helvetius Specimen universæ rei nummariæ Parisiis edidit, quam iconibus & notis eruditis locupletatam ab eo perfici summopere exoptant Antiquarii.

In diversis Galliæ urbibus plurimi sunt numismatum cultores, & eximii eorum assertores, inter quos eminet *Ill. de Camps* Apamiensis Episcopus, qui lautissima & longo tempore comparata nummorum collectione, Principum Gazas adæquat. D. *Foucault* Supplicum Libellorum Magister, & in Pictaviensi provincia rei judiciariæ Præfectus, hac omni veterum elegantia sese oblectans, seriem Imperatorum ex argento præstantissimam possidet. Lugduni, in Bibliotheca Patrum Soc. Jesu Museum omni id genus supellectili instructissimum asservatur, à R. P. *de la Chaize* quidem inchoatum, sed continua nummorum accessione

ſione ab erud. P. *Charonier* ditatum. At nuper in hac urbe *Jac. Sponius* Med. de nummis benemeritus, magno Eruditorum deſiderio extinctus eſt. D. *de Mazaugues* Aquiſextanus Senator, alter *Peireſcus*, omni ſtudiorum genere celebris, hæc egregia vetuſtatis monumenta à plurimis annis comparavit, quæ amicis liberaliter largitur. In eadem civitate P. *Pagi* Conventualium Minorum erud. Præfectus, his antiquis monumentis hiſtoriam commendat. D. *Terrin* Arelatenſis Patronus celeberrimus, nummorum ſedulus ſcrutator, Diſſertationes ſuper iis elegantiſſimas conſcripſit. Aurelianis, D. *Toinardus*, vir multarum litterarum, Herodis M. Judææ Regis, & ſucceſſorum geſta nummis illuſtrata, & plurimas Diſſertationes typis mandare parat. Divione, Præſes *Boiherius* ingentes veteris ævi divitias recondit: ſed litteratus Abbas *Nicaſius* illarum vindex eſt & æſtimator non mediocris. Hîc autem omnes Galliæ noſtræ nummorum inveſtigatores & ſtudioſos numerare perlongum eſſet; viros tantùm celeberrimos, aut mihi amicitiâ conjunctos nominaſſe ſatis ſit: antequam tamen illam relinquamus, auctores qui egregiam in re nummaria operam poſuere, *Choulium*, *Savotium*, *Triſtanum*, *Seguinum*, *Patinum*, *Sponium*, & P. *Harduinum* recenſeamus, quorum æmulatione Spartam hanc ingreſſi ſumus.

Cùm autem Cimelia, ex quibus deſumpta ſunt operis noſtri ectypa, longa ſatis enarratione ſint recenſita, nunc res ad Coloniarum nummos ſpectantes exponamus. Maximi quidem moduli in Coloniis percuſſi non obſervantur nummi; ex ære magno confecti, uſque ad Sept. Severum rariſſimi habentur; mediocris formæ, obvii ſunt: ſed cùm hi eandem non ſemper magnitudinem, imò planè variam & inæqualem exhibeant, eos in ſecundam & minimam molem diviſimus: omnes igitur in tres redactos magnitudines, primæ, ſecundæ & tertiæ, ſcalpi nobis cura fuit, Seguini in nummorum eruditione ſpectatiſſimi exemplum ſequuti; ipſi enim juxta modulum proprium cælati, non modò ſui prototypi veram & congruam effigiem exhibent, ſed ſingulari quadam cum voluptate viſuntur: contrà verò illi numiſmatum Scriptores, qui ſub eodem typo diſſimiles eorum formas conſignant, omnia confundunt: minutus enim nummus pro maximo repræſentatus, licèt moduli nota adſit, mentem Antiquarii conturbat, & aliquando repertus, ſpem ejus ſæpe illudit, portentoſum ſanè videtur, nummulum ſub eadem figura, quâ alterum maximi vel majoris moduli, æreum proponere.

Compendioſas ectyporum inſcriptiones litteris Italicis pro viribus integras protulimus, ut quidquid obſcurum his notis nummi recondunt, cunctis planum eſſe poſſit. Typorum quidem plurimorum explicationes aggreſſi ſumus, quas omnino explanaſſe non gloriamur: neque enim omnia nobis adeo ſunt perſpicua & obvia, ut alicui notitiæ per annos triginta partæ confidamus; rei quippe antiquariæ cultores, qui ea quæ nos effugerunt, alios edocere poſſint, non defuturos arbitramur: quare noſtras interpretationes Eruditorum arbitrio judicioque permittimus, nec noſtræ ſententiæ adeo ſumus tenaces, ut in alteram abire non ſimus parati. De omnibus typis aliquid diximus, ne potiùs ullum intentatum intactumque relinqueremus, quàm ignorantiam confiteremur; opinio enim alicujus licèt non omnino certa, ſi tamen proponatur, affert aliis inveſtigandæ rei cupiditatem, & veritatis interdum inveniendæ facultatem, ita ut quæ antea erant delibata, penitus illuſtrentur. Si enim Triſtanus & alii nummorum quorundam interpretationem non tentaſſent, eos forſan nemo explanaſſet. Ex omnibus qui de re nummaria ſcripſerunt, nos profeciſſe ingenuè fatemur; & ſi quoſdam eorum errores notaverimus, Deus abſit, ut gloriolæ causâ id nos feciſſe quis crediderit, ſed ut tyrones veram eorum epigraphen, aut legitimam typorum notitiam aſſequantur.

In explicandis nummis urbem in qua illi percuſſi ſint, & à quo Colonia deducta ſit, indicare mens fuit; quâ occaſione nummus ſit ſignatus; quidve typus exhibeat. Cùm autem idem Jupiter aut Neptunus in eadem Colonia licèt ſub variis Imperatoribus occurrat, cum aliqua typi differentia ſeu à dextra vel ſiniſtra poſitus, aut alio modo ſcriptæ ſint litteræ, tamen eadem imagine aliquando uſi ſumus, præſertim cùm ille nihil novi aut neceſſarii notandi haberet: ideo nullus objiciat typum in aliis repræſentari, & in hoc opere paulò mutatum eſſe; tyrones enim ejuſdem typi nummos vix reperiri noverunt: adde inſcriptiones modò in iis compendioſas, modò in aliis longiores, ut & eadem numina vario ſitu pariter inſculpta, ut ſæpius in nummorum noſtrorum deſcriptione monuimus.

Qui

Qui Imperatorum nummos hactenus describendos susceperunt, illorum vitam summatim perstringere consuevere, ut cujusque Augusti gesta quodam modo enarrarent; hæc autem sæpius decantata referre æquum non putavimus, sed Colonias, si quas deduxerint, recensere, characteribus majusculis iis quæ nummos fundatoribus cuderunt designatis: si autem Imperatores nullas condiderint, ejus rei rationem indagare statuimus; vel si illi Imperii Romani fines dilatarint, aut quas Legiones instituerint, nam ex ipsarum Veteranis plerique Cæsares, admixtis quibusdam togatis civibus, Colonos constituere solebant, quæ sanè monumenta Historicorum diligentiam effugerunt, sed eorum memoriam nummi præsertim & marmora antiqua conservaverunt.

Si quasdam Coloniarum icones in Auctorum libris jam cælatas, aut iis non absimiles insculpi curavimus, eorum nomina, paginâ libri signatâ, sedulò notavimus, ut si nummi jam explicati sint, Lector eorum interpretationes cum nostris conferre, & quidquid ab iis accepimus, dijudicare possit; nam eum per quem profecimus, nominare justum videtur: sed si notas eorum expositionibus aliquando adjecimus, aut nummorum epigraphen mutavimus, illos certè integriores in Cimeliis à nobis lustratis observavimus. Si istiusmodi vocibus *malè* & *perperàm* aliquoties usi sumus, vel necessitas coëgit, aut easdem in notis suis adhibuit idem scriptor: non enim aliis doctiores videri quærimus, ipsi nos erroribus forsan gravioribus, dum nova & inaudita proferimus, insimulare nos possunt. Sed quis librum sine mendis scripsit? nullus ergo irascatur, si leviuscula in iis qui nummos vulgavere notaverimus; id sanè egimus, ut illi, dum opera sua prælo iterum submitterent, illa quæ aut Typographi incuriâ, vel nummorum detritorum injuriâ sunt prætérita, faciliùs emendare possent.

Ut omnium numismatum raritas clariùs innotesceret, plurimis usi sumus vocibus, ab iis inchoantes, *obvius* & *tritus*, quando illa frequenter occurrunt; & quando una earum deest, illud pro non tam frequenti habendum: primum autem elegantiæ gradum vox hæc *rarus* indicat; quando adsunt *rarus* & *elegans*, vel aliud quodvis adjectivum, nummi pretium augent; sed cùm comparativa proferuntur, verbi gratiâ *rariores*, tertium raritatis gradum efficiunt: si alterum additur, ut *præstantiores*, nummi singularitatem arguit: si superlativum notatur, majorem quandam raritatem ejus designat: sed denique voces *eximiæ raritatis*, ultimum elegantiæ gradum significant, præsertim si altera *singularitatis* ei comes adsit. Nummorum autem præstantiam & pretium nos docuit longus non modò eorum usus, sed frequens ac ferè assidua Cimeliorum perlustratio.

De Coloniarum jure aliquid præfari cogitaveramus, sed hac de re *Car. Sigonius* tam fusè disseruit, ut id repetere, supervacaneum omnino putaverimus, illum Lector consulat; sed quem ille fructum ex nostra Coloniarum collectione percipere poterit, indicare æquum videtur. Coloniarum deductiones à Romulo inchoatæ, per Reges & Consules ad Julium Cæsarem continuatæ, ab eo ad Gallienum usque productæ, non modò in hoc Opere observantur, sed res plurimæ ab Historicis vel neglectæ vel præteritæ: Quænam Coloniæ ab Imperatoribus constitutæ: Vera earum nomina & appellationes: Quæ urbes à Scriptoribus Coloniæ pro Municipiis appellatæ, aut Municipia pro Coloniis existimata: Oppidorum æræ in eorum nummis tantùm signatæ: Facultas cudendæ monetæ Coloniis ab Imperatoribus concessa, aut adempta: Præcipua earum & Municipiorum numina, præsertim ea quæ sunt in Græciæ, Asiæ & Africæ Coloniis, & apud Corinthios & Patrenses, à Pausania tam diligenter descripta: Urbium Conditores, Heroes, & singulares earum antiquitates: Ludi & certamina in Deorum honorem instituta, in iis tam solemniter celebrata: Veterani Legionum Romanarum post stipendia emerita in Colonias transmissi: Provinciarum Metropoles ab Imperatoribus constitutæ: Coloniarum nomina à fundatorum Imperatorum gente desumpta: Togatorum civium symbola, & Veteranorum in Colonias deductorum insignia: Urbium situs per fluminum effigies, aut figuras rupibus insidentes: Denique agrorum abundantia per spicas, uvarum racemos, & palmas arbores.

Si nostræ de Coloniis interpretationes vel conjecturæ arrideant, ultima pars de Nummis Imperialibus Græcis confidentiùs prodibit; operam interim in iis describendis continuam impendimus: quòd si vita immenso huic operi conficiendo non suppetat, speramus inchoatas illorum interpretationes, filio nostro *Jo. Francisco* Medicinæ Parisiensis Candidato, peculiare lumen ad insignem numismatum notitiam præbituras, aut non mediocre ad id Opus absolvendum allaturas.

NUMIS-

Sed de Coloniis quæ ſuperſunt in Nummis, nobis tantum erit ſermo; omnes autem referre, Lectori nec inutile nec ingratum exiſtimamus. *Apamea*, *Babba*, BERYTUS, CARTHAGO, *Caſſandrea*, *Celſa*, *Comana*, CORINTHUS, *Cremna*, *Dertoſa*, *Dium*, *Hippon*, *Norba*, *Parium*, *Pella*, *Philippi*, *Sinope*, VALENTIA.

JULII CÆSARIS *Nummi mediocris & minimæ formæ inter rariſſimos computandi; primæ autem cum ſola ejus effigie hactenus non obſervantur, at cum averſo Auguſti capite obvii ſunt.*

BERYTUS.



Caput Julii laureâ inſignitum, ſine epigraphe.

COL. IVL. BER. *Colonia Julia Berytus* aut *Berytenſis*. Colonus agit taurum & vaccam.

Berytus urbs Phœniciæ littoralis, Coloniæ titulo ornata, Juliæ gentis nomen præfert, unde à Julio deductam Eques Patinus Not. ad cap. 42. Suetonii in ejus vita pronuntiavit; eam verò Auguſti Coloniam eſſe P. Noriſius Cenot. Piſ. Diſſ. 1. pag. 22. & 23. contendit, ex Lapide Ancyr. Strabone l. 16. Ulpiano de Cenſ. & Euſebio in Chron. ſed hi omnes de veteranis militibus in eam tranſmiſſis intelligendi. Plinius & Nummi pro Juliò certant: ille lib. 5. c. 20. ait, *Berytus Colonia, quæ* FELIX IVLIA *appellatur*; hi verò cum hac epigraphe & ejus effigie ſine Auguſtæ nomine percuſſi, Julium vindicant. Lis igitur ita videtur componenda: Berytus à Julio deducta, cognominata eſt *Julia*: Auguſtus deinde partem veteranorum ex legionibus v. Macedonicâ & VIII. Au-



AD
NUMISMATUM
INTELLIGENTIAM
Delineabat
AUGUSTINUS LUBIN.
Geographus Regius
Pontus Euxinus
Mare
Mediter
raneum
Mare
Aege
um
HISPANIA
LUSITA
NIA
BEATICA
TARRA
CO
NENSIS
GALLIA
NARBONEN
SIS
ITALIA
SICILIA
DACIA
THRACIA
MOESIA SUPERIOR
MACEDONIA
EPIRUS
GRAE
CIA
BITHYNIA
PONTUS
PISIDIA
PAMPHILIA
CILICIA
MESOPOTA
MIA
SYRIA
PHOENICIA
COELE
SYRIA
PALES
TI
NA
ARABIA
PETRAEA
EGYPTUS
LIBYA
AFRI
CA
NUMIDIA
CAESARIENSIS
MAURITANIA
TINGI
TANA



NUMISMATA
IN COLONIIS ET MUNICIPIIS
PERCUSSA.

JULIUS CÆSAR.





Quum Julius Cæsar bello civili Reipublicæ Romanæ statum evertere aggressus sit, Romanorum Imperator primus perhibetur, etsi successor ejus Augustus Monarchiæ fundamenta stabilierit. A Coloniis igitur ab illo deductis ordiri ratio jubet, quas Historici, Marmora & Nummi plurimas fuisse nos docent; magnum adeo civium numerum bellis dispersum in Urbem lege Juliâ revocavit, ut ex iis, teste Suet. cap. 42. octoginta hominum millia in transmarinas Colonias deduxerit: hac quoque mercede veteranos remunerari promiserat, ex Lucano, Julium ita ante pugnam Pharsalicam milites adloquentem audias lib. 7.

Hæc eadem est hodie quæ pignora, quæque Penates
Reddat, & emeritos faciat vos Marte colonos.

Sed de Coloniis quæ supersunt in Nummis, nobis tantùm erit sermo; omnes autem referre, Lectori nec inutile nec ingratum existimamus. *Apamea*, *Babba*, BERYTUS, CARTHAGO, *Cassandrea*, *Celsa*, *Comana*, CORINTHUS, *Cremna*, *Dertosa*, *Dium*, *Hippon*, *Norba*, *Parium*, *Pella*, *Philippi*, *Sinope*, VALENTIA.

JULII CÆSARIS *Nummi mediocris & minimæ formæ inter rarissimos computandi; primæ autem cum sola ejus effigie hactenus non observantur, at cum averso Augusti capite obvii sunt.*

BERYTUS.



Caput Julii laureâ insignitum, sine epigraphe.

COL. IVL. BER. *Colonia Julia Berytus* aut *Berytensis*. Colonus agit taurum & vaccam.

Berytus urbs Phœniciæ littoralis, Coloniæ titulo ornata, Juliæ gentis nomen præfert, unde à Julio deductam Eques Patinus Not. ad cap. 42. Suetonii in ejus vita pronuntiavit; eam verò Augusti Coloniam esse P. Norisius Cenot. Pis. Diss. 1. pag. 22. & 23. contendit, ex Lapide Ancyr. Strabone l. 16. Ulpiano de Cens. & Eusebio in Chron. sed hi omnes de veteranis militibus in eam transmissis intelligendi. Plinius & Nummi pro Juliò certant: ille lib. 5. c. 20. ait, *Berytus Colonia, quæ* FELIX IVLIA *appellatur*; hi verò cum hac epigraphe & ejus effigie sine Augustæ nomine percussi, Julium vindicant. Lis igitur ita videtur componenda: Berytus à Julio deducta, cognominata est *Julia*: Augustus deinde partem veteranorum ex legionibus V. Macedonicâ & VIII. Au-

gustâ in eam transmisit, unde urbi *Augustæ* nomen additum ob colonorum supplementum. Colonus agens bovem & vaccam, deductæ coloniæ symbolum est, plebeiæ quidem, ut nobiscum agnoscit Raph. Fabrettus de Col. Trajani cap. 1. pag. 11. militaris autem Coloniæ insignia sunt, aquilæ legionariæ & signa militaria in nummis signata.

Hic nummus secundæ magnitudinis à Patino Impp. Num. pag. 18. & Sueton. pag. 31. vulgatus, inter præstantissimos numerandus.

CARTHAGO.



C. I. C. XXXVI. *Colonia Julia Carthago anno 36.* Caput Julii laureatum.
EX D. D. *Ex decreto Decurionum.* Caput Augusti sine laureâ.

Carthago urbs Africæ littoralis, Romæ quondam æmula, diu jacens eversa, à Julio Cæsare facta est Colonia anno U. C. 710. teste Dione lib. 43. pag. 238. τήν δὲ Κόρινθον, τήν τε Καρχηδόνα, πόλεις ἀρχαίας λαμπρὰς, ἐπισήμους ἀπολωλυίας ἤ μὴν ἀποικίας Ῥωμαίων ὀνόμισε δεῖν, ἀπῴκισεν. *Corinthum verò Carthaginemque urbes antiquas, splendidas, illustres, quæ jam perierant, Colonias Romanorum deduxit.* Illam ab Augusto iterum colonis frequentatam ex eodem Dione an. 725. lib. 52. pag. 49. cognovimus. Καὶ Καρχηδόνα ἐπαπῴκισεν, ὅτι ὁ Λέπιδος μέρος τι αὐτῆς ἠρημώκει, καὶ διὰ τοῦτο τὰ δίκαια τῆς ἀποικίας σφῶν λελυκέναι ἐδόκει. *Carthaginem quoque denuo coloniam deduxit, quia Lepidus, cùm partem ejus habitatoribus orbasset, jus coloniæ sustulisse videbatur.* Carthaginenses beneficiorum memores, ex una parte patrem fundatorem, & ex altera filium restauratorem in nummis signarunt, retento quidem Julii nomine, & annis XXXVI. à priori deductione signatis. Nummum hunc P. Harduinus pag. 111. Coloniæ Jol. Cæsareæ tribuit, quam ipsemet longè post à Claudio ex Plinio lib. 5. cap. 5. quem eruditissimis notis illustravit, Coloniam agnoscit deductam; ipsa quippe Cæsarea Augusti ævo Jubæ junioris ditionis erat.

Hic nummus minimæ formæ ob Julii effigiem, etsi sub Augusto cusus, in illius serie collocatur, & inter rarissimos adscribitur.

CORINTHUS.



LAVS IVLI. CORINT. *Laus Julia Corinthus.* Caput Julii laureâ insigne.
L. CERTO. ÆPPIO. C. IVLIO. II. VIR. *Lucio Certo Æppio, Caio Julio Duumviris.* Bellerophon in Pegaso contra Chimæram pugnans, in al. sine Chimæra.

Corinthum & Carthaginem eodem anno Colonias in superiori nummo à Julio deductas ex Dione retulimus: illa ut antiquitatem suam denotaret, Bellerophontem heroëm suum in nummis signavit insidentem Pegaso, quem Minerva ipsi contra Chimæram pugnaturo domitum tradidit, si loquentem audias Pausaniam lib. 2. Corinth. Ἀθηνᾶν γὰρ θεῶν μάλιστα συγκατεργάσασθαι τά τε ἄλλα Βελλεροφόντη φασὶ, καὶ ὡς τὸν Πήγασον οἱ παραδοίη, χειρωσαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτὴ τῷ ἵππῳ χαλινόν. *Minervam etenim aiunt præ cæteris diis Bellerophonti cum aliis in rebus opitulantem, tum verò à se domitum, fræno jam imposito Pegasum dedisse.* Tristanus nummum hunc tom. 1. pag. 2. cum mutila epigraphe L. ATO.. VLIO. II. VIR. Patinus verò pag. 18. cum ferè eadem L. ATO... IVLIO. II. VIR. quem secutus Fabrettus de Col. Traj. c. 1. p. 11. vulgaverunt.

Hic nummus mediocris moduli pro rarissimo habendus.



CORINT. II. VIR. *Corinthi Duumviris.* Caput Julii laureâ redimitum.
M. ANT. HIPPARCHO. M. NONIO BASSO. *Marco Antonio Hipparcho. Marco Nonio Basso.* Caput Augusti sine corona.

Superior nummus vivente Julio Cæsare, hic sub Augusto in illius memoriam percussus est. Corinthii M. Antonii partes contra Augustum sequuti, & post illius mortem ejus ditioni subjecti, ut ipsius gratiam sibi conciliarent, Julii patris Coloniæ fundatoris effigiem ex una parte, & ex altera ipsius caput in nummis suis signarunt. Hipparchus Duumvir videtur fuisse ille M. Antonii Libertus, ut M. Antonii nomina indicant, qui patroni sui partes primus deseruit, ut tradit Plutarchus in Antonio. Οὗτος ἦν Θεόφιλος Ἱππάρχου πατὴρ τοῦ πλεῖστον παρὰ Ἀντωνίῳ δυνηθέντος, πρώτου δὲ πρὸς Καίσαρα τῶν ἀπελευθέρων μεταβαλομένου καὶ κατοικήσαντος ὕστερον ἐν Κορίνθῳ. *Hic fuit Theophilus Hipparchi pater, ejus cujus fuit auctoritas apud Antonium maxima, & primus ad Cæsarem ex Libertis ejus defecit, ac domicilium suum pòst contulit Corinthum.* Nonia gens à novenario numero dicta, plebeia est; Bassus, cognomen vulgare.

Hic nummus mediæ formæ ad calcem Operum P. Seguini edit. 2. pag. 305. ex Museo Sangenovefæo additus, inter elegantissimos adnumerandus.



CORINT. II. VIR. *Corinthi Duumviris.* Caput Julii laureatum.
Q. CAECILIO NIG. C. HEIO POL. *Quinto Cæcilio Nigro. Caio Heio Pollione.* Caput Augusti nudum.

Corinthii plurimos cum Julii Cæsaris effigie nummos Augusto dedicarunt, signatis in iis Duumvirorum nominibus sub quorum magistratu percussi sunt; in hoc Quintus Cæcilius Niger, & Caius Heius Pollio perhibentur. Cæcilia gens, plebeia est, cui nomen à parvitate oculorum, vel à cæcutientibus oculis inditum narrant; alii à Cæcade comite Æneæ, alii verò à Cæculo qui condidit Præneste, illud accepisse referunt. Cicero in Verrem Orat. Q. Cæcilii Nigri, domo Siculi, Quæstoris Verris in Sicilia meminit. C. Heius alter Duumvir quis fuerit, pariter ignoratur. Cicero in eodem loco, Caium Heium alterum Siculum Mamertinum nominat.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro rarissimo habendus.



CORINT. II. VIR. *Corinthi Duumviris.* Caput Julii laureâ insigne.
L. AEMILIO. BASSO...... Caput Augusti sine corona.

Ex duobus Duumvirorum nominibus, alterum superest Æmilius Bassus, alterum temporis injuriâ erasum, integriorem nummum expectat. Æmilia gens patricia, majorum gentium, Albano oriunda, à dulci facundia & lepore nomen habuit, ut loquitur Plutarchus in Numa. Ἀπ᾽ ἐκείνου δὲ καὶ τὸν Αἰμυλίων οἶκον ἀναμιχθέντα τοῖς Πατρικίοις ὀνομασθῆναί φασιν οὕτως ὑποκοριζομένου τοῦ βασιλέως τὴν ἐν τοῖς λόγοις αἱμυλίαν καὶ χάριν. *Ab illo Æmiliam quoque gentem Patriciis insertum nomen referunt traxisse, Regemque blando eo nomine expressisse illius in dicendo lepores & venustatem.* Inter plurima Æmiliæ gentis cognomina nullius Bassi apud Scriptores fit mentio.

Hic nummus mediocris formæ, est quoque rarissimus.



CORINT. II. VIR. *Corinthi Duumviris.* Caput Julii laureatum.

L. POMPONIO. C. IVLIO. Caput Augusti nudum.

Pomponia gens plebeia, à Pompone Numæ filio originem traxit, apud Plutarchum in Numa. Εἶναι γὰρ ἀπὸ τοῦ Πόμπωνος τοὺς Πομπωνίους. *Pomponis enim esse Pomponios sobolem.* In cujus memoriam L. Pomponius Molo apud Fulv. Ursinum in gente Pomponia Numam sacra facientem in denariis percussit. Julia gens familias habuit patricias & plebeias, ejus origo ab Julo Æneæ filio ad Venerem refertur, de quo Messala Corvinus lib. de Augusti progenie. *Æneas Julum cognominatum Ascanium, ex Creusa matre natum, qui & Julus fuit, à quo gens Julia, unde tuæ gentis vocabulum trahis, serenissime Auguste.*

Hic nummus medii moduli pro rarissimò computandus.

VALENTIA.





DIVI. IVLI. CAESAR. DIVI. F. IMP. Capita Julii & Augusti sine laurea, cervicibus oppositis.

C. I. V. *Colonia Julia Valentia.* Navis Prætoria.

Valentia citerioris Hispaniæ urbs ad Turiam fluvium sita, à Pompeio deleta est, ut tradit Sallustius Hist. lib. 3. *Castra*, inquit, *hostium apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Turiam, & dux hostium C. Herennius cum urbe* VALENTIA *& exercitus deleti.* Deinde restaurata, & Colonia facta, teste Plinio lib. 3. cap. 3. *Valentia Colonia* III. M. *pass. à mari remota.* Illam à Julio Cæsare deductam *Juliæ* nomen arguit; plurimis enim Hispaniam Coloniis frequentavit, ut ex Livio liquet lib. 4. Decad. 4. *Tertium Hispani genus Romani coloni ab Divo Cæsare post devictos Pompeii liberos adjecti.* Valentini Augusto gratulabundi, effigiem Julii patris Coloniæ fundatoris ipsi comitem signavere. Prætoria navis in parte postica, in mari potentiam urbis, aut ejus situm denotat.

Hic nummus primæ magnitudinis, nec rarus, nec obvius est.

COPIA.





DIVI. IVLI. IMP. CAESAR. DIVI. F. Capita Julii & Augusti cervicibus oppositis, in quibusdam palmæ ramo intermedio.

COPIA. Navis prætoria.

Nummus hic Coloniam Valentiam sequitur, vel ut ad illam spectans, aut ad incerta numismata, si nostra non arrideat conjectura, ablegandus. Tristanus tom. 1. pag. 18. eum ad Thurium magnæ Græciæ urbem, & P. Harduinus pag. 297. ad Lugdunum Galliæ revocarunt, sed frustra. Vox itaque COPIA, vel integra est, vel ejus litteræ sunt initiales, C. O. P. I. A. Si vox una, nomen est urbis, cujus apud Geographos nulla mentio: at nummus cum superiori ejusdem est formæ, moduli & magnitudinis, rudis quidem fabricæ, & ut videtur, Hispanicæ, eadem Julii & Augusti capita cervicibus oppositis ambo exhibent; ipsis eadem inscriptio, & iidem litterarum characteres, idem in posteriore parte typus, Navis Prætoria, cum hac sola tamen distinctione, ut ille in vertice has notas C. I. V. hic vero in imò præferat COPIA, unde illos ex illa maxima nummorum inter se similitudine ad eandem urbem pertinere suspicati sumus. Valentia itaque à Julio Cæsare Colonia deducta, ab Augusto pro horreo & apotheca, in qua militaris annona conderetur, electa, fortasse cognominata est COPIA: situs urbis ad id valde opportunus; quod etiam Navis Prætoria in nummo signata indicat. In ejus memoriam Valentini modò cum solito Coloniæ titulo, modò cum novo COPIA cognomine nummos capita beneficorum Principum exhibentes percusserunt.

Si minùs hæc probatur conjectura, en altera litterarum disjunctarum interpretatio, C. O. P. I. A.

Colonia

Colonia Octavanorum Pacensis Julia Augusta, ad Forum-Julii urbem spectans, si Plinium audias lib 3. c. 3. *Forum-Julii, Octavanorum Colonia, quæ Pacensis & classica.* Ergo rectè Colonia Octavanorum Pacensis, ex ipso legitur in nummo, *Julia* & *Augusta* cognomina supersunt Coloniarum nummis valde congruentia, *Julia* quidem ob priorem Fori-Julii appellationem, *Augusta* vero ob Coloniam legionis Octavæ Augustæ in eam ab Augusto deductam. Navis in parte posteriori earum præsidium ab illo in urbe locatum arguit, cujus meminit Tacitus lib. 4. Annal. *Italiam utroque mari duæ classes Misenum apud & Ravennam, proximumque Galliæ littus rostratæ naves præsidebant, quas Actiacâ victoriâ captas Augustus in oppidum Forojuliense miserat, valido cum remige.* Palmæ ramus inter Julii & Augusti capita in memoriam Ægypti ab utroque devictæ cusus videtur.

Hic nummus primæ formæ rarus nec obvius ut superior.

INCERTA.




C. ARRI. A. F. C. AQ. C. IVL. T. ANC. *Caio Arrio Auli filio, Caio Aquilio, Caio Julio; Tito Anchario.* Caput Julii.
II. VIR. QVINQ. EX D. D. *Duumviris Quinquennalibus ex decreto Decurionum.* Aratrum.

Numismata quæ urbis nomine carent, non ideo rejicienda putavimus, tum quia quidpiam singulare semper exhibent, Imperatorum effigies, aut Duumvirorum familias; tum quia fortè quædam occurrunt numismata, ex quibus urbium ubi cusa sunt, nomina deprehendere possimus: quare hæc anonyma ad incerta revocamus, prioribusque alphabetico ordine digestis annectimus. Hic nummus rarissimum præfert Julii caput, & nomen Anchariæ gentis plebeiæ in familiarum serie ab Ursino & Patino recensita, nondum observatum. Aratrum Coloniam à Julio deductam arguit, & quidem celeberrimam ob Quatuorviros ex una parte, & ex altera Duumviros Quinquennales, seu ad quinquennium creatos, seu omni quinquennio electos ut Romæ Censores.

Hic nummus minimi moduli ob Julii effigiem inter rarissimos collocandus.

DIVO IVLIO
LIB. IVL. EBORA
OB ILLIVS IN MVN.
ET MVNIC. LIBERALITATEM
EX D. D. D.
QVO IVS DEDICATIONE
VENERI GENITRICI CESTVM
MATRONÆ DONVM TVLERVNT. *Ex Resendio.*

M. ANTONIUS.




MARCUS ANTONIUS in hac ſerie collocatur, quia æquali cum Auguſto rerum potentiâ per plurimos annos potitus eſt: nam Populus Romanus amiſſo jam ſtatus popularis imperio, nondum tamen ſub unius poteſtatem devenerat; ideo CORINTHUS & NORBA Coloniæ à Julio Cæſare factæ, & Antonio & Auguſto nummos ſub iiſdem Duumviris percuſſerunt. M. quidem Antonius Triumvirali lege in Italiam, teſte Frontino, Colonias deduxit, *Aquinum*, *Junoniam Faliſcam*, *Florentiam*, *Formias*, *Teleſiam*, *Tudertem Fidam*, *Venafrum*, *Volaterram*, *& Ulabram.* Sed cùm cudendæ monetæ facultas Italiæ Coloniis haud conceſſa videatur, nullos earum nummos Imperatoribus dicatos obſervaveris.

M. ANTONII *nummi primæ magnitudinis hactenus non obſervati ſunt, ſecundæ & minimæ formæ rariſſimi.*

CORINTHUS.



CORINT. *Corinthi.* Caput M. Antonii ſine laurea.

P. AEBVTIO. C. PINNIO. II. VIR. *Publio Æbutio, Caio Pinnio Duumviris.* Prora navis.

Corinthus M. Antonio poſt necem Sexti Pompeii cum Achaia ceſſit, ut Sicilia & Sardinia Auguſto: pace enim inter eos omnes conſtitutâ hæ provinciæ Sexto fuerant conceſſæ, ut ex Dione liquet lib. 48. pag. 378. Αἱ δὲ δὴ συνθῆκαι ἐπὶ τοῖσδε ἐγένοντο...... Καὶ Σικελίας, καὶ Σαρδοῦς, τῆς τε Ἀχαΐας ἐπὶ πέντε ἔτη ἄρξαι. *Ejus verò pacis hæ fuerunt conditiones...... Quinquennale Sexto eſſe imperium in Siciliam, Sardiniam, & Achaiam.* Quod paulò pòſt pag. 380. confirmat. Ὁ Ἀντώνιος αὐτὸς μὲν ἐς τὴν Ἑλλάδα, ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ἐπανελθὼν ἐνταῦθα ἐπὶ πλεῖστον ἐνεχρόνισε, τάς τε ἐπιθυμίας ἅμα ἀποπιμπλὰς, καὶ τὰς πόλεις κακῶν, ἵνα ὅτι ἀσθενέσταται τῷ Σέξτῳ παραδοθῶσι. *Antonius in Græciam ex Italia reverſus, per multum ibi temporis exegit, ſimul ut ſuæ cupiditati ſatisfaceret, ſimul ut quammaximè debilis provincia Pompeio traderetur, urbes affligens.* Nil mirum igitur ſi Corinthii patrono nummos ſuos dedicarunt. Æbutia gens inter Patricias clariſſima. De Pinnia Cicero loquitur Fam. 13. ep. 62. Titus Pinnius eum tutorem & ſecundum hæredem inſtituit.

Hic nummus ſecundi moduli inter præſtantiſſimos ponendus.



CORINT. *Corinthi.* Caput Antonii nudum.

P. AEBVTIO. C. IVLIO HERAC. II. VIR. QVINQ. ITER. *Publio Æbutio, Caio Julio Heraclito Duumviris, Quinquennalibus iterum.* In laurea.

Duumviri in Coloniis Romanis quotannis tanquam Conſules Romæ creabantur, nec magiſtratum

tum ultrà prorogabant; quamobrem P. Æbutius & C. Julius, qui Duumviri Quinquennales in hoc nummo perhibentur, non de magiſtratu per quinquennium gerendo intelligendi, ſed de Cenſoribus omni quinquennio creatis; ob eam cauſam Quinquennalibus in Colonia vocatis: ut autem Quinquennalitii dicebantur munere jam functi, ita Quinquennales iterum, qui denuo creabantur. De Æbutia gente in ſuperiori nummo; de Julia autem in Julio Cæſare dictum eſt. Laurea ob Antonii de Armenis victoriam.

Hic nummus mediocris formæ in lib. Famil. Patini pag. 5. vulgatus, pro rariſſimo locandus.



CORINT. *Corinthi.* Caput M. Antonii ſine laurea.
P. ALITIO. L. MENIO. II. VIR. *Publio Alitio, L. Menio Duumviris.* Prora navis.

Nihil habet ſingulare hic nummus præter nomina Duumvirorum, quorum alter ad Alitiam gentem ſpectat, de qua altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium; ipſius autem prænomen *Publii* is primus obtinuit, qui priùs pupillus factus erat, quàm prænomen haberet. Meniæ meminit Livius lib. 39. Titum enim Menium refert Prætorem Urbis anno 583. Titi quidem prænomen habuit primus, à quodam Sabino, nomine Tito apud Valer. Maximum. A Titulo autem Feſtus originem trahere narrat, quòd Tituli milites patriam tuerentur quaſi Tituli. Prora navis vel ſitum urbis, vel claſſem ad Antonii obſequium paratam denotat.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter elegantiſſimos numerandus.



CORINT. *Corinthi.* Caput Antonii nudum.
P. AQUINO. C. IVLIO. II. VIR. *Publio Aquino, Caio Julio Duumviris.* Mulier ſedens, dextrâ pateram.

M. Antonius Corinthum amiſit paulò ante Actiacam pugnam, ut ex Dione liquet lib. 50. pag. 427. Ἀγρίππας δὲ τότε μὲν τήν τε Λευκάδα, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ σκάφη αἰφνιδίως ἐπιπλεύσας ἔλαβε, καὶ Πάτρας εἷλε, Κύιντον Νασίδιον ναυμαχίᾳ νικήσας, ὕστερον δὲ καὶ τὴν Κόρινθον παρεστήσατο. *Eo tempore Agrippa Leucadem repente advectus, inſulam, & naves quæ in ea erant, cepit, ac Patras deinde, victo navali pugnâ Q. Naſidio, poſt Corinthum quoque recepit.* An Aquinus ſit gentis ſeu familiæ nomen, vel potiùs cognomen, diſertè diſſeruit P. Seguinus edit. 2. p. 78. De Julia dictum eſt. Mulier ſedens, urbis genius eſſe videtur, pateram ad ſacrificium pro Antonio gerens.

Hic nummus mediocris formæ anteriores raritate ſuperat.

NOVA CARTHAGO.





C. I. N. C. EX D. D. *Colonia Julia Nova Carthago, ex decreto Decurionum.* Caput M. Antonii, pone quod Labyrinthus.
M. AIMILIO. T. FVFIO. II. VIR. *Marco Æmilio, Tito Fufio Duumviris.* In al. M. AIMILIVS. T. FVFIVS. Caput Auguſti.

Nummulus duo capita ſine laurea exhibet, unum, quod antiquitatis Romanæ gnari pro M. Antonii vultu norunt, cui frontis amplitudo, naſus aduncus, decora facies, & (ut ait Plutarchus) formæ ingenua dignitas; alterum effigiem Auguſti juvenilem habet. Ex parte Antonii litteras initiales C. I. N. C. plerique interpretantur, *Colonia Julia Nova Carthago.* Nova Carthago urbs eſt Hiſpa-

Hiſpaniæ Citerioris maritimæ, unde nummos Antonio & Auguſto in Hiſpania cuſos novimus, quam plerique M. Antonio tribuerunt ob vocem Appiani Ἰϐηρίαν pro Hiſpania interpretantes: ille enim de Bello civ. lib. 5. num. 701. Ὁ Καλήνὸς ἐτελεύτησε, καὶ ὁ Καῖσαρ ἐς ἀμφότερα πρόφασιν ἔχων ἦλθε, καὶ παρέλαμβανε τόν τε στρατὸν, καὶ τὴν Κελτικὴν ἐπ' αὐτῷ, καὶ Ἰϐηρίαν, καὶ τὰς δ' ἔθνους ὑπὸ Ἀντωνίῳ Φουφίου τοῦ παιδὸς Καλήνου καταπλαγέντος καὶ παραδόντος ἅπαντα ἀμαχεί. *Calenus fato functus eſt, Cæſar occaſione arreptâ profectus eſt eò, tum exercitum occupavit, tum Galliam Hiſpaniamque Antonii provincias, Fuſio Caleni filio per metum omnia dedente ſine certamine.* Sed καὶ τὴν Κελτικὴν καὶ Ἰϐηρίαν, *Celticam & Narbonenſem* explicandum eſt, ſi vox Ἰϐηρίαν accipiatur eo ſenſu quo Strabo lib. 3. pag. 166. narrat antiquitus quidquid in Gallia extra Rhodanum & Iſthmum uſque ad Iberum protenditur, peculiari nominis ratione Ἰϐηρίαν vocari: ſi verò Strabonis locus non arridet, pro Ἰϐηρίαν in Appiano ſubſtituendum ἑτέραν, *alteram*, id eſt, Galliam Narbonenſem; nam Antonio illa ab Auguſto permiſſa eſt.

Hiſpania nunquam in Antonii poteſtate apud Dionem in triplici provinciarum diviſione refertur: in prima inter Triumviros factâ, illa Lepido cum Gallia Narbonenſi, & M. Antonio reliqua omnis Gallia quæ cis ac trans Alpes jacet, ceſſit; in ſecunda, cùm Antonius & Auguſtus poſt Philippenſem pugnam Lepidi partem diviſiſſent, Hiſpania Auguſto & Numidia, Antonio Gallia atque Africa adſignatæ ſunt, hoc modo omnes Galliæ provinciæ ad Antonium devenerunt: nam in tertia diviſione poſt Fulviæ Antonii uxoris mortem, cùm Octavia Auguſti ſoror in matrimonium illi conceſſa fuiſſet, tum Cæſari Sardinia & Dalmatia, Hiſpaniaque & Gallia, Antonio reliquæ omnes trans Sinum Ionium regiones tam Europæ quàm Aſiæ, quæ juris Romani erant, obtigerunt; unde Hiſpania nunquam Antonio tributa.

Nummus Antonio & Auguſto à Novis Carthaginenſibus cuſus eſt, dum inter ſe concordi animo erant. Illius ſitum & à Scipione expugnationem legas apud Livium Dec. 3. lib. 3. Coloniam deinde Romanorum accepit, ut tradit Solinus cap. 25. *Carthaginem apud Iberos, quæ mox Colonia facta eſt, Pœni condiderunt.* Nomen *Juliæ* à Julio deductam arguit. De Æmilia gente dictum. Fuſia, plebeia eſt, ex qua Fuſius ille Calenus ſupramemoratus, Antonii partium fautor acerrimus, cujus Duumvir noſter aut propinquus aut libertus fuiſſe videtur, qui nummum in M. Antonii honorem cum Auguſto percuſſit. De labyrintho in Carthaginis Novæ nummis, in Auguſto.

Hic nummus minimæ formæ inter rariores collocandus, apud Patinum Fam. Rom. pag. 115. mutilus eſt.

NOTA.

Plurimi ex omni modulo nummi cum M. Antonii capite in rei antiquariæ ſtudioſorum cimeliis aſſervantur ſub ejus Præfectis & Legatis *Atratino*, *Bibulo*, *Fonteio*, *Oppio*, *Soſio*, & *Ventidio*, in urbibus illius ditioni ſubjectis percuſſi, imò & alii cum M. Antonii & Cleopatræ Reginæ jugata aut adverſa effigie in Ægypto ſignati occurrunt; ſed cùm illi omnes nullam Coloniarum notam ſeu Duumvirorum nomina præferant, ad familias Romanas, unde extracti ſunt, reſtituendi: interim nullas in Ægyptum Colonias ſub Imperatoribus fuiſſe deductas obſervandum, ideo ne earum nummos ad ejus provinciæ urbes revocare cogitaveris.

AUGUSTUS.



LURIMAS Auguftus in Italia & extra Italiam Colonias conftituit; plebeias quidem, cùm ille folus imperium tenuit; militares verò, cùm Pompeio ex Sicilia fugato, Lepidi Triumviri deditione, Antonii nece, bellis in Hifpania, Dalmatia & Germania geftis, veteranos milites quamplurimos in eas tranfmifit. Suetonius in ejus vita num. 46. illum duodetriginta Colonias in Italiam deduxiffe refert; Ancyranus Lapis in illas hominum circiter centum & viginti millia traduxiffe docet; imò Auguftus ipfemet in eo fic fcripfit, *Unus & folus omnium qui deduxerunt Colonias militum in provincias ad memoriam ætatis meæ.* En earum quæ in nummis nobis refiduæ funt, nomina, *Cæfarea Antiochenfis*, ASTURICA, BUTHROTUM, CÆSARAUGUSTA, CARTHAGO *Hifpaniæ*, EMERITA, *Germa*, ILLICE, PATRÆ, *Troas.* Ipfis adjungendæ funt Coloniæ à Julio Cæfare quidem deductæ, fed ab Augufto veteranis militibus auctæ, quibus in rei memoriam *Juliæ Auguftæ* nomen additum infcribitur, *Col. Jul. Aug.* BERYTUS, *Caffandria*, *Comana*, *Cremna*, DERTOSA, *Dium*, *Heliopolis*, *Parium*, *Pella*, *& Philippi.*

AUGUSTI *nummi primæ magnitudinis inter rariffimos adfcribuntur, fecundæ & minimæ formæ obvii & triti funt.*

ACCIS.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augufti laureatum, aliis fine laurea.
COL. ACCI. LEG. VI. *Colonia Accitana. Legiones fextæ.* Aquila legionaria, & vexillum inter duo figna militaria.

Accis urbs Hifpaniæ Bæticæ ad Chryfum fluvium Coloniæ titulo infignitur, ut ex Plinio liquet lib. 3. cap. 3. *Ex Colonia Accitana.* A quo deducta fit, mox videbitur. Aquila & vexillum cum fignis militaribus ad Coloniæ fupplementum ab Augufto factum fpectant, ex Veteranis fcilicet Legionum fextæ Ferratæ & fextæ Victricis.

Hic nummus mediæ formæ inter rariores computandus.



COL. GEM. ACCI. LEG. VI. *Colonia Gemella. Legio fexta.* Aquila legionaria inter duo figna militaria.

Accitani ex Plinio loco citato Gemellenfes dicti funt: *Ex Colonia Accitana Gemellenfes.* Sed unde illud nomen habuerint, non tradit; quod fuperftites ipfius Coloniæ nummi nos docent: voces enim illæ LEG. VI. cum fignis militaribus, colonos Veteranorum utriufque Legionis fextæ Accim deductos declarant. Quum Auguftus poft provinciarum cum Populo Romano divifionem Legiones ad earum munimentum in iis conftituere propofuiffet, illarum emeritos in Colonias feu

à Julio patre vel à se deductas transmisit; partem quidem Veteranorum Legionis sextæ Ferratæ, & partem sextæ Victricis Accim transtulit, unde Colonia ex gemino Legionum nomine *Gemella* dicta est, de qua mox uberiùs.

Hic nummus primæ magnitudinis in elegantissimorum numero scribendus.



C. I. G. A. *Colonia Julia Gemella Accitana.* Apex & simpulum.

In primo Accitanorum nummo, eorum urbs Coloniæ titulo ornatur ex Plinio; in altero, unde illi *Gemellæ* cognomen inditum, novimus; in hoc verò *Julia* inscribitur, haud dubiè à Julio Cæsare Coloniæ fundatore. Itaque *Juliæ* nomen à prima colonorum deductione, deinde *Gemellæ* appellationem ob Veteranos Legionis gemini nominis sextæ in eam transmissos accepit; & sic rectè legitur in nummo, *Colonia Gemella Accitana.* Ad typum igitur transeamus.

Apex & simpulum, pontificalia sunt ornamenta; apex, Pontificis maximi insigne; simpulum, Collegii Pontificum symbolum est: utrumque Colonia Accitana Augusto gratulans signavit, quòd ipsi jam Pontifici, morte Lepidi Triumviri, maximus Pontificatus cesserit. Cæsarem sacerdotio ornatum asserit N. Damascenus in Excerpt. pag. 477. Καὶ ἐνεγράφη εἰς τὴν ἱεροσύνην εἰς τὸν Λευκίου Δομιτίου τόπον τετελευτηκότος. *Et in collegium Pontificum adscriptus est in locum L. Domitii qui è vivis obierat.* Id factum est anno U. C. 705. ante CHr. 49. Dio autem lib. 54. pag. 540. illum Pontificatum maximum anno U. C. 741. ante CHr. 13. adeptum tradit: Επειδή τε τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος, ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη. *Quum Lepido mortuo, Augustus summus Pontifex esset creatus.*

Hic nummulus inter rarissimos adscribendus.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti sine laurea.
COL. AST. AVGVSTA. *Colonia Asturica Augusta.* Colonus agens boves.

An nummus ad Astam, vel ad Astigitanam, utramque Bœticæ provinciæ Coloniam, an verò ad Asturicam Hispaniæ Tarraconensis revocandus sit, inquirendum, cùm Asta apud Plin. l. 3. c. 3. *Regia* cognominetur: *Coloniæ, Asta quæ Regia dicitur*; & Astigi apud eundem *Firma* appelletur: *Astigitana Colonia, cognomine Augusta Firma*; Asturicæ tribuendum credimus. Urbs est ad Theram fluvium in Asturum & Vaccæorum confinio. Post Astures domitos Colonia videtur ab Augusto deducta. Ejus victoriæ meminit Dio lib. 54. pag. 524. Αστυρες, ὡς τάχιστα χωρίον τι πολιορκοῦντες ἀπηλάθησαν, καὶ μάχῃ μετὰ τοῦτ' ἐνικήθησαν, οὐκέτ' ἀντῆραν, ἀλλ' εὐθὺς ἐχειρώθησαν. *Astures verò, ut primùm ab oppugnatione oppidi cujusdam repulsi, prælio etiam deinde victi fuere, armis positis statim perdomiti sunt.*

Colonus agens bovem & vaccam, deductæ Coloniæ symbolum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis, eximiæ raritatis & elegantiæ habendus.

BERYTUS.



DIVOS AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.
COL. BER. *Colonia Berytus* aut *Berytensis.* Neptunus pede proræ imposito nudus stat, dextrâ delphinum, sinistrâ tridentem gerit.

Berytus Phœniciæ urbs littoralis, Neptunum pro tutelari numine venerata, templum, ut docent nummi, ædificavit: ipse Saturni & Opis filius, in Orbis totius divisione maris regnum obtinuit,

nuit, unde tridentem peculiare dominationis insigne gestat, ut ipse ait apud Virgil. Æneid. 1. Ventos alloquens:

Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.

Delphinum piscem sibi consecratum, seu gratissimum, dextrâ sustinet, teste Hygino lib. 2. *Qui Neptuno simulacrum faciunt, delphinum aut in manu aut sub pede ejus constituere videmus; quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur.* Berytenses proram navis sub Neptuni pede posuere, ut naves suas sub ejus tutela esse demonstrarent. Nomen *Divi* Augusto datum, nummum post ejus apotheosim à Berytensibus percussum arguit.

Hic nummus tertiæ magnitudinis nec rarus nec obvius.



DIVOS AVGVSTVS. Caput Augusti sine laurea.
COL. BER. V. VIII. *Colonia Berytus, quinta, octava,* subauditur *Legio.* Duæ aquilæ legionariæ.

Duæ illæ aquilæ legionariæ Veteranos duarum Legionum apud Berytenses in Coloniam deductos arguunt; earum meminit Strabo lib. 17. pag. 755. Βηρυτὸς δ' κατεσπάσθη μὲν ὑπὸ Τρύφωνος, ἀνελήφθη δὲ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων, δεξαμένη δύο τάγματα ἃ ἵδρυσεν Ἀγρίππας ἐν αὐτῇ. *Berytus verò à Tryphone diruta, nunc verò à Romanis instaurata, duabus Legionibus ibi ab Agrippa collocatis.* Notæ verò V. & VIII. in nummo earum sunt nomina. Strabo quidem nummum illustrat; sed nummus Strabonem magis locupletat, cùm Legionum nomina ab eo prætertita nobis suppeditet. V. *Macedonica* est; VIII. autem *Augusta*, quarum veterani milites partim Berytum, partim Heliopolim ejusdem Phœniciæ Colonias à Julio primùm deductas, in supplementum ab Augusto missi sunt; de quo intelligendus Eusebii locus in Chronico: *Coloniæ Berytum & Patras deductæ.* Id factum anno U.C. 740. ante CHr. 14. M. Crasso & Cn. Lentulo Coss. narrat Eusebius, cui adstipulari videtur Lapis Ancyranus: *Pro agris quos in Consulatu meo, & postea Consulibus Marco & Cn. Lentulo Augure adsignavi militibus solvi municipiis,* &c.

Legio V. *Macedonica* in Germania inferiore, & VIII. *Augusta* in Pannonia ab Augusto constitutæ fuerant; multi motus in his provinciis an. 738. teste Dione lib. 54. pag. 534. inciderunt. Καὶ οἱ Παννόνιοι τήν τε Ἰστρίαν μετὰ Νωρίκων κατέδραμον. *Pannonii cum Noricis in Istriam incursiones fecere.* Paulò post: Σύκαμβροί τε καὶ Οὐσιπέται τε καὶ Τέγκτηροι τὸ μὲν πρῶτον ἐν τῇ σφετέρᾳ τινὰς αὐτῶν συλλαβόντες ἀνεσταύρωσαν, ἔπειτα δὲ καὶ τὸν Ῥῆνον διαβάντες, τήν τε Γερμανίαν καὶ τὴν Γαλατίαν ἐλεηλάτησαν. *Sicambri, Usipetæ, & Tecteri primùm quosdam in suo territorio deprehensos Romanorum in crucem egerant: deinde Rheno transmisso, ex Germania Galliaque prædas egerant.* Hi populi ex Germania inferiori & Norici pacem obsidibus datis tandem acceperunt.

Itaque emeriti Legionum V. & VIII. in his provinciis locatarum milites Berytum & Heliopolim videntur traducti anno tantùm U.C. 740. ante CHr. 14. si quidem ex eodem Dione, Augustus, etsi nihil armis ad id bellum fuit opus, tamen reliquis rebus constituendis, hunc & posteriorem annum U.C. 739. quo Consulatum gesserunt M. Drusus Libo & L. Calpurnius Piso, absumpsit: his autem Consulibus M. Crassus & Cn. Lentulus successerunt, quo tempore M. Agrippa in Syria morabatur, ex qua apud eundem Dionem anno U.C. 741. ante CHr. 13. sequenti reversus est. Κἀν τούτῳ τὸν Ἀγρίππαν ἐκ τῆς Συρίας ἐλθόντα, τῇ τε δημαρχικῇ ἐξουσίᾳ αὖθις ἐς ἄλλα ἔτη πέντε ἐμεγάλυνε. *Post Agrippam ex Syria reversum Tribunitia potestate in aliud quinquennium prorogata cohonestavit.*

Hic nummus parvi moduli integerrimus in museo nostro eximiæ raritatis & elegantiæ.



DIVOS AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.
COL. IVL. BER. *Colonia Julia Berytus.* In aliis, COL. IVL. AVG. BER. *Colonia Julia Augusta Berytus.* In aliis, COL. AVG. FEL. BER. *Colonia Augusta Felix Berytus.* Colonus agens boves.

Berytus modò colonum, modò aquilas legionarias in Augusti nummis, & passim in aliis signat; colo-

colonum ſcilicet, ut primæ à Julio deductionis ſymbolum; aquilas verò legionarias, ut Veteranorum ſupplementi ab Auguſto tranſmiſſi inſignia, unde ipſi *Juliæ* & *Auguſtæ* ab utroque de ſe bene merito Principe nomina: illam enim Jure Italico donatam refert Paulus lib. 2. de Cenſibus: *Laodicia in Syria, & Berytos in Phœnice, juris Italici ſunt, & ſolum earum.* An verò urbs civitatis Romanæ jus à Julio acceperit, & ſolum ejus ab Auguſto immune factum fuerit, veroſimile videtur, quoniam apud eundem Paulum, *Auguſti beneficiis gratioſa, & (ut D. Hadrianus in quadam Oratione* ait) *Auguſtana Colonia* dicitur.

Hi nummi mediæ & minimæ formæ obvii & vulgares ſunt.

BILBILIS.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Auguſti ſine laurea.
BILBILIS. Figura equeſtris decurrens haſtâ directâ.

Bilbilis urbs eſt Celtiberorum in Hiſpania Tarraconenſi ad Salonem fluvium, de qua Strabo lib. 3. pag. 162. Καὶ Σεγόβριγα δ' ἐστὶ Κελτιβήρων πόλις, καὶ Βίλβιλις, περὶ ἃς Μέτελλος καὶ Σερτώριος ἐπολέμησαν. *Celtiberorum porro urbes ſunt Segobriga & Bilbilis, circa quas Metellus & Sertorius bellum geſſerunt.* Eques decurrens ſolitum urbis eſt inſigne, quod plurimæ Hiſpaniæ urbes ob equorum abundantiam ſibi vindicant. Equos quidem feros Hiſpaniam nutrire tradit ipſe Strabo loco cit. pag. 163. Φέρει δὲ ἡ Ἰβηρία δορκάδας πολλὰς καὶ ἵππους ἀγρίους. *Multas alit Hiſpania capreas & equos feros.* De Celtiberorum equis paulò pòſt loquitur. Ἴδιον δ' εἴρηκεν ἐν Ἰβηρίᾳ καὶ τὸ τὰς κορώνας μελαίνας εἶναι, καὶ τὸ τοὺς ἵππους τοὺς τῶν Κελτιβήρων ὑποψάρους ὄντας. *Idemque hoc Hiſpaniæ tradit peculiare eſſe, quòd cornices nigræ ſunt, & quòd Celtiberorum equi ſint ſubvariegati & verſicolores.* Sed Martialis, cui Bilbilis patria, nummum penitus illuſtrat lib. 1. Epigr. 49.

Videbis altam Liciniane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Hic nummus mediocris obvius & frequens.





BILBILIS. Caput Auguſti nudum.
ITALICA. Equus decurrens ut ſuprà.

An Bilbilis vocetur *Italica*, an duæ ſint urbes, inter rei nummariæ Scriptores diſceptatur. Ant. Antoninus Dial. 7. Bilbilim appellatam fuiſſe *Italicam* exiſtimat; Patinus Ant. Auguſtinum ſequutus eſt pag. 36. quem P. Harduinus errore falsò accuſat pag. 94. duaſque civitates eſſe contendit, & id probare nititur Caligulæ nummi Regii exemplo, in quo ab una parte COL. V. T. T. id eſt, *Colonia Victrix Togata Tarraco*, & ab altera OSCA; ſed nummus nunquam viſus eſt, & inſolita in Hiſpaniæ nummis hæc urbium ſocietas ſeu concordia. Bilbilis Municipium ſine ſuffragio, ab Auguſto jus Italicum habuiſſe videtur, unde *Italica* & *Auguſta* in nummis vocata eſt.

Hic nummus mediæ formæ tritus & vulgaris, ab Ant. Auguſtino Dial. 7. & à Patino pag. 35. vulgatus eſt.



AVGVSTVS DIVI PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

M. AVGVSTA BILBILIS. L. COR. CALDO L. SEMP. RVTIL. *Municipium Augusta Bilbilis. Lucio Cornelio Caldo, Lucio Sempronio Rutilo*, circa ambitum. II. VIR. *Duumviris*, in quercea.

Lege RVTILO apud P. Harduinum pro RVLLO pag. 94.

Bilbilis hoc in nummo Municipii dignitate & *Augustæ* titulo insignitur; *Municipium* quidem Reipublicæ tempore, ut plurimæ aliæ Hispaniæ urbes, facta; *Augusta* verò ab Augusto beneficio quodam accepto vocata est, si rectè auguramur; Municipium sine suffragio, jus suffragii ab Imperatore recepit, sicque pleno civitatis jure donata, & *Italica* & *Augusta* videtur nominata. Dio lib. 54. pag. 538. multas Hispaniæ urbes anno U. C. 740. jus illud ab Augusto obtinuisse narrat. Ο γοῦν Αὔγουστος, ἐπειδὴ πάντα τά τε ἐν ταῖς Γαλατίαις, καὶ τὰ ἐν τῇ Γερμανίαις, ταῖς τ' Ἰβηρίαις, πολλὰ μὲν ἀναλώσας ὡς ἑκάστοις, πολλὰ δὲ καὶ παρ' ἑτέρων λαβὼν, τὴν τε ἐλευθερίαν καὶ τὴν πολιτείαν τοῖς μὲν δοὺς, τοὺς δ' ἀφελόμενος. *Augustus, rebus Gallicis, Germanicis Hispanicisque omnibus confectis, cùm multos in singula sumptus fecisset, magnam ab aliis vim pecuniæ accepisset, libertatem ac jus civitatis aliis dedisset, aliis ademisset.*

Cornelia gens tum in patricias cùm in plebeias divisa, etsi in varias & propè innumerabiles stirpes seu cognomina distincta sit, novum tamen ac recens *Caldi* cognomen habet. *Sempronia*, patricia primùm fuit, postea ad plebem deducta, plebeia facta est. *Rutilus* à corporis colore dictus. Sempronius Rutilus Julii Cæsaris in bello Gallico Legatus, memoratur Comment. lib. 7. in fine.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habendus.



M. AVGVSTA BILBILIS. M. SEMP. TIBERI. L. LICINI. VARO. *Municipium Augusta Bilbilis. M. Sempronio Tiberino. Lucio Licinio Varo*, circa ambitum. II. VIR. *Duumviris*, in area.

Alter prodit Bilbilis nummus iisdem titulis ornatus, & coronâ pariter querceâ insignis, sed sub aliis Duumviris percussus. Bilbilitani coronam querceam Augusto ob cives in bello Cantabrico servatos signarunt: Romæ verò tanto Principi lauri & coronæ querceæ decretæ sunt, adstipulante Dione l. 53. p. 507. Καὶ γὰρ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον δρύινον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι, καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. *Nempe ut ante ipsius domum in palatio lauri ponerentur, ac super eas coronæ querceæ superadderentur, nimirum quòd perpetuus hostium victor, ac civium esset servator.*

In superiori nummo Duumvir *L. Sempronius Rutilus*, in hoc *M. Sempronius Tiberinus* recensetur, ex eadem ut videtur familia, sed cognominibus distincta. *Tiberinus* ex Probo dictus est is, qui ad flumen Tiberim natus. *Licinia* gens, plebeia est, cui cognomen.

Hic nummus mediocris moduli inter raros adscribendus.

BUTHROTUM.



C. A. BVT. EX DD. *Colonia Augusta Buthrotum, ex decreto Decur.* Caput Augusti.

Q. NAEVI. SVRA. A. HIP. TVL. NICER. II. VIR. B. *Quinto Nævio Sura, Aulo Hippio, Tullo Nicereo Duumviris bis.* Figura militari habitu stans, dextrâ demissâ, lævâ cartam involutam cum tæniis, ut videtur.

Buthrotum, urbs est Epiri littoralis, de qua Strabo lib. 7. pag. 324. Βουθρωτὸν ἐποίκους ἔχων Ῥωμαίους. *Buthrotum, quod habet coloniam Romanorum.* Nummus *Augustæ* nomen præferens, eam ab Augusto deductam arguit, eodem forsan tempore quo Colonia Patrensis. Figura militari habitu videtur Augustus, cartam velut involutam cum tæniis gerens, an Coloniæ diplomata?

Nævium, *Hippium* & *Nicereum* Triumviros, à quibus deducta sit Colonia, suspicamur, quorum nomina ad rei memoriam Duumvirûm auctoritate nummo adscripta sunt: notas verò II. VIR.

esse velut Romæ s. c. Addita forsan in area nummi littera B. ad designandum deductæ Coloniæ annum secundum: an verò tres denominentur ob amplitudinem Coloniæ.

Hic nummulus ex museo nostro in Thesaurum Regium evectus, rarissimus est.





BVTHR. AVGVSTVS. *Buthroti. Augustus.* Caput Augusti sine laurea.
P. POMPON..... *Publio Pomponio.* Pons cum tribus fornicibus.

Augustus coloniâ Buthrotum deductâ, pontem ad urbis commoditatem in Ambracio sinu super Acherontem structurâ insigni fecit, cujus meminit Plinius lib. 4. cap. 1. *Colonia Buthrotum, maximèque nobilitatus Ambracius sinus*, D. *pass. faucibus spatiosum æquor accipiens, longitudinis* XXXIX. M. *pass. in eum defertur amnis Acheron è lacu Thesprotiæ Acherusia profluens* XXXVI. M. *pass. inde, &* M. *pedum ponte mirabilis omnia sua mirantibus.* Buthrotii beneficii memores pontis figuram in Augusti nummis ad æternum rei monumentum cælarunt.
De *Pomponia* gente dictum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rarissimos collocandus.

CÆSARAUGUSTA.



AVGVSTVS. Caput Augusti sine laurea, in aliis laureatum.
C. A. *Cæsarea Augusta*, in laurea.

Cæsaraugusta urbs Hispaniæ Tarraconensis, priùs Salduba Plinio & Ptolemæo dicta, ad Iberum amnem à Strabone lib. 3. pag. 161. collocatur. Ἐπὶ ᾗ τῷ Ἴβηρι πόλις ἐςὶ Καισαραυγȣ̃ςα καλȣμένη. *Ad Iberum amnem est Cæsaraugusta.* Eo nomine ab Augusto, cùm eam deduxit Coloniam, donata est, unde memor, plurimos ipsi nummos consecravit, inter quos lauream illi ut perpetuo hostium victori exhibet. *Laurus*, inquit Plinius lib. 15. cap. 3. *triumphis propriè dicatur*, quam triumphantes gerere solebant, apud Dionem lib. 49. pag. 400. Ὁσάκις οἵ τινα πέμψαντες τὸ ςέφανον τὸ δάφνινον φέροιεν. *Ut quoties triumphans aliquis coronam lauream gestaret.* Laurus fulmine non tangitur, ex Plut. in Sympos.

Hic nummus primæ magnitudinis rarus est, mediæ & minimæ formæ obvius & frequens, à Patino pag. 33. vulgatus.



C. A. *Cæsarea Augusta*, in corona quercea.

Ut laureâ donabantur qui hostes vicissent, ita non minori laude, quercea iis qui cives servassent, concedebatur: si quidem ex Vopisco, civem unum mavult servare Scipio, quàm mille hostes perdere. Sed cur corona ex quercu potiùs quàm ex alia arbore seligebatur, audias Plutarchum Qu. Rom. p. 286. Πότερον ὅτι πανταχȣ̃ καὶ ῥᾳδίως ἐςὶν εὐπορῆσαι δρυὸς ἐπὶ ςρατείας; ἢ ὅτι Διὸς καὶ Ἥρας ἱερὸς ὁ ςέφανός ἐςιν, ὓς πολιȣ́χȣς νομίζȣσιν, ἢ παλαιὸν ἀπ' Ἀρκάδων τὸ ἔθος, οἷς ἐςί τις συγγένεια πρὸς τὴν δρῦν; πρῶτοι γὰρ ἀνθρώπων γεγονέναι δοκȣ̃σιν ἐκ γῆς, ὥσπερ ἡ δρῦς τῶν φυτῶν. *An quod ubique copia in expeditionibus est quercus, & quidem nullo negotio? aut quia Jovi & Junoni sacra est ista corona, quibus diis urbium tutelam assignant? aut prisca est hæc Arcadum consuetudo, quibus aliqua est cum quercu cognatio? primi enim hominum è terra nati creduntur, sicut quercus inter stirpes prima.*

Hic nummus secundæ formæ tritus & vulgaris est.



C. A. *Cæfarea Augufta.* Corona ex lauro & navium roftris contexta.

Cæfarauguftani, ut Coloniæ fundatoris Augufti victorias pofteris commendarent, coronam ex lauri foliis & navium roftris compofitam, ipfi tanquam hoftium terrâ marique victori, in nummis percufferunt. Suetonius Claudium, coronam navalem quafi domiti Oceani infigne, inter hoftilia fpolia faftigio Palatinæ domus fixiffe narrat.

Hic nummus mediocris moduli nec rarus nec obvius, à Patino pag. 33. *vulgatus eft.*



DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augufti radiatum.

C. C. A. SCIPIONE ET MONTANO II. VIR. *Colonia Cæfarea Augufta, Scipione & Montano Duumviris.* Fulmen alatum.

Caput Augufti coronâ radiatâ infigne, & infcriptio *Divi Patris*, nummum poft ejus mortem fignatum arguunt, Scipionis & Montani Duumvirorum fub Caligula Imperatore nomina ejus ævo percuffum denotant: frequenter autem occurrunt argentei & aurei nummi, in quibus ex una parte caput Augufti radiatum, & ex altera Caligulæ nuda effigies vifitur, quos ille in proavi memoriam cufiffe videtur, cùm ejus templum à Tiberio inchoatum fummâ munificentiâ perfeciffet, ut tradit Dio lib. 59. pag. 644. Τὸ ἡρῷον τὸ τοῦ Αὐγούστου ὡσίωσε τὴν ἐπινίκιον στολὴν ἐνδὺς, καὶ οἵ τε εὐγενέστατοι παῖδες, ὅσοι γε καὶ ἀμφιθαλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ᾖσαν, καὶ ἡ βουλὴ σὺν ταῖς γαμεταῖς σφῶν, ὅ τε δῆμος εἱστιάθη, θέαι τε παντοδαπαὶ ἐγένοντο. *Cujus habitu triumphali templum Augufti dedicavit, nobiliffimis pueris patrimis cum virginibus ejufdem ordinis hymnum canentibus; epulumque Senatoribus & eorum uxoribus ac populo datum, variaque fpectacula edita.* Ut autem nihil memoriæ Augufti deeffet, effigiem ejus in nummis radiatam exhibuit Caligula; Cæfarauguftani verò & Caligulæ nummos, & caput Augufti cum *Divi* titulo & radiata corona ornatum, ut ipfi gratularentur, fub iifdem Duumviris Scipione & Montano percufferunt. Fulmen in averfa parte, divinitatis fymbolum eft. Illuftr. Spanhemius Diff. 5. pag. 395. Imperatoribus illud in eorum nummis appofitum exiftimat tanquam Jovibus Latiis, *quâ ratione*, ait, *fulmen in dextra Julii Cæfaris collocatur in antiquo Epigrammate:*

Οἷα Ζεὺς νέος ἄλλος ἐν Αὐσονίοισιν ἀκούων.
Ut Jupiter novus alius in Aufoniis audiens.

Hic nummus majoris moduli à Patino in omiffis pag. 311. *vulgatus, eft rariffimus.*



AVGVSTO DIVI F. LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. *Augufto Divi filio. Legio quarta, Legio fexta, Legio decima.* Vexillum inter duo manipulorum figna.

C. C. A. TIB. FLAVO. PRAEF. GERM. IVVENT. LVPERCO. II. VIR. *Colonia Cæfarea Augufta, Tiberio Flavo Præfecto Germanorum, Lucio Juventio Luperco Duumviris.* Colonus agens boves.

Nummum vulgavit Seguinus nofter pag. 119. edit. 2. quem ab hifce tribus Legionibus Cæfarauguftæ hiberna agentibus fignatum arbitratur. Sed unde Legionibus jus cudendæ monetæ conceffum

ceſſum eſt? Nos autem ad Coloniæ originem ſpectare hæc ſigna militaria contendimus. Colonus hinc agens boves partim ex plebe, ſigna inde Legionum partim ex Veteranis deductæ Coloniæ ſymbola ſunt. Legionum in nummo nomina illas indicant, ex quibus Veterani Cæſaraugustam tranſmiſſi fuere, Legio IV. colonos ex unica, nomine *Scythica*, deductos denotat; ſed cùm VI. duæ eſſent, una *Victrix*, altera *Ferrata*, & X. pariter duæ, una *Gemina*, altera *Fretenſis*, ex ſexta *Ferrata* & decima *Fretenſi* potiùs, quàm ex duabus aliis, deductos colonos putamus, quòd illæ in Hiſpania ab Auguſto ad provinciæ munimentum ſint conſtitutæ, IV. verò *Scythica* in Syriam tranſmiſſa; unde illam nunquam in Hiſpania locatam novimus: ex quo Seguini ſententia convellitur, qui eam Cæſarauguſtæ hiberna agere narrat. De Duumviris infrà.

Hic nummus primæ magnitudinis præſtantiſſimus eſt.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Auguſti laureatum.

C. C. A. TIB. CLOD. FLAVO PRAEF. GERMAN. L. IVVENT. LVP. II. VIR. *Colonia Cæſarea Auguſta. Tiberio Clodio Flavo Præfecto Germanorum, Lucio Juventio Luperco Duumviris.* Bos.

Apud Com. Mediobarbum pag. 46. pro TIB. FIANO lege TIB. FLAVO, & pag. 47. pro TI. CLOD. FIANO, repone TI. CLOD. FLAVO; in Indice dele TIB. FIANO FABIO.

En alterum ſub iiſdem Duumviris deductæ Coloniæ ſymbolum: bos enim pro earum, imò & Municipiorum inſigni ab Antiquariis reputatur; quibuſdam ſoli fertilitatem denotare videtur, ad agriculturam cives invitans, à Plutarcho in Theſeo pag. II. refertur. Ἔκοψε δὲ καὶ νόμισμα βοῦν ἐγχαράξας ἢ διὰ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, ἢ διὰ τὸν Μίνω στρατηγὸν, ἢ πρὸς γεωργίαν τοὺς πολίτας παρακαλῶν. *Signavit etiam nummum inciſo bove, vel ob taurum Marathonium, vel ob Minois ducem, vel ad agriculturam cives incitans.*

Primus Duumvir in ſuperiori nummo cum prænomine & cognomine tantùm deſignatus, in hoc gentis nomen exhibet, vocaturque *Tiberius Clodius Flavus*, *Tiberii* prænomen datum eſt, ex Probo in Epitome, iis qui ad flumen Tiberim naſcebantur. *Clodiam* gentem à Clodio Æneæ ſocio nuncupatam ſcribit Feſtus Pompeius. Cognomen *Flavi* à capillitio inditum narrant. Sed hic Duumvir *Præfectus Germanorum*, id eſt cohortis, inſcribitur; quem titulum etſi emeritus conſervaſſe videtur, & in nummo cum Duumviri dignitate appoſuit. Alter Duumvir, *Lucius Juventius Lupercus* appellatur. *Lucius* à Lucumonibus dictus, aut qui lucis initio natus eſt. *Juventiorum* familiam nobilem & conſularem ex Municipio Tuſculano Romam veniſſe, auctor eſt Cicero Orat. pro Cn. Plancio. *Luperci* cognomen à buccinatoribus luporum pelles geſtantibus dictum aiunt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro raro notandus.



AVGVSTVS DIVI F. COS. XI. DES. XII. TR. P. XIX. Caput Auguſti laureatum.

CAESAREA. AVGVSTA. C. ALLIARIO. T. VERRIO II. VIR. Colonus agens boves.

Similis nummus apud Occonem pag. 64. & Mediobarbum pag. 47. reſarciendus ut ſuprà.

Cæſarauguſtani Auguſtum in nummo Conſulem deſignatum XII. inſcripſerunt, ei gratulantes, quòd multis Conſulatibus, cùm deferrentur, pòſt XI. recuſatis, magno demum intervallo, id eſt ſeptemdecim annorum, petierit ultrò duodecimum.

Colonus agens bovem & vaccam, deductæ Coloniæ ſymbolum eſt: bos enim & vacca cum aratro jungebantur ad terminos Coloniæ deſignandos, ex Varrone lib. 4. de Lingua Latina; ita ut vacca verſus urbem quam conderent propinquior eſſet, ut mulieribus puerorum & familiæ curam eſſe denotarent; exterioribus verò bos, ut hominibus agrorum culturam indicarent, ductoque aratro mœnia deducebant, & eo ſublevato, ubi portam locare vellent. Vide Raph. Fabrettum de Col. Trajani cap. 6. pag. 152.

De

De *Alliariâ* gente altum apud Historicos silentium. *Verria* gens nota est, Verrius Flaccus, alter Juris Pontificii peritissimus, alter superioris libertus, docendi genere maximè clarus.

Hic nummus mediocris formæ inter raros collocandus.



IMP. TRIBVN. POTES. XX. Caput Augusti laureatum.

CAESAREA. AVGVSTA. CN. DOM. AMP. C. VET. LANG. II. VIR. *Cæsarea Augusta, Cneo Domitio Amplo, Caio Vettio Languido Duumviris.* Colonus agens boves.

Mediobarbus pag. 47. ex Occone pag. 65. hic verò ex Goltzio pag. 51. scribunt CN. DOM. L. DO. M. C. VET. C. AVG. III. VIR. & in sequenti nummo CN. DOM. IMP. C. VET. LANG. II. VIR. pro CN. DOM. AMP. C. VET. LANG. II. VIR.

Cæsaraugustani Tribunitiam potestatem XX. forsan eâ ratione signarunt, quâ in superiori nummo COS. XI. DES. XII. apposuerant, lætantes scilicet quòd Augustus tandem post septemdecim annos Consul design. XI. consulatum XII. gereret in hac XX. Tribunitia potestate, quia bonum omen ex ejus Consulatu augurabantur: Dio enim lib. 53. pag. 521. refert, cùm multa prodigia Romam terruissent, causam malorum creditam fuisse, quòd Augustus non esset Consul. Νομίσαντες οἱ Ῥωμαῖοι οὐκ ἄλλως σφίσι ταῦτα συμβεβήκεναι, ἀλλ' ὅτι μὴ καὶ τότε ὑπατεύοντα τὸν Αὔγουστον ἔσχον. *Romani existimantes id sibi haud alia de causa contingere, quàm quòd Augustum non eo etiam anno Consulem haberent.*

Gentis *Domitiæ* duæ claruerunt familiæ, altera patricia, altera plebeia, à quibus prænomina nulla præterquam Lucii & Cnei usurpata sunt: *Cneus* autem ob insigne nævi qui in corpore gignitur, dictus est. *Vettia*, aliis *Vectia*, gens, plebeia est: Q. Vettius Duumvir cum L. Cornelio, Cæsare V. Consule, apud Gruterum pag. 299. renuntiatur.

Hic nummus secundæ magnitudinis tritus & vulgaris est.



AVGVSTVS DIVI. F. Caput Augusti laureatum.

CAESAR. AVGVSTA. L. CASSIO. C. VALE. FEN. II. VIR. *Cæsarea Augusta, Lucio Cassio, Caio Valerio Fenestellâ Duumviris.* Colonus agens boves.

Nummus nihil habet singulare præter Duumvirorum nomina: typus enim idem. *Cassia* gens in patricias & plebeias divisa est. *Valeriam* è Sabinis oriundam cum Tatio Rege Romam venisse tradit Dionysius l. 4. ejus verò Principem *Volusum Valerium* nominat Plutarchus in Publicola. *Caii* prænomen à gaudio patrum refert Valerius. *Fenestella* cognomen, an à fenestra diminutivum? *L. Fenestella* Historicus Romanus citatur à Plinio lib. 33. cap. 11. mortuus est sub Tiberio novissimo ejus principatu septuagenarius, & sepelitur Cumis. Eusebius.

Hic nummus mediocris formæ in Patini Indice vulgatus, frequens & obvius habetur.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

CAESAR. AVGVSTA. M. KANINIO ITER. L. TITIO. II. VIR. *Manio Kaninio iterum, Lucio Titio Duumviris.* Colonus agens boves.

Pro FAVINIO ITER. TITIO apud Mediobarbum pag. 47. lege M. KANINIO. ITER. L. TITIO.

Manius Kaninius vir summæ virtutis & dignitatis fuisse videtur, ut Duumvir iterum sit creatus: pauci enim in nummis bis Duumviratum gessisse notantur. *Kaninia* gens, eadem quæ *Caninia*, Consularis, duas habuit apud Historicos familias, *Rebilos* & *Regulos*, in nummis *Gallos* & *Labeones*. *Manii* cognomen habuit, qui mane ortus est, aut ominis causâ, quasi bonus: *manium* enim antiqui bonum dicebant, ex Varrone. *Tertius*, prænomen à numero. De *Lucio* dictum est. *Titia* gens ab antiquis Scriptoribus inter plebeias numeratur. *Titius* alter prænomine *Sextus*, Duumvir cum L. Geminio apud Gruterum pag. 315. sub Augusto etiam perhibetur.

Hic nummus secundi moduli nec rarus nec obvius est.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

CAESAR. AVGVSTA. Q. LVTATI. M. FABI. II. VIR. *Quinto Lutatio*, *M. Fabio Duumviris.* Colonus agens boves.

Quintus Lutatius primus Duumvir in nummo perhibetur. *Quinti* prænomen à numero dictum. *Lutatia* gens, plebeia, sed consularis: C. Lutatius Catulus consulatum gessit anno U. C. 502. de quo Silius 13.

Prosternis Pœnos navali marte, Lutati.

Alter Duumvir *Marcus Fabius* appellatur: *Marcus* autem dictus est, qui mense Martio natus, ex Varrone. *Fabia* gens, patricia, ita antiqua, ut familiæ suæ auctorem dixerint Herculem, quem ferunt cum Evandri filia congressum genuisse Fabium, à quo deinde Fabiorum familia descenderit: Plut. in Fabio Max. Sunt qui *Fabios* ab agrorum fossione *Fodios* primùm appellatos, deinde mutatis duabus litteris *Fabios* dictos, memoriæ prodiderunt. De *Fabia* gente Ovidius lib. 3. Fast.

Romanos decorat Fabiorum clara propago.

Hic nummus secundæ magnitudinis ab Ant. Augustino Dial. 7. & à Patino pag. 33. vulgatus, frequens & obvius est.



IMP. DIVI F. Caput Augusti nudum.

CAESAR. AVGVSTA. Q. MAXIMO ITER. C. VALENTINO II. VIR. *Quinto Maximo iterum*, *Caio Valentino Duumviris.* Colonus agens boves.

Apud Mediobarbum pag. 47. ex Occone pag. 73. pro FINO repone VALENTINO.

Quintus Maximus & C. Valentinus ex quibus fuerint gentibus ignoratur, prænomina tantùm & cognomina eorum sunt; *Maximus* quidem prænomen multis familiis vulgare, *Valentinus* verò Valeriis peculiare est: primus Duumvir *Maximus*, iterum duumviratum gessisse notatur, an post decennium, ut Romæ Consules.

Hic nummus mediocris formæ nec rarus nec obvius est.



IMP. AVG. TRIB. POTES. XIV. Caput laureatum, ante quod lituus, & pone simpulum.

CAESAR. AVGVSTA. M. PORCI. CN. FAD. II. VIR. *Marco Porcio*, *Cneo Fadio Duumviris.* Colonus agens boves.

Cæsaraugustani signa pontificalia lituum ante Augusti faciem, simpulum verò pone caput gratulantes

ftulantes poſuerunt, quod Flamen Dialis, poſt L. Merulam bello civili Mariano occiſum, primus fuiſſet creatus anno U. C. 744. Julio Antonio Africano & Q. Fabio Maximo Coſſ. cùm Tribunitiam poteſtatem XIV. in nummo ſignatam ageret, cujus meminit Dio lib. 54. pag. 546. Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ ὅτε ἱερεὺς τοῦ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μερόλαν ἀπεδείχθη. *Tum quoque primum poſt Merulam Flamen Dialis creatus eſt.* Quod Suetonius confirmat in ejus vita num. 31. *Nonnulla etiam ex antiquis cærimoniis paulatim abolita reſtituit, ut Salutis Augurium, Diale Flaminium,* &c.

Porcia gens, plebeia, ex Tuſculo Municipio oriunda. Porcios à porcis dictos ſcribit Plutarchus in Publicola, ut à ſuibus Suillios; cui adſtipulatur Varro lib. 2. de re ruſt. cap. 1. *Nomina multa*, inquit, *habemus ab utroque pecore, à majore & à minore: à minore Porcius, Ovilius, Caprilius; ſic à majore Equilius*, &c. *Fadia*, etiam plebeia eſt; T. Fadius Gallus Tribunus plebis anno U. C. 696. qui priùs Ciceronis Quæſtor perhibetur.

Hic nummus medii moduli rarus eſt.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Auguſti laureatum.
CAESAR. AVGVSTA. C. SABINO. P. VARO. II. VIR. Colonus agens boves.

Cæſarauguſtæ meminit Prudentius de Martyribus Cæſarauguſtanis:

Cæſarauguſtam vocitamus urbem.

Caius Sabinus & *Publius Varus* ad quas pertineant familias, cùm prænomina & cognomina ſint, difficile eſt pronuntiare. *Sabinus* dictus eſt Claudius gentis ſuæ primus, quòd ortus eſſet ex oppido Sabinorum. *Varus* appellatus eſt, qui crura incurva haberet; inde plurimarum gentium cognomen Quinctiliorum perpetuum fuit, quibus prænomen *Publii* familiare.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter raros collocandus.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Auguſti laureatum.
CAESAR. AVGVSTA. Q. STATIO. M. FABRICIO. II. VIR. *Cæſarea Auguſta. Quinto Statio, Marco Fabricio Duumviris.* Colonus agens boves.

Statia gens, plebeia ſatis vetuſta. T. Livius Dec. 1. lib. 2. T. Statii Tribuni plebis anno U.C. 279. meminit. *Fabricia*, Conſularis, Luſcini cognomento. C. Fabricius conſulatum geſſit anno U.C. 581. de quo Virgilius Æneid. 6.

Fabricius parvo contentus, munera Regum
Qui ſpernit, Pyrrhum & Samnites marte laceſſit.

Ejus geſta apud Livium, Ciceronem, Valerium, Gellium & Suidam legas.

Hic nummus mediocris moduli ob familiarum nomina inter rariores adſcribendus.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Auguſti laureatum.
CAES. AVGVS. L. CASSIO C. VALERIO II. VIR. Vexillum aræ impoſitum.

Ara & vexillum ad Coloniæ originem ſpectant. Dum autem Colonia deducebatur, aram primùm exſtruebant, ſupra quam ſacra fierent, priuſquam colonus aratro terminos urbis deſignaret; qua de re ille in variis nummis velatus ritu Sabino bovem & vaccam agit: ſacrificio peracto, vexillum Legionis in ea deducendæ nomen præferens imponebatur.

L. Cassius & *C. Valerius* Duumviri cum typo coloni boves agentis suprà percussi sunt, de quibus eo loco dictum est.

Hic nummus minimæ formæ obvius & tritus est.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

CAES. AVGVS. CN. DOM. AMP. C. VET. LANG. II. VIR. *Cneo Domitio Amplo*, *Caio Vettio Languido Duumviris.* Vexillum supra aram.

Alter jam nummus sub iisdem Cneo Domitio Amplo & Caio Vettio Languido Duumviris cum coloni boves agentis typo percussus, nunc vexillo & arâ altero Coloniæ deductæ insigni prodit. De utroque loquentem audias Ciceronem Philipp. 2. in M. Antonium. *Casilinum Coloniam deduxisti, quò erat paucis annis antè deducta, ut vexillum videres, & aratrum conduceres.*

De his Duumviris dictum est; *Ampli* cognomen à corporis habitu; *Languidi* verò à debili sanitatis statu.

Hic nummus minimi moduli pro raro habendus.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

CAES. AVGVS. MA. KANI. ITER. L. TITI. II. VIR. *Cæsarea Augusta*, *Manio Kaninio iterum*, *Lucio Titio Duumviris.* Vexillum aræ impositum.

Apud Mediobarbum pag. 46. pro MAN. GRANIO ITER. repone MAN. KANINIO ITER.

Jam prodiit nummus secundæ magnitudinis sub Manii Kaninii & Lucii Titii Duumviratu, cum colono boves agente signatus; nunc verò alter minimæ formæ cum vexillo & ara. Illud verò notandum, quòd Coloniarum nummi secundi moduli bovem, aut colonum boves agentem, & nunquam vexillum aræ impositum, exhibeant; at verò minimæ formæ numismata semper vexillum, & rarò bovem aut colonum. De his Duumviris dictum est.

Hic nummus tertiæ magnitudinis inter raros collocandus.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

CAESAR. AVGVSTA M. PORCI. CN. FADI. II. VIR. *M. Porcio*, *Cneo Fadio Duumviris.* Vexillum aræ impositum.

Vexillum super ara, solitus nummorum minimæ formæ typus, iterum prodit sub eodem M. Porcii & Cn. Fadii Duumviratu, qui colonum cum bovibus suprà signarunt. De *Porcia* & *Fadia* gente dictum est.

Hic nummulus à Patino pag. 33. vulgatus, frequens & obvius est.





IMP. CAESAR AVG. C. CAES. COS. DES. *Imperator Cæsar Augustus, Caius Cæsar Consul designatus.* Tres figuræ stantes supra cippos, Augustus velatus inter Caium & Lucium prætextâ togâ ornatos. Augustus Caio capedunculam seu simpulum porrigit.

CAESAREA. AVGVSTA. CN. DOM. AMP. C. VET. LANG. II. VIR. *Cneo Domitio Amplo, Caio Vettio Languido Duumviris.* Tria signa militaria.

Singularis hic nummus à Cæsaraugustanis in memoriam sacerdotii ab Augusto Caio Cæsari collati percussus, solemnem à Pontifice Maximo ipsius conferendi ritum exhibet. Augustus velo ornatus simpulum Caio prætextato porrigit, Lucio fratre ex altera parte spectante: is enim ausus fuerat ab Augusto petere ut consulatus daretur Caio fratri nondum ex ephebis egresso, quem etsi indignatus pater, Senatus Populique Rom. decreto annum 15. agentem designavit Consulem, deinde ipsi sacerdotium detulit, cujus testes nummus & Dio lib. 55. p. 554. Καὶ μετὰ τοῦθ' ἱερωσύνην μέν τινα αὐτῷ, καὶ τὴν ἐς τὸ συνέδριον συμφοίτησιν, τό, τε θεᾶσθαι, τῇ βουλῇ ἔδωκε. *Deinde sacerdotium Caio, utque in Senatum ire, & inter Senatores spectaculis epulisque interesse liceret, dedit.* Augustus Caium Consulem designatum in Armeniam misit, ubi læsus, Romam rediens, in Cilicia interiit. Vide erudita P. Norisii in Cenot. Pisan. Commentaria. Signa militaria ad Coloniæ militaris originem spectant.

Hic nummus primæ magnitudinis, eximiæ raritatis & elegantiæ habendus, cujus typum propria manu delineavit Cardinalis de Massimi, dum erat in Hispania Nuntius, & mihi pro sua in Antiquarios singulari benevolentia communicavit.

CALAGURIS.



M. CAL. IVL. *Municipium Calaguris Julia.* Caput Augusti sine laurea.

Q. AEM. C. POST. MIL. II. VIR. *Quinto Æmilio, Caio Postumio Milone Duumviris.* Bos.

Calaguris urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluvium, inter oppida civium Romanorum à Plinio lib. 3. cap. 3. recensetur; in nummo verò & *Municipium* nominatur, & *Julia* inscribitur. Municipium quidem ut aliæ urbes *Graccuris*, *Ergavica*, *Osicerda*, &c. Reipublicæ tempore cum jure veteris Latii facta, deinde à Julio Cæsare suffragii jure donata, *Julia* vocata est, uti Bilbilim post jus idem ab Augusto acceptum, *Augustæ* nomen habuisse suprà retulimus. Julius Cæsar multas in Hispaniam deduxit Colonias, Liv. 4. *Tertium genus Romani coloni ab D. Cæsare post devictos Pompeii liberos adjecti.* Multa Hispaniæ urbibus beneficia contulit. Hirtius de Bello Hisp. *Eam provinciam ex omnibus provinciis peculiarem sibi constituisse, & quæ potuisset beneficia largitum; vectigalia quæ Metellus imposuisset, à Senatu petiisse, & eis pecuniis provinciam liberasse.*

De *Æmilia* gente dictum est. *Postumia* autem, patricia & vetustissima est, si quidem P. Postumius Tubertus Consul anno quinto post exactos Reges triumphavit, ut ait Livius Dec. 1. l. 2. Bos, solemne Municipiorum symbolum.

Hic nummus secundæ formæ obvius est.



M. C. I. *Municipium Calaguris Julia.* IMP. AVGVSTVS. Caput Augusti sine laurea.

Q. ANTONI. L. FABI. II. VIR. *Quinto Antonio, Lucio Fabio Duumviris.* Bos.

Plurimos Calaguritani Augusto nummos, sed ferè omnes cum bovis typo Municipii insigni obtulerunt, ideo parum eruditionis illi continent, si historiam spectas: porrò æstimandi sunt, cùm Romanarum familiarum notitiam in signandis Duumvirorum nominibus exhibeant, unde ipsi propagati jura institutaque urbis conservant. *Antonia* gens in patricias & plebeias divisa, ab Anteone aut Antone Herculis filio aut socio originem duxisse se jactabat. *Fabia*, patricia, majorum gentium, ut opinatur Fulv. Ursinus, à Fabio Herculis etiam filio ortum trahere glo-

rabatur; sed Augusti tempore ferè omnes Fabii, novi erant homines, si Ant. Augustinum audias in Fam. Rom.

Hic nummus medii moduli nec rarus nec obvius.



MV. CAL. I. IMP. AVGVS. *Municipium Calaguris Julia. Imperator Augustus.* Caput Augusti sine laurea.

L. BAEBI. P. ANTESTI. II. VIR. *Lucio Bæbio, P. Antestio Duumviris.* Bos.

Apud Mediobarbum p. 47. pro L. B. BEBI. C. ATESTI. lege L. BAEBI. P. ANTESTI.

Strabo lib. 3. Calaguritanos in Vasconum regione collocat. Καὶ ἐν Καλάγυρι Οὐασκώνων πόλις. *Et in Calaguri Vasconum urbe.*

Bæbia gens, plebeia, plurimis cognominibus distincta, *Dives*, *Sulca*, & *Tampilus:* quidam verò scribunt *Bebius*. *Antestia*, eadem videtur quàm *Antistia*, pariter plebeia est, cujus præcipua sunt cognomina, *Rheginus*, *Vetus*, & *Labeo*.

Hic nummus mediocris moduli rarus est.



MV. CAL. IVLIA. AVGVSTVS. *Municipium Calaguris Julia. Augustus.* Caput Augusti laureatum.

L. BAEB. PRISCO C. GRANIO BROC. II. VIR. *Lucio Bæbio Prisco, Caio Granio Broccho Duumviris.*

Apud Mediobarbum pag. 47. pro C. GRAV. BROC. lege C. GRAN. BROC. Nulla gens *Gravia*.

Urbis Calaguris meminit Florus lib. 4. in Bello Sertoriano. *Et in fame*, inquit, *nihil non experta Calaguris.*

Bæbius in hoc nummo *Prisci* cognomen multis familiis vulgare præfert, & unà cum Caio Granio conscribitur, in anteriori verò cum Antestio; sed alter alteri Duumviro suffectus videtur. *Grania* gens, plebeia. *Brocchi* cognomen apud veteres datum est ei cujus dentes prominebant, teste Varrone.

Hic nummus secundæ magnitudinis ab Ant. Augustino Dial. 7. & à Patino pag. 34. vulgatus, frequens & obvius est.



MV. CAL. I. AVGVSTVS. *Municipium Calaguris Julia.* Caput Augusti sine laurea.

Q. BAEB. FLAVO C. SEMP. BARB. II. VIR. *Quinto Bæbio Flavo, Caio Sempronio Barbato* aut *Barbula, Duumviris.* Bos.

Apud Mediobarbum p. 47. pro Q. BAEB. FIL. AVO, lege Q. BAEB. FLAVO.

Ad Calagurim Sertorianorum victoriæ meminit Appianus de Bello civ. l. 1. Σερτώριος δὲ καὶ τὰ πεσόντα ἤγειρε, καὶ τοῖς περὶ τι χωρίον Καλάγυριν στρατοπεδεύουσιν ἐπιδραμὼν ἔκτεινε τρισχιλίους. *Sertoriani reparatâ mœnium parte quæ corruerat, hostem ad Calagurim adepti, occiderunt tria millia.*

En alter *Bæbius* in hoc nummo Duumvir, ejusdem ut videtur familiæ, sed prænomine & cognomine distinctus; anterior quidem *Lucius Bæbius Priscus*, hic verò *Quintus Bæbius Flavus* appel-

appellatur. *Flavi* cognomen à colore. De *Sempronia* gente dictum est. *Barbatus* è barba depromptus, ut & *Barbula*.

Hic nummus mediæ formæ inter raros locandus.



IMP. AVGVST. PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

MV. C. I. M. LIC. CAPEL. C. FVL. RVTIL. II. VIR. *Municipium Calaguris Julia. Marco Licinio Capella, Caio Fulvio Rutilo Duumviris.* Bos.

Calaguritani Augusto gratulantes, nomen *Patris patriæ* in ejus nummis apposuisse videntur, postquam illud anno U. C. 751. per Val. Messalam Consulem ei delatum esset, teste Suetonio cap. 58. *Patris patriæ cognomen universi repentino maximoque consensu ei detulerunt.... per Valerium Messalam id mandantibus cunctis.* Quod ei ob clementiam datum narrat Aurel. Victor de Cæsarib. *Pater patriæ ob clementiam, ac Tribunitia potestate perpetuò habitus.*

Licinia gens à Licino cognomine dicta, inter plebeias numeratur, cui cognomen *Capellæ* novum, licèt plurimis distincta sit stirpibus. *Fulvia* à fulvo colore vocata, inter plebeias pariter recensetur, cui etiam *Rutili* cognomen à corporis colore recens est.

Hic nummus secundi moduli nec rarus nec obvius est.



MV. CAL. IVL. *Municipium Calaguris Julia.* Caput Augusti sine laurea.

C. MAR. CAP. Q. VRSO II. VIR. *Caio Mario Capitone, Quinto Urso Duumviris.* Bos.

Nil mirum si Calaguritani tam multos Augusto nummos dedicarint, cùm non solùm Julii ejus patris beneficiis, à quo urbs nomen *Juliæ* habuit, obstricti essent; sed ipsi Augusto, quòd inter armigeros ad corporis custodiam Calaguritanos adscivisset, ut tradit Suetonius in ejus vita cap. 49. *Calaguritanorum manu, quam usque ad devictum Antonium inter armigeros circum se habuerat.*

Maria gens, plebeia. Sextus Marius Hispaniarum ditissimus sub Tiberio memoratur à Tacito Annal. 6. *Capitonis* cognomen à capitis quodam vitio. Alter Duumvir, cùm prænomen *Quinti*, & cognomen *Ursi* tantùm exhibuerit, cujus sit familiæ, conjicere non facile est. *Quinti* prænomen à numero dictum. *Urso* scribit Plinius lib. 4. & 5.

Hic nummus mediæ magnitudinis inter raros numerandus.



MV. CAL. IVL. *Municipium Calaguris Julia.* Caput Augusti nudum.

M. PLAE. TRAN. Q. VRSO II. VIR. ITER. *Marco Plætorio Tranquillo, Quinto Urso Duumviro iterum.*

Apud Mediobarbum pag. 47. pro TRANQ. lege TRAN. Q.


Julius Cæsar de Bello civ. lib. 1. Calaguritanos partibus Pompeii sub ejus Legatis Afranio & Petreio faventes, ad suas transmigrasse narrat. *Interim*, ait, *Oscenses & Calaguritani, qui erant cum Oscensibus contributi, mittunt ad eos Legatos, seseque imperata facturos pollicentur.* Ipsi ad Cæsaris amicitiam adjuncti, frumento illum juverunt, quod omnibus undique conquisitis jumentis in ejus castra deportarunt. Beneficiis ob id à Julio acceptis, urbs *Juliæ* cognomen assumpsit.

II. VIR.

II. VIR. ITER. de Q. Urſo tantùm intelligendus, qui in anteriori nummo cum Mario Capitone Duumvir renuntiatur. Duumviri ut Conſules Romæ eandem in Coloniis poteſtatem habebant. Plures creabantur, ut alter alterius inſolentiæ, ſi res poſtularet, intercedere & occurrere poſſet. Annuum illis imperium. Deſignabantur ante Magiſtratum tribus menſibus. In iis quadraginta trium annorum ætas Legibus determinata requirebatur. Conſulatum iterum gerere ante decennium prohibebat Lex. Livius Decad. 1. lib. 10. *Legem recitari juſſit, quâ intra decem annos eundem Conſulem refici non liceret.*

Plætoria gens, plebeia, cui novum *Tranquilli* cognomen. De *Quinto Urſo* vide ſuprà.

Hic nummus ſecundi moduli ab Ant. Auguſtino Dial. 7. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.



MV. CAL. IVL. IMP. AVGVS. *Municipium Calaguris Julia. Imperator Auguſtus.* Caput Auguſti ſine laurea.

C. MARI. M. VAL. QVAD. II. VIR. *Caio Mario, M. Valerio Quadrato Duumviris.* Bos.

Calaguritani à Plinio lib. 3. cap. 3. gemini dicuntur, alii inter cives Romanos recenſentur cognomine Naſſiei: *Ex his civium Romanorum.... Calaguritanos, qui Naſſici cognominantur.* Alii inter ſtipendiarios revocantur: *Stipendiarios.... Calaguritanos, qui Fibularenſes.* Ambo ex conventu Cæſarauguſtano. Paulus Merula Coſmogr. part. 2. l. 2. c. 13. Naſſicos ad Ilergetes, Fibularenſes ad Vaſcones pertinere contendit. Sed ad Naſſicos ſpectant nummi titulo Municipii inſignes, utpote cives Romani, ex Plinio, jus cudendæ monetæ habentes. Perperam autem Ant. Auguſtinus Dial. 7. nummos cum epigraphe C. C. A. *Colonia Calaguris Auguſta*, interpretatur, qui ad Coloniam Cæſarauguſtam pertinent; ipſi enim ad Calagurim Naſſicam, quæ Municipium habetur; nec ad Calagurim Fibularenſem, quæ ſtipendiaria eſt, revocari poſſunt.

Jam *Caius Marius* cum Q. Urſo in Calaguritanorum nummis Duumvir perhibetur; an idem aut alter, incertum eſt. De *Valeria* gente paulò antè diximus. *Quadrati* cognomen ab amplo corporis habitu repertum videtur.

Hic nummus mediæ formæ pro raro habendus.



IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum.

MV. CAL. I. C. SEMP. P. ARRI. II. VIR. *Municipium Calaguris Julia. Caio Sempronio, Publio Arrio Duumviris.* Bos.

Calaguris, patria fuit Quintiliani Rhetoris, teſte D. Hieronymo ex Euſebii Chronico. *Quintilianus ex Hiſpania Calaguritanus, primus Romæ publicam ſcholam tenuit, & ſalarium accepit, & claruit. Romam cum Galba venit; ipſe quoque Hiſpanos provinciales ſuos vocat.* Aurelius Prudens vir Conſularis & Poëta ſub Theodoſio, Calaguritanus pariter, ut ipſe innuit in Periſteph. hymn. 7.

Noſtra geſtabit Calaguris ambos,
Quos veneramur.

Sempronia gens in patricias & plebeias diſtincta; vide Fulvium Urſinum de Fam. Rom. *Arria,* plebeia videtur; *Publii* cognomen ominis causâ à pube dictum quidam putant.

Hic nummus ſecundi moduli rarus & elegans eſt.



IMP.

IMP. AVGVSTVS PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.
MV. C. I. L. VALENTINO L. NOVO II. VIR. *Municipium Calaguris Julia. Lucio Valentino, Lucio novo Duumviris.* Bos.

Valentinus & *Novus* Duumvirorum cùm sint cognomina, eorum familias noscere non est facile, nisi nummi ampliores eas nobis suppeditent. *Valentinus*, cognomen Tulliæ & Valeriæ genti familiare. *Novi* frequens in Inscriptionibus Gruteri mentio. Nummi cognominibus tantùm instructi, minùs probantur quàm alii qui familias enuntiant: illi enim in Imperatorum serie & urbium catalogo tantùm reponi possunt; hi verò & in familiarum nummis præterea locum habent.

Hic nummus mediæ magnitudinis obvius est.



MV. CAL. IVL. *Municipium Calaguris Julia.* Caput Augusti sine laurea.
C. VALERI. C. FENI. II. VIR. *Caio Valerio, Caio Fenio Duumviris.* Bos.

Valeria gens è Sabinis oriunda, in patricias & plebeias divisa est. *Fenia*, parùm nota; Fenius Rufus Præfectus Annonæ, deinde Prætorii sub Nerone; apud Tacitum lib. 13. & 15.

Hic nummus secundæ formæ ob nomen Feniæ gentis inter rariores computandus.





NASSICA. Caput Augusti sine laurea.
MV. CAL. IVL. *Municipium Calaguris Julia.* Bos.

Fulv. Ursinus in Illustr. Imag. Joannes Faber ejus Commentator, & P. Seguinus pag. 94. edit. 2. non Augusti caput in hoc Municipio percuti solitum, sed Corn. Scipionis Nassicæ, qui tanquam vir optimus Matris magnæ figuram Pessinunte Romam anno U. C. 549. asportatam excepit, effigiem esse putarunt, quam in ejus memoriam à quodam Triumviro signatam tradit Faber. *Verisimile est*, inquit, *quod quispiam Corneliæ familiæ, cujus & Nassica fuit, cùm monetalis Triumvir esset, in memoriam honoris familiæ suæ tributi nummum hunc percusserit.* Vox *Nassica* circa caput Augusti persuasit: cur autem illa in Calaguris numismatibus apposita, aperiendum.

Nassica, non viri nomen, sed urbis cognomen est, ut ex Plinio lib. 3. cap. 3. liquet; qui Calaguritanos appellat Nassicos. *Calaguritani*, inquit, *qui Nassici cognominantur.* Quod confirmat vetus inscriptio apud Ambrosium Morales. MVN. CALAGVRIS IVLIA NASSICA. Hæc urbs pariter *Calaguris Julia Nassica* à Joan. Fran. Andrea lib. de Patria S. Laurentii appellatur. Ut Calaguris ob aliquam immunitatem à Julio Cæsare acceptam, *Juliæ* nomen habuit, sic ob beneficium ipsi à Corn. Scipione collatum, *Nassica* ab ejus cognomine videtur nuncupata, dum ille Prætor Hispaniam administraret, ut refert Livius lib. 5 Dec. 4. *Sext. Digitius Prætor in Hispania citeriore crebra magis quàm digna prælia fecit, adeoque pleraque adversa, ut vix dimidium militum quàm quod acceperat, successori tradiderit; nec dubium est quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni alter P. Cornelius Cn. F. Scipio trans Iberum multa secunda prælia fecisset, quo tempore non minùs quinquaginta oppida ad eum defecerunt.* Hoc tempore Municipium Calaguris facta est, beneficiique memor, *Nassicæ* nomen assumpsit, & ludos quos Scipio inter hujus pugnæ discrimen voverat, celebravit; ut ex eodem Livio lib. 34. liquet.

Hic nummus mediocris moduli olim in cimelio Em. Cardinalis de Massimi, inter elegantiores adscribendus. Similem nummum refert Paulus Merula part. 2. lib. 2. cap. 14. Cosmograph. *In æreo quodam nummo effigies est juvenis Augusti cum hac inscriptione* NASSICA, *in aversâ facie taurus est sculptus, insigne Municipiorum, cum inscriptionibus; supra quidem taurum* CALAG. *infrà verò* IVLIA.



MV. CAL. I. in aliis MV. CAL. IVL. AVGVSTVS. *Municipium Calaguris Julia Augustus.* Caput Augusti cum laurea.

L. PRISCO C. BROCCHO II. VIR. *Lucio Prisco, Caio Broccho Duumviris.* Caput bovis.

Bos Municipiorum symbolum, mitratus ad sacrificia spectat; quod & hîc caput ejus nudum denotat ob ludos scenicos. Calaguris Romam imitata, ludos Megalenses in honorem Matris Idææ institutos celebravit; Roma quidem in Cybelis cultum, Calaguris verò ob Scipionis Nassicæ memoriam. Hos Scipio de manubiis seu impensâ suâ per decem dies fecit; illos deinde Ædiles, ob dedicationem templi anno decimotertio à Deæ adventu perfecti, senatusconsulto celebrarunt. Ædilium nomina recenset Plinius lib. 34. cap. 54. *Megalensia, ludos scenicos, Attilius Saranus, L. Scribonius Libo Ædiles Curules primi fecerunt.* Horum ludorum meminit Ovidius 4. Fast.

Divorum Matri sunt Megalensia ludi.

L. Prisci & *C. Brocchi* familias penitus ignoraremus, nisi amplior nummus antè laudatus Priscum ad Bæbiam, Brocchum verò ad Graniam revocaret.

Hic nummus minimæ formæ nec rarus nec obvius est.



NASSICA. Caput Augusti sine laurea.

C. VAL. C. SEX. AEDILES. *Caius Valerius, Caius Sextius Ædiles.* Caput bovis.

Calaguris *Nassica* antiquo nomine circa caput Augusti inscribitur ob Megalensium ludorum à Scipione Nassica institutorum memoriam, quorum celebrationem Valerius & Sextius Ædiles renovarunt, penes quos cudendorum nummorum potestas, ut apud Fulv. Ursinum in familiæ Planciæ, Plautiæ, Pletoriæ & aliarum denariis observatur; ipsis enim urbanorum ædificiorum, annonæ, ludorumque celebrandorum cura erat, ex vetusta Lege quam citat Cicero de Legibus lib. 3.

Suntoque. Ædiles. coeratores. urbis. annonæ. ludorumque sollemnium.

Sed progressu tantùm temporis, atque iis præsertim annis, quibus Censorum magistratus in Urbe nullus erat; primùm enim Tribunorum erant ministri, & Judices vocabantur; deinde ab ædium cura, in quibus omnia sua scita Plebs deferebat, Ædiles appellati sunt; senatusconsulta etiam eorum custodiæ post Decemviros exactos commissa sunt.

De gente *Valeria* abunde dictum est. *Sextia* gens, plebeia; *C. Sextius* cognomine *Calvinus* Coloniam Aquas-Sextias, hodie *Aix*, condidit, ab aquarum copia & calidis ac frigidis fontibus de nomine suo ita appellatas tradit Velleius Paterculus lib. 2.

Hic nummus minimæ formæ à P. Seguino pag. 94. edit. 2. vulgatus, inter elegantissimos adscribendus.

CARTHAGO NOVA.



C. I. N. C. *Colonia Julia Nova Carthago.* Caput Augusti sine laurea.

C. PETRONIO M. ANTONIO II. VIR. EX DD. *Caio Petronio, Marco Antonio Duumviris, ex decreto Decurionum.* Labyrinthus.

Jam prodiit nummus hic litteris C. I. N. C. cum similibus notis EX DD. habens M. Antonii caput, & ex adversa parte Duumvirorum nomina cum Augusti effigie; quem *Colonia Julia Nova Carthago* interpretati sumus. Id nomen *Juliæ*, & Antonii vultus persuaserunt. Carthago Hispaniæ

niæ Citerioris ab Asdrubale Pœnorum duce condita est anno U. C. 527. si Diodoro fides, lib. 35. pag. 883. Ἀσδρούβας δὲ ὁ γαμβρὸς Ἀμίλχα... ἔκτισε παραθαλασσίαν πόλιν, ἣν προσηγόρευσε νέαν Καρχηδόνα. *Asdrubal verò Amilcaris gener... urbem maritimam condidit, quam novam Carthaginem appellavit.* Colonia à Plinio lib. 3. cap. 3. perhibetur: *Carthago nova, Colonia.* Cognomen *Juliæ* à Julio Cæsare præfert: ille enim ut antiquam Africæ Carthaginem, sic novam Hispaniæ quasi ejus sororem, Coloniam deduxit, utrique imposito *Juliæ* nomine.

Novi Carthaginenses labyrinthum pone caput M. Antonii in eo nummo de quo priùs, & alterum in hac Augusti aversa parte ut opus insigne percusserunt. Labyrinthus autem celebris ille Creticus, carcer erat, ut innuit Plutarchus in Theseo pag. 6. Φιλόχορος δέ φησιν, οὐ ταῦτα συγχωρεῖν Κρῆτας, ἀλλὰ λέγειν, ὅτι φρουρὰ μὲν ἦν ὁ λαβύρινθος, οὐδὲν ἔχων κακὸν, ἀλλ᾽ ἢ τὸ μὴ διαφυγεῖν τοὺς φυλαττομένους. *Cretenses Philochorus auctor est hæc inficias ire, ac dicere custodiam labyrinthum fuisse, quæ nihil mali, nisi quòd non valerent inde effugere custoditi, haberet.* Idem confirmat Dio Chrysostomus Orat. 3. Τί γὰρ ἦν ἡ Κνωσίων εἱρκτὴ, καὶ τὸ τοῦ λαβυρίνθου σκολιόν; *Quid enim erat Cnosiorum carcer, atque illud labyrinthi perplexum?*

Manlia gens in patricias & plebeias divisa est. *Petronia* à Petrone cognomine dicta apud Car. Sigonium, inter plebeias recensetur.

Hic nummus secundi moduli inter rariores adscribendus.



V. I. N. K. P. TVRVLB. II. VIR. QVINQ. *Victrix Julia Nova Karthago. Publius Turulbius Duumvir Quinquennalis.* Caput Augusti radiatum.

V. I. N. K. M. POSTV. ALBINVS II. VIR. QVINQ. ITER. *Victrix Julia Nova Karthago. Marcus Postumius Albinus Duumvir Quinquennalis iterum.* Templum quatuor columnarum, in cujus corona scriptum, AVGVSTO.

Ad Novam Carthaginem nummum revocamus, nec additum *Victrix* cognomen, nec omissa *Coloniæ* vox obstant; sæpius enim in Coloniarum & Municipiorum nummis Coloniæ & Municipii titulus modò deest, modò signatur, & sæpius in iis vel compendiosæ aut amplæ eorum cognominum inscriptiones. Testis sit ejusdem urbis nummus sub Tiberio cusus cum epigraphe integra C. V. I. N. C. *Colonia Victrix Julia Nova Carthago*; & alter sub Caligula, iterum cum prætermisso *Coloniæ* titulo V. I. N. C. *Victrix Julia Nova Carthago.* Cognomen *Victrix* nomini *Juliæ* sæpe comes. Littera verò *K* pro *C* antiqua est, in Carthaginis nomine aliquando in nummis usurpata, ut in aliis *G* pro *C* plerumque signatur.

Inscriptio in templo, illud in honorem Augusti sub Turulbii & Postumii Duumviratu quinquennali, id est censorio magistratu, ædificatum arguit. Penes Censores templorum curam fuisse diximus, in quorum dedicationis monumentum sæpe Duumviri Quinquennales templa ipsa in nummis cælarunt.

De *Turulbia* gente ne verbum quidem; de *Turulia*, Romæ in Inscriptionib. veter. apud Gruterum 735. 2. *Postumia* à Postumo cognomine, patricia est. *Albinus* cognomen ab Albo diminutivum, *Postumiis* vulgare est; A. Postumius Albus Rhegillensis perhibetur Consul eodem anno U. C. 252. M. verò Postumius Albinus Tribunus Militum anno U. C. 358. à Livio recensetur, sed potiùs Censor ex Fragmento Fast. Capitol. cui Plutarchus in Camillo, & Val. Maximus lib. 11. cap. 9. suffragantur; unde Postumius noster ex illa familia oriundus, ut vir summæ dignitatis Duumvir Quinquennalis iterum creatus est.

Hic nummus minimi moduli inter rariores numerandus. Alterum possidemus cum Augusto in quadrigis pro ejus capite.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

M. POSTVM. ALBIN. L. PORC. CAPIT. II. VIR. Q. *Marco Postumio Albino, Lucio Porcio Capitone Duumviris Quinquennalibus.* Fig. virilis togâ prætextâ induta stans, dext. vas in quo aqua lustralis, sin. oleam pro aspersorio.

Ad novam Carthaginem pertinere rarum hunc Augusti nummum docet nomen M. Postumii Albini Duumviri Quinquennalis, qui in anteriori ejusdem urbis nummo Duumvir Quinquennalis iterum perhibetur: itaque ex his duobus nummis non modò duo Postumii Albini magistratus innotescunt, prior cum L. Porcio Capitone, secundus cum P. Turulbio gestus; sed alter sub Augusto cusus, Censoris vestitum & insignia demonstrat; alter verò post Augusti mortem signatus, templum in ejus honorem Duumvirorum Quinquennalium curâ ædificatum exhibet.

Nummus hic Censorem repræsentat, & nostram omnino tum de Duumviris Quinquennalibus, quos in Coloniis eosdem esse ac Romæ Censores diximus; tum de cudendæ monetæ facultate ambobus concessa sententiam confirmat. Sed ad quid Censor in nummo signatus? an Postumius generis sui antiquitatem denotare ambiens, M. Postumii Albini cum Camillo Censuræ anno U. C. 351. gestæ memoriam hoc monumento renovare voluerit? an potiùs veterem census agendi, lustrandi, condendi morem à Julio Cæsare libertate Reipublicæ oppressâ abrogatum, de quo Suetonius in ejus vita cap. 41. *Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit*; restitutum ab Augusto denotaverit, ut idem tradit Historicus in ejus vita cap. 37. *Censores creari desitos longo intervallo, creavit.* Censor dextrâ vas, in quo lustralis aqua, gerit, sinistrâ ramum oleæ, ex quo populum armatum peracto censu in Campo Martio lustrabat.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino Famil. Rom. pag. 232. illustratus, & lib. Impp. Rom. pag. 32. iterum vulgatus, inter rariores collocandus.

CELSA.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

C. V. I. CEL. L. BAGGIO MA. FESTO II. VIR. *Colonia Victrix Julia Celsa, Lucio Baggio, Manio Festo Duumviris.* Bos.

Apud Mediobarbum pag. 50. pro BACIO repone BAGGIO.

Celsa, urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluvium; Colonia facta est, ut liquet ex Strabone lib. 3. pag. 162. Ἐπὶ δὲ τῷ Ἴβηρι πόλις ἐστὶ Καισαραυγοῦστα καλουμένη, καὶ Κέλσα κατοικία τις ἔχουσα γεφύρας λιθίνης διάβασιν. *Ad Iberum amnem est Cæsaraugusta, & Celsa Colonia, ubi ponte lapideo fluvius jungitur.* Nomen *Juliæ* à Julio Cæsare deductam indicat: vox *Victrix* ex Ant. Augustino Dial. 6. meliùs nummis convenit quàm *Vetus* aut *Victoria* ex Casaubono Comment. in 3. lib. Strabonis.

De *Baggia* seu *Baccia* gente nulla apud Scriptores mentio, hæc peregrina potiùs quàm Romana videtur. *Baccia* Lusitaniæ urbs ab Orosio laudatur. Alter Duumvir cognomen præfert *Festi*, quod ex nummo Ant. Augustini Dial. 6. ad Flaviam gentem pertinere docemur.

Bos in Celsæ urbis numismatibus, Coloniarum, ut suprà in Calaguritanis, Municipiorum est symbolum, nec pro victima in hoc nummo signatur, ut putat P. Harduinus pag. 118.

Hic nummus secundæ magnitudinis ab Ant. Augustino dial. 6. & à Patino pag. 34. vulgatus, frequens & obvius est.



C. V. I. CELSA AVGVSTVS. *Colonia Victrix Julia Celsa, Augustus.* Caput Augusti nudum in laurea.

L. COR. TERR. M. IVN. HISP. II. VIR. *Lucio Cornelio Terracina, Marco Junio Hispalo Duumviris.* Bos.

Colonia *Celsa* iterum prodit, cujus meminit Plinius lib. 3. cap. 3. dum urbes civium Romanorum jure utentes recenset. *Ex his*, inquit, *civium Romanorum Belitanos, Celsenses ex colonia.* Eam *Victricem Juliam* à victoriis suis Julius Cæsar cognominavit; illa nominis memor, caput Augusti Julii successoris, ob insignem ejus de Cantabris & Asturibus victoriam, in laurea victoriarum insigni exhibit.

Cornelia

Cornelia gens, ut & *Junia*, in patricias & plebeias divisa est. *Terracinæ* cognomen ab urbe Latii ejus nominis deductum videtur. *Hispalus* C. & Cn. Corn. Scipionis agnomen. Hispalus etiam Celtiberorum Rex à Diodoro l. 6. citatur.

Hic nummus mediocris moduli ab Ant. Augustino dial. 6. & à Patino pag. 34. vulgatus, frequens est & tritus.



C. I. V. CELSA. AVGVSTVS. *Colonia Julia Victrix Celsa. Augustus.* Caput Augusti nudum.
SEX. CETHEGO. Q. POMP. SECVNDINO II. VIR. *Sexto Cethego, Quinto Pomponio Secundino Duumviris.* Bos.

Celsa urbs à Ptolemæo lib. 2. cap. 6. Κέλσα, in Ilergetibus collocatur. *Celsæ* nomen è Celtis habuisse auguratur Ant. Augustinus Dial. 6. à quibus Celtiberi ex utraque gente mixtione apud Lucanum dicti sunt,

Gallorum Celtæ miscentes nomen Ibero.

P. Harduinus pag. 118. illam à situ vocatam, utpote celso editoque in monte positam, perperam ratus est, ex prava Tristani in Hadriani nummo ad Acrocorinthum spectante tom. 1. pag. 383. interpretatione. Illa autem in Iberi littore, ubi ponte lapideo amnis jungitur, à Strabone suprà laudato ponitur.

Prioris Duumviri prænomen tantùm & cognomen præferuntur; *Sextus* à numero dictus. *Cethegi* cognomen uni Corneliæ genti datum legimus, & à diverso amictu quo à cæteris distinguebatur, dictum: ipsi enim ut habilius valentiusque telum vibrarent, substructiores erant; unde Horatius,

Cinctulis non exaudita Cethegis.

Alter Duumvir ex *Pomponia* gente plebeia, *Quinti* prænomen à numero habet; *Secundini* verò cognomen à secundo pariter numero, diminutivum.

Hic nummus minoris moduli inter elegantiores adscribendus.



IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. XII. Caput Augusti laureatum.
C. V. I. CEL. CN. DOMITIO C. POMPEIO II. VIR. *Colonia Victrix Juliæ Celsa, Cneo Domitio, Caio Pompeio Duumviris.* Bos.

Cur *Celsenses* in nummis suis Augusti Consulatus apponere haud soliti, duodecimum in hoc notarint, eadem causa videtur quàm in Cæsaraugustanis protulimus: ipsi nimirum Augusto gratulati sunt, quòd post septemdecim annos Consulatum tandem gerere ultro voluerit, pro fausto omine ut Romani, ejus magistratum arbitrantes.

Pompeia gens, plebeia, in plurimas divisa stirpes. *Domitia*, in patricias & plebeias distincta; Domitios singulos ferè singulis genitos narrat Paterculus lib. 2. cap. 10.

Hic nummus mediæ formæ pro raro habendus.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti sine laurea.
L. POMPE. BVCCO L. CORN. FRONT. II. VIRIS. *Lucio Pompeio Bucco, Lucio Cornelio Frontone Duumviris.* Bos.

Apud Mediobarbum pag. 50. pro L. POMPE. BVS. & pro M. EBVCCO, lege L. POMPE. BVCCO.

Uterque Duumvir *Lucii* prænomen gestat, quod ei datum aiunt qui lucis initio natus est. De *Pompeia* & *Cornelia* gente paulò antè egimus. Cognomen *Bucci* parùm frequens est; *Frontonis* verò à fronte dictum; *Corneliæ* genti sub Hadriano & Antoninis familiare.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.



C. V. I. CELSA. *Colonia Victrix Julia Celsa.* Caput Augusti nudum.

C. I. V. CEL. L. SVRA. L. BVCCO II. VIR. *Colonia Julia Victrix Celsa.* Bos.

Prænomina tantùm & Duumvirorum cognomina in hoc nummo habentur, ideo *L. Suræ* familiam noscere sine alterius nummi præsidio non facile est: *Bucci* autem cognomen ad Pompeiam gentem pertinere absque superioris numismatis ope ignoraremus. *Sura* à ludo sphæræ, quo quis peccat, præbet suram, dictum narrant. *Buccus* in superiori nummo *Frontonis* collega, in hoc verò *Lucii Suræ* perhibetur: alter igitur alteri, & *Fronto* quidem *Suræ* suffectus videtur; *Sura* enim in nummo *Bucco* præponitur, & in altero *Fronto* illi postponitur.

Hic nummus mediæ formæ pro raro notandus.

CORINTHUS.



CORINT. AVGVSTVS. *Corinthi. Augustus.* Caput Augusti nudum.

P. AEBVTIO C. IVLIO HERAC. II. VIR. QVINQ. ITER. *Publio Æbutio, Caio Julio Heraclide* aut *Heraclio Duumviris Quinquennalibus iterum.* Laurea.

Corinthus urbs Achaiæ, ferè medio Isthmi Peloponnesiaci sita est, cujus potentiam veriti Romani, eam solo æquarunt anno U. C. 607. de qua L. Mummius triumphavit. Virgil. Æneid. 6.

Ille triumphatâ Capitolia ad alta Corintho,
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.

Similem nummum sub iisdem Duumviris Quinquennalibus iterum in M. Antonii honorem percussum vulgavimus; unde Corinthii Augusto simul & Antonio concordi animo agentibus nummos suos dedicasse videntur, sub Æbutio & Julio Heraclide Censoribus iterum creatis. Laurea Antonio ob victoriam de Armenis, ita & Augusto ob Pannonios devictos ab iis posita est.

Hic nummus mediocris magnitudinis inter rariores notandus.





P. ALVSIT. C. IVLIO II. VIR. ITER. COR. *Publio Alusitio, Caio Julio Duumviris iterum, Corinthi.* Caput Augusti nudum.

L. POMP. C. IVLI. II. VIR. COR. *Lucio Pomponio, Caio Julio Duumviris, Corinthi.* Arcus cum fornicibus.

Duo ex una parte Duumviri, totidem ex altera in hoc nummo recensentur. In Coloniis quidem pro earum magnitudine Quartumviros seu Quatuorviros factos fuisse novimus, sed hi conjunctim

IIIIVIRI

IIIIVIRI inſcribuntur, aut connexa ſunt eorum, ut in urbis *Cluniæ* nummis, nomina. An in difficili rerum ſtatu ad tempus quoddam duo novi prioribus adjecti ſint, & ex parte nobiliori capitis ſcilicet ordinarii Coloniæ, & ex altera Duumviri recèns creati?

Arcus in honorem Auguſti ob victorias, vel ob illius in urbem adventum erectus, Strabo ejus meminit l. 10. p. 485. Ἦν δ' ἐν Κορίνθῳ Καῖσαρ βαδίζων ἐπὶ τὸν θρίαμβον Ἀκτιακόν. *Erat tum Corinthi Cæſar, ad triumphum proficiſcens Actiacum.*

De *Pomponia* & *Julia* gente dictum eſt; de *Aluſitia* verò nulla mentio.

Hic nummus minoris moduli inter conſpicuos numerandus.



M. BARBATIO MA. ACILIO II. VIR. COR. *Marco Barbatio, Manio Acilio Duumviris. Corinthi.* Caput Auguſti nudum.

P. VIBIO M. BARBA. PRAEF. II. VIR. COR. *Publio Vibio, Marco Barbatio Præfecto Duumviris. Corinthi.* Colonus agens boves.

Alterum ecce nummum cum Duumvirorum nominibus ex utraque parte iterum ſignatis; non inſolitæ apud Corinthios illorum epigraphes argumentum. *Barbatiæ* gentis à *Barbati* cognomine dictæ perobſcura eſt mentio. *Q. Barbatius* apud Appianum lib. 5. M. Antonii Triumviri Quæſtor perhibetur; ſed Fulvius Urſinus in Famil. Rom. *Barbatus* pro eo ſcribi contendit, gentis Valeriæ cognomen. *M.* alter *Barbatius* inſcribitur *Præfectus*; an verò annonæ, ærarii; cohortis, claſſis, aut urbis? *Acilia*, plebeia eſt. *Acilios* derivat Plutarchus à verbo Græco ἀκεῖομαι, id eſt *ſano*. *Vibia*, pariter plebeia, à Vibo Brutiorum urbe dicta. Colonus boves agens, deductæ Coloniæ ſymbolum eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro eleganti habendus.



C. CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.

M. BELLIO PROCVLO II. VIR. COR. *Marco Bellio Proculo Duumviro. Corinthi.* Pegaſus.

Apud Patinum pag. 41. PROC. lege PROCVLO: pag. autem 94.... LO COR. integram repone ſuperiorem epigraphen.

Cur Corinthii quatuor Duumviros in nummis ſignarint, ſcrutati ſumus; nunc inquirendum cur unum ſolum exhibeant. An altero defuncto, aut honoris causâ nummus percuſſus ſit? an verò quiſque Duumvir ſeorſum nummum cuderit?

De *Bellia* gente vide Patinum in lib. Famil. pag. 46. *Proculus* dictus eſt, qui natus ſit patre peregrinante patriâ procul. Plutarch. in Coriolano.

Pegaſus à Corinthiis in herois ſui Bellerophontis memoriam cuſus eſt. Hic Glauci Regis Ephyræ, antequam Corinthus diceretur, filius, ut teſtatur Horatius lib. 3. Carm.

Bellerophon Glauco eſt; Ephyren qui rexerat ortus.

Primus omnium equo vehi docuiſſe fertur apud Plinium lib. 7. idcirco equum alatum ei tribuerunt; quem in veteri moneta jampridem inſculpſerunt, teſte Julio Polluce lib. 9. cap. 6. Καὶ πῶλος γε τὸ νόμισμα Κορίνθιον, ὅτι Πήγασον εἶχεν ἐντετυπωμένον. *Et pullus, nummus Corinthiacus vocabatur, quòd Pegaſum haberet inſculptum.*

Hic nummus minimæ formæ apud Patinum pag. 41. vulgatus, frequens eſt.



C. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

P. VIPSANIO AGRIPPA II. VIR. COR. *Publio Vipsanio Agrippa Duumviro. Corinthi.* Pegasus.

Iterum prodit nummus cum Pegasi typo; sed hic non modò apud Corinthios in moneta signabatur; verùm ejus statua cum Bellerophonte in areis & templis collocabatur, ut tradit Pausanias in Corinth. pag. 90. Θέας δὲ μάλιστα ἄξια τοῦτο τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Ἀρτέμιδος, καὶ ὁ Βελλεροφόντης ἔπεστι, καὶ τὸ ὕδωρ ὃ διʼ ὁπλῆς ἵππου ῥεῖ τοῦ Πηγάσου. *Spectatu dignissima sunt, ubi à Dianæ signo discesseris, Bellerophontes, & ex ipsa Pegasi equi ungula manans aqua.*

Publius ille *Vipsanius Agrippa*, M. Agrippæ Augusti generi videtur fuisse libertus. *Vipsania* gens inter incertas recensetur. *Agrippa* dictus est, qui cum labore matris natus. Festus.

Hic nummus minimæ formæ nec rarus nec obvius, perperam M. Agrippæ apud Mediobarbum pag. 56. videtur.



IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

P. FLACCO II. VIR. COR. *Publio Flacco Duumviro. Corinthi.* Neptunus in curru à duobus equis marinis vectus, dextrâ habenas, sin. tridentem.

Corinthii Neptunum tutelarem deum exhibent, de quo loquentem audias Pausaniam in Corinth. pag. 86. Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι Ποσειδῶνα ἐλθεῖν Ἡλίῳ περὶ τῆς γῆς ἐς ἀμφισβήτησιν· Βριάρεων δὲ διαλλακτὴν γενέσθαι σφίσιν, Ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ ἄκραν Ἡλίῳ δόντος τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως. *Ipsi quidem Corinthii Neptunum narrant in certamen cum Sole descendisse; disceptatorem inter eos Briareum fuisse, qui cùm Isthmum Neptuno, Soli verò promontoriam quod urbi imminet, adjudicasset, ex eo Isthmum Neptuni fuisse.* Neptunus agit equos, forsan quòd primum illos domuisse, artemque equitandi ab illo traditam narrent; ex quo Hippius seu Equester dictus est.

P. Flaccum Duumvirum ex Fulviorum gente fuisse docent alii Corinthiorum nummi. *Flaccus* cognomen ei datum est ex Plinio, cui aures tantùm immobiles.

Hic nummus minimi moduli inter rariores reponendus.



IMP. CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

OCTAVIANO ITER. II. VIR. COR. *Octaviano iterum Duumviro. Corinthi.* Templum exastylum in vertice montis.

Apud Mediobarbum pag. 70. ex Schedis Sponianis, *mons spinis plenus.* Spinas pro templo in detrito nummo accepit.

Mons ille præruptus, Acrocorinthus est, primùm Soli post ipsius cum Neptuno de urbis regione contentionem, Briareo adjudicatus; tum verò Veneri ab eodem Sole concessus, ut tradit Pausanias lib. 2. Ἀκροκόρινθον... Ἡλίου γε, ὡς οἱ Κορίνθιοί φασιν, Ἀφροδίτῃ παρέντος. *Acrocorinthum... Solem Veneri concessisse narrant Corinthii.* In vertice montis templum deæ ab iis exstructum est, teste eodem Pausania. Ἀνελθοῦσι δὲ ἐς τὸν Ἀκροκόρινθον ναός ἐστιν Ἀφροδίτης. *Jam in ipso ad Acrocorinthum aditu delubrum est Veneris.* Corinthii Augusto gratulantes quòd Julius Coloniæ fundator à Venere originem traxisse gloriaretur, in nummis templum illud signarunt.

Octavianus ille Duumvir iterum, ex Octavia gente in alteram producto nomine adoptatus est. Duplex Octaviorum familia à C. Octavio Rufo defluxit, conditione diversa.

Hic nummulus inter raros locandus.



L. FVRIO LABEONE II. VIR. *Lucio Furio Labeone Duumviro.* Caput Augusti radiatum.

L. ARRIO PEREGRINO II. VIR. COR. *Lucio Arrio Peregrino Duumviro. Corinthi.* Templum sex columnis suffultum.

Caput Augusti radiatum, nummum post ejus apotheosim cusum arguit; ideo templum in aversa parte in ejus honorem ædificatum putamus, cujus apud Pausaniam nulla mentio, etsi alterum sororis Octaviæ ab iis exstructum tradat. Ὑπὲρ δὲ τὴν ἀγορὰν Ὀκταβίας ναὸς ἀδελφῆς Αὐγούστου. *Ultra forum est Octaviæ ædes sororis Augusti.* An Pausaniæ codices integri ad nos non pervenerint. Veterem Inscriptionem apud Sponium Misc. antiqu. Sext. 10. marmor in Isthmo Corinthiaco repertum profert, in quo plures quàm in Pausania Corinthiaci Isthmi ædes recensentur. Corinthii Augusti memoriam cum corona radiata divinitatis symbolo sub Furii Labeonis & Arrii Peregrini Duumviratu renovarunt. Vide in Tiberio ejus templi scenopegiam.

Furia gens in patricias & plebeias divisa. *Labeo* à labiorum vitio. *Arria* gens, plebeia est; *Peregrini* cognomen ab itineribus datum.

Hic nummus mediocris moduli elegans & rarus habendus, similis ab Andr. Morellio Specim. tab. 17. vulgatus est, in quo L. FVRIO LAGO.

DERTOSA.



C. I. A. D. AVG. *Colonia Julia Augusta Dertosa. Augustus.* Caput Augusti radiatum.

C. I. A. D. TI. CAES. *Colonia Julia Augusta Dertosa. Tiberius Cæsar.* Caput Tiberii laureatum.

Dertosa urbs Hispaniæ Tarraconensis apud ostia Iberi fluvii, Colonia in nummis perhibetur; quod confirmat Strabo lib. 3. pag. 159. Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ διαβάσει τοῦ Ἴβηρος Δέρτωσα κατοικία. *Et in ipso Iberi tractu Dertosa Colonia.* Nomen *Juliæ* à Julio deductam, & *Augustæ* novis colonis auctam arguit. Dertosani Tiberio gratulantes, ex una parte caput ejus; & ex altera Augustum patrem, Coloniæ restauratorem apposito in utraque Coloniæ nomine percusserunt.

P. Harduinus pag. 137. ad Dertonam Italiæ in Liguria nummum revocat; sed ille fabricæ Hispanicæ est, & frequentes sunt ejus provinciæ sub Augusto & Tiberio nummi, nulli verò ex tam multis Italiæ Coloniis cum Imperatorum effigie observantur, quod ipsis cudendæ monetæ facultas haud concessa videatur.

Hic nummus ferè medii moduli inter conspicuos & raros collocandus.

EBORA.



PERM. CAES. AVG. P. M. *Permissu Cæsaris Augusti Pontificis Maximi.* Caput Augusti nudum.

LIBERALITATIS IVLIAE EBOR. In laurea.

Ebora, urbs Lusitaniæ inter Anam & Tagum fluvios, ad oppida veteris Latii revocatur à Plinio lib. 4. cap. 22. *Oppida*, ait, *veteris Latii, Ebora, quod item Liberalitas Julia.* Hoc jus ei à Cæsare concessum videtur, unde illi nomen *Liberalitas Julia*, & perperam *Libertas* ex Scaligero in Indice Gruteri, ut malè quoque *Liberalis* ex Ligorio, apud quem etiam *Colonia* hæc urbs vocatur in nummo ab Holstenio in Annot. in Ortelium allato; sed Ligorio dubia fides; ut pridem monuit Raph. Fabrettus de Colon. Trajani cap. 8. pag. 235. Ebora Municipium recensetur à P. Harduino pag. 143. ex Augusti nummo Cimelii Regii, sed hic nunquam in eo visus est; suspecta etiam videtur à Resendio relata cum Municipii titulo inscriptio, si Plinio & nummis stamus: in his enim Eboræ nulla Coloniæ aut Municipii epigraphe; sed pura inscriptio Latina, urbibus juris Latii familiaris: Plinius autem Lusitaniæ Colonias quinque recenset, *Emeritam*, *Metallinum*, *Pacem Juliam*, *Norbam*, & *Præsidium Julium*, Municipium unum, *Olysiponem*, & op-

& oppida Latii antiqui tria; inter quæ Ebora primas tenet. Laurea ob Augusti victorias signatur.

Hic nummus secundi moduli ab Ant. Augustino dial. 8. vulgatus, inter rarissimos recensetur.



PERMISSV CAESARIS AVGVSTI P. M. Caput Augusti laureatum.
LIBERALITATIS IVLIA EBOR. Vas ansatum inter aspergillum & capedunculam, in vertice patera, in imo culter.

Eborenses instrumenta pontificalia in nummo exhibent, Augusto gratulantes, quòd post Lepidi mortem tandem Pontifex Maximus anno U. C. 741. creatus sit. Ejus dignitatis institutionem à Numa factam legas apud Livium lib. 1. Decad. 1. *Numa Pontificem Numam Marcium Marci filium ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa fierent, atque unde sumptus pecunia erogaretur.* Pontifex deinde Maximus ex collegio Pontificum creabatur, non quidem collegarum cooptatione, ut in cæteris sacerdotiis mos erat, sed populi tributis comitiis: post autem Julii necem Pontificatum maximum per vim invasit Lepidus; eo mortuo id sacerdotium suscepit Augustus, & post eum omnes Imperatores, ut qui totius Imperii possessionem essent adepti, divinarum quoque rerum auctoritatem haberent.

Hic nummus majoris formæ, eximiæ raritatis & elegantiæ est.

EMERITA.



PERMISSV CAESARIS AVG. Effigies Augusti sine laurea; pro qua Mediobarbus inquit pag. 48. *facies pueri grandior.*
EMERITA, in aliis EMERITA AVGVSTA; in aliis COL. EMERITA AVGVSTA. Colonus agens bovem & vaccam.

Emerita, urbs Lusitaniæ ad Anam fluv. ab Augusto post confectum bellum Cantabricum emeritis militibus in eam deductis condita est, teste Dione lib. 53. pag. 514. Παυσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου, ὁ Αὔγουστος τοὺς μὲν ἀφηλικεστέρους τῶν στρατιωτῶν ἀφῆκε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τὴν Αὔγουσταν Ἠμερίταν καλουμένην κτίσαι ἔδωκε. *Finito hoc bello, Augustus emeritos milites exauctoravit, urbemque eos in Lusitania, Emeritam Augustam nomine, condere jussit.* Hyginus Augusti libertus auctor est, eum Emeritensibus jugera quadringenta dedisse: plurimas vias ad hanc urbem jussas, ex Ant. Pii Itinerario, & loquente veteri apud Gruterum marmore, novimus; Augustus etiam ab illa Gades usque, viam alteram superiorum Consulum tempore inchoatam, multisque locis intermissam perduxit. Denique cudendæ monetæ facultatem Emeritensibus permisit, quorum beneficiorum memores plurimos Augusto nummos dedicarunt; in hoc verò colonum boves ducentem pro signis militaribus solito Veteranorum symbolo cuserunt, ut se non Coloniæ supplementum missos, sed urbem condidisse demonstrarent.

Hi nummi secundi moduli pro raris habendi.



CAESAR AVGVST. TRIB. POTEST. Caput Augusti nudum.
P. CARISIVS LEG. AVGVSTI. in area nummi.

Hic nummus, quia Emeritæ percussus est, inter ejus nummos recensetur. Publius Carisius in bello Cantabrico Legatus Augusti Astures difficili prælio superavit, cujus meminit Florus lib. 4. *Præmonitus Carisius cum exercitu adveniens, oppressit Asturum consilia, sic tamen non incruento certamine reliquias cæsi exercitus validissimi civitas Lancia excepit.* Confecto bello Augustus Carisium in Lusitania Legatum pro Prætore constituit, ut Antistium alterum Legatum Tarraconensi provinciæ præfecit: Hispaniam enim in tres jam diviserat provincias; Bœtica populi erat Romani, quam Proconsul administrabat, qui Legatum & Quæstorem haberet; Augustus Lusitaniam & Tarraconensem retinuit, in quas Legatos pro Prætore misit, de quibus eruditè Illustr. Spanhemius Diss. 6. pag. 559. Emerita videtur Lusitaniæ Legati sedes, ex nummo argenteo P. Carisii Augusto dicato, in cujus aversa parte porta urbis cusa est, cum epigraphe EMERITA in fronte. Carisius Titi prænomine apud Dionem insignitur, sed nummi ejus obvii constanter Publium clamant. Fulvius Ursinus in Famil. Rom. Publium hunc Titi fratrem fuisse existimat.

Hic nummus mediocris formæ inter raros computatur.



DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augusti radiatum.
COL. AVGVSTA EMERITA. *Colonia Augusta Emerita.* Porta urbis cum duobus fornicibus, & turri hinc & inde. In aliis majoris formæ, typus idem, sed deest *Coloniæ* titulus, & epigraphe circa ambitum, in fronte verò urbis AVGVSTA EMERITA.

Variæ sunt de hoc ædificio apud Antiquarios sententiæ. Illustr. Spanhemius pag. 395. & Equ. Patinus pag. 71. castrum arbitrantur; pons videtur Com. Mediobarbo & R. P. Cattanei, qui nuper urbis vestigia lustravit. Anas autem ejus mœnia alluebat, de quo Prudentius in Dactyl. de Virgine Ecclesia:

Nunc locus Emerita est tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Gurgite, mœnia pulchra lavat.

Pighius Ann. 3. lib. 18. pag. 512. & Paulus Merula Cosmogr. part. 2. lib. 2. c. 25. portam urbis existimant, quibus assentimur; epigraphe quidem circa ambitum ad Coloniam designandam apposita est, sed nomen urbis mœnibus ne hoc ædificium ad aliud revocetur, insculptum videtur. Alios urbium nummos cum similibus portarum typis in rei nummariæ studiosorum cimeliis videre est, quos in nummorum Græcorum descriptione aliquando vulgabimus. Emeritenses ad Augusti conditoris apotheosim indicandam caput ejus radiatum ex una parte, & ad æternum urbis monumentum, ejus prospectum ex altera consignarunt.

Hic nummus secundi moduli obvius, sed majoris, rarissimus est.

ERGAVICA.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.
MVN. ERGAVICA. *Municipium Ergavica.* Bos.

Ergavica urbs est Celtiberorum in Hispania Tarraconensi, cujus meminit Livius lib. 6. Decad. 5. *Ab hoc prælio Gracchus duxit ad depopulandum Celtiberiam legiones; & cùm ferret passi cuncta atque ageret, populique alii voluntate, alii metu jugum acceperunt; centum tria oppida intra paucos dies accepit.... Ergavica inde nobilis & potens civitas, aliorum circà populorum cladibus territa, portas Romanis aperuit.* Urbs ab eo tempore circa annum U. C. 574. videtur Municipium facta, sed sine suffragio, ut & cætera oppida; quæ Plinius lib. 3. cap. 3. Latii veteris jure tantùm

donata narrat, *Latinorum veterum Cascantenses*, *Ergavicenses*, *Graccuritanos*, *Leonicenses*, *Osicerdenses*. Bos solemne Municipiorum symbolum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis, ab Ant. Augustino dial. 7. & à Patino pag. 34. vulgatus, nec obvius nec rarus est.

I L E R D A.



IMP. AVGVST. DIVI F. Caput Augusti sine laurea.

MVN. ILERDA. *Municipium Ilerda.* Lupus aut lupa gradiens.

Ilerda urbs est Hispaniæ Tarraconensis in colle sita juxta Sicorim fluvium, de qua Lucanus 4.

Juxta urbem Hispanam Sicoris fluit amnis Ilerdam.

Illa Pompeii Legatorum Petreii & Afranii bello cum Julio Cæsare memorabilis, de qua inquit Florus lib. 4. *Anceps, variumque & cruentum in Hispania bellum cum Legatis Cn. Pompeii Petreio & Afranio, quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur.* Ilerdenses in Cæsaraugustanorum foro disceptare narrat Plinius lib. 3. cap. 3. quos inter populos civium Romanorum recenset. *Ex his civium Romanorum.... Ilerdenses Surdaonum gentis, juxta quos Sicoris fluvius.* Urbs verò in nummis Municipii titulo gaudet. Lupus pro urbis symbolo apud Ant. Augustinum dial. 6. habetur. Lupa quidem ex uberibus videtur; Amicus Romæ insigne esse putat, sed hæc cum pueris Romulo & Remo tunc exhibetur.

Hic nummus minimi moduli ab Ant. Augustino dial. 6. & à Patino pag. 35. vulgatus, frequens & obvius est.

I L L I C I.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.

C. I. IL. A. Q. PAPIR. CAR. Q. TER. MONT. II. VIR. Q. *Colonia Immunis Illice Augusta. Quinto Papirio Carbone, Quinto Terentio Montano Duumviris Quinquennalibus.* Templum tetrastylum, in cujus peristylio scriptum est IVNONI.

Apud Mediobarbum pag. 49. pro MONT. II. VIR. Q. Q. PAPIR. CAP. Q. TER. sic refarcies Q. PAPIR. CARB. Q. TER. MONT. II. VIR. Q.

Illici urbs Hispaniæ Tarraconensis mari proxima, unde *Illicitanus Sinus* Melæ lib. 2. cap. 6. ut & Plinio lib. 3. cap. 3. à quo Colonia perhibetur, & quidem Immunis, *Colonia Immunis Illici*; quod confirmat nummus, & Paulus lib. 2. de Censibus: *Emeritenses juris Italici sunt: item jus Valentini & Licitani* (pro *Illicitani*) *habent: Barcinonenses quoque ibidem immunes sunt.* Nomen *Augustæ* ab Augusto deductam arguit, à quo & immunitatem accepisse verisimile est. Illicitani beneficiorum memores, Liviæ Cæsaris uxori templum sub Junonis nomine ædificarunt, quod in nummo exhibent. Livia autem à Græcis Ἡρα, id est *Juno*, sæpius in nummis vocata est.

Nummus templi dedicationem sub Papirio & Terentio Duumviris Quinquennalibus celebratam arguit: illis enim muneris erat, ut Censoribus, templa, vias, aquæductus, aliaque ædificia publica omnia faciunda curare, uti Lex de Censoria potestate indicat, quam Cicero recenset lib. 3. de Legibus: *Urbis. templa. vias. aquas. ærarium. vectigalia tuento.* Illis cudendorum in magistratu nummorum facultas videtur tum ex nummo Novæ Carthaginis à Postumio Albino signato, tum ex altero Liciniæ gentis apud Ursinum, quem perperam ob equitis typum ad P. Licinium Crassum, quem Cæsar in bello contra Gallos præfecit æquitatui, revocat; sed ad P. Licinium M. F. Crassum Censorem pertinet anno U. C. 664. cum L. Julio Cæsare creatum, qui nummum in magistratu cusit, in quo, ut etiam arbitratur Pighius Annal. lib. 15. pag. 226. illius censura pulchrè cum equite equum traducente, & effigie Libertatis oleâ coronatæ ostenditur.

Papiria gens, duplex, patricia ante exactos Reges, & quidem minorum gentium; plebeia verò *Carbonum* cognomento ab arte, ut videtur. *Terentia* inter plebeias recensetur. *Montani* cognomen multis familiis commune.

Hic nummus minimæ formæ à Patino Famil. Rom. pag. 199. vulgatus, nec rarus nec obvius est.



AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

C. C. IL. A. C. MANLIO T. PETRONIO II. VIR. *Colonia Cæsarea Illice Augusta. Caio Manlio, Tito Petronio Duumviris.* Aquila legionaria, & vexillum inter duo signa militaria.

Apud Mediobarbum pag. 49. pro L. MANIO lege C. MANLIO. Ad hanc urbem revocandus est etiam nummus, quem ille pag. 47. ex falsa Sponii lectione N. pro IL. ad Coloniam Carthaginem Novam Augustam revocat.

Ne nummum cum his notis C. C. IL. A. ad Coloniam Illicem Augustam revocaremus, dubium movebat secunda littera C. quam *Cæsaris* P. Norisius apud Mediobarbum pag. 49. interpretatur, pro solita voce I. id est *Immunis*, ad hanc urbem maximè spectante, ut dictum est: sed cùm etiam ei *Victrix* cognomen Ant. Augustinus Dial. 7. ex nummo musei sui inditum exhibeat, varia aliquando cognomina Coloniam Illicitanam ut alias urbes usurpasse putavimus; sed ad hanc urbem nummum pertinere signa militaria tum in eo, tum in aliis ejusdem Coloniæ sub Tiberio percussa persuaserunt.

Aquila & vexillum inter duo signa militaria Veteranos ex duabus Legionibus, quarum nomina in nummis omissa ignoramus, in coloniam deductos arguunt.

Manlia gens in patricias & plebeias divisa est; *Petronia* inter plebeias recensetur.

Hic nummus parvi moduli pro raro numeratur.

ITALICA.



DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augusti radiatum.

MVN. ITAL. PERM. AVG. *Municipium Italicense permissu Augusti.* Ara in qua vox PROVIDENT. *Providentiæ.*

Italica urbs Hispaniæ Bœticæ ad Bœtim fluvium, à Scipione anno U. C. 654. condita, pace cum Carthaginensibus initâ, ut narrat Appianus de Bello Hisp. Καὶ αὐτοῖς ὁ Σκιπίων ὀλίγην στρατιὰν ὡς ἐπὶ εἰρήνῃ καταλιπὼν, συνῴκισε τοὺς τραυματίας ἐς πόλιν, ἣν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Ἰταλικὴν ἐκάλεσε. *Relicto, utpote pacatâ regione, haud valido præsidio, Scipio milites omnes vulneribus debiles in unam urbem compulit, quam ab Italia Italicam nominavit.* Municipium hæc in nummis vocata est, quod confirmat A. Gellius lib. 16. cap. 13. de oratione quam Hadrianus habuit ad Senatum; *mirarique se ostendit quòd & ipsi Italicenses, & quædam Municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cùm suis moribus legibusque uti possent, in jus Coloniarum mutari gestiverint.*

Ut plurimæ urbes templa post Augusti apotheosim ædificarunt, Italicenses ejus Providentiæ aram ipsi erectam in nummis percussere, ut beneficam ipsius voluntatem instar numinis, mundi partes pulcherrimè administrare demonstrarent: homines enim inter deos relati, secundi dicuntur ordinis; qua de re loquentem audias Plutarchum de Fato. Ἡ δὲ δευτέρα, δευτέρων θεῶν τῶν κατ᾽ οὐρανὸν ἰόντων καθ᾽ ἣν τά τε θνητὰ γίνεσθαι τεταγμένως, καὶ ὅσα πρὸς διαμονὴν καὶ σωτηρίαν ἑκάστων τῶν γενῶν. *Secunda verò Providentia, secundorum est deorum, qui per cælum ingrediuntur, quâ & mortalium res ordinatæ fiunt; & singulorum generum permansio atque salus procuratur.*

Hic nummus mediocris formæ rarus est & elegans.

OSCA.



VRB. VICT. in aliis VRBS VICTRIX. Caput Augufti fine laurea.
OSCA. Eques decurrens, dextrâ haftam.

Ofca urbs Hifpaniæ Tarraconenfis in Ilergetibus, ex Conventu Cæfarauguftano inter oppida civium Romanorum recenfetur à Plinio lib. 4. *Ex his civium Romanorum.... Ofcenfes regionis Vefcitaniæ.* Urbs per excellentiam appellatur, ut putat Ant. Auguftinus Dial. 7. quod ille confirmare nititur Plutarchi auctoritate, qui eam vocat Magnam in Sertorio. Τοὺς γὰρ εὐγενεστάτους ἀπὸ τῶν ἐθνῶν συναγαγὼν εἰς Οσκαν πόλιν μεγάλην διδασκάλους ἐπιστήσας Ἑλληνικῶν τε καὶ Ρωμαίων μαθημάτων. *Nam ex parentibus fibi gentibus nobiliffimam Ofcam amplam urbem contraxit, iifque doctores præfecit litterarum Græcarum & Latinarum.* Sed *Victrix* dicta eft, fi rectè opinamur, à Julio Cæfare, quafi ejus deditione contra Pompeii Legatos victor extitiffet, de Bello civ. 1. *Interim Ofcenfes & Calaguritani, qui erant cum Ofcenfibus contributi, mittunt ad eum Legatos, fefeque imperata facturos pollicentur.* De equite infrà.

Hic nummus fecundæ magnitudinis, ab Ant. Auguftino dial. 7. & à Patino vulgatus pag. 37. obvius & tritus eft.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augufti laureatum.
V. V. OSCA. *Urbs Victrix Ofca.* Eques decurrens, dextrâ haftam.

Eques decurrens in Augufti nummo non ejus ad bellum profectionem arguit, nec ad aliquam ipfius expeditionem fpectat; idem enim typus aliis Hifpaniæ urbibus paffim in Augufti, Tiberii & Caligulæ nummis occurrit, feu quòd regio equis abundet, feu quòd gens præ ceteris bellatrix fit, tefte Floro lib. 2. de Hifpania loquente, *Bellatricem illam viris armifque nobilem.* Nemo nefcit regionem illam equis optimis abundare; imò Julius Cæfar Hifpanorum equitatum commendat lib. 5. de Bello Gall. *Cùm celeriter noftri arma cepiffent, vallumque afcendiffent, atque ex una parte Hifpanis equitibus emiffis, equeftri prælio fuperiores fuiffent.*

Hic nummus mediocris moduli, ab Ant. Auguftino dial. 7. vulgatus, frequens eft.



AVGVSTVS DIVI F. PONT. MAX. PATER PATRIAE. Caput Augufti nudum.
V. V. OSCA. COMPOSTO ET MARVLLO II. VIR. *Urbs Victrix Ofca. Compofto & Marullo Duumviris.* Eques decurrens cum hafta.

Eques decurrens in nummo, urbis infigne eft. *Compoftus* & *Marullus* Duumvirorum cognomina habentur, fub quibus fignatus fuit nummus; ad quas illi pertineant familias, ex alio ampliori expectandum. *Marullus* quidem Epidiis, Juniis & Metiis cognomen: *Compoftus*, an per fyncopen ex Compofito? Virgil. Æneïd. 1.

Nunc placidâ Compoftus pace quiefcit.

Hic nummus fecundæ formæ, à Patino pag. 37. vulgatus, nec rarus nec obvius eft.



AVGVSTVS DIVI F. PONT. MAX. PATER PATRIAE. Caput Augufti laureatum.
VRB. VIC. OSCA SPARSO ET CELERE II. VIR. *Urbs Victrix Ofca. Sparfo & Celere Duumviris.* Eques decurrens, haftâ infignis.

Iterum

Iterum prodit Oſcenſium nummus cum equite & Duumvirorum cognominibus. *Sparſus* ad Fulviam gentem pertinere videtur, tum ex Seneca Decl. lib. 7. qui *Fulvium Sparſum* inter illuſtres Declamatores recenſet; tum ex nummo Tiberii apud Calaguritanos cuſo, in quo *L. Fulvius Sparſus* Duumvir: in alia autem familia nullum *Sparſi* cognomen. *Celeris* autem plurimarum vulgare eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis frequens eſt & obvius.

PANORMUS.



PANORMITANORVM circa caput Auguſti nudum.
AVGVSTA. Caput Juliæ velatum.

Panormus, urbs eſt Siciliæ littoralis à Pœnis condita, cui nomen Πάνορμος à tuta navium ſtatione datum; hæc in poteſtatem Populi Romani tandem redacta, fidam adeo ſemper ei ſe præſtitit; ut dum Sicilia conſtitueretur provincia, immunitatem & libertatem obtinuerit, hoc eſt, à Magiſtratus Romani juriſdictione fuerit ſoluta. Strabo eam *Coloniam Romanorum* appellat lib. 6. p. 272. Πάνορμος δὲ καὶ τῶν Ῥωμαίων ἔχει κατοικίαν. *Panormus etiam Coloniam habet Romanam.* Goltzius in Sicilia, Auguſti temporibus militarem Coloniam in eam arbitratur deductam, quod probari poteſt tum ex obvio nummo Græcè Auguſti temporibus ſcripto; in quo legitur ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ circa triquetram, Siciliæ ſymbolum, ante ſcilicet Coloniæ inſtitutionem; tum ex hoc poſt deductam Coloniam, Latinè ſignato, ob jus civium Romanorum ipſi conceſſum. Panormus beneficii memor, fundatoris effigiem in Juliæ uxoris nummo renovat. En marmor Panormi repertum, quod Caracallæ ævo ei Coloniæ *Auguſtæ* nomen adhuc tribuit, apud Sponium Miſcell. pag. 177.

IMP. CAES. DIVI
MAGNI ANTONI
NI PII DIVI SEPTIMI
SEVERI. . . . . .
. . . SEVERO ET
. . . . PIO FEL.
AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. II. COS. II. COL.
AVG. PANHORM.
DD.

Hic nummus mediocris moduli in muſeo noſtro inter rariſſimos computandus, mutilus à Patino pag. 34. vulgatus.



PANORMITANORVM. Caput Auguſti radiatum.
. . . . . CN. DOMIT. PROCOS. In vertice Capricornus; in imo triquetra.

Caput Auguſti radiatum, nummum à Panormitanis etiam poſt mortem percuſſum arguit; averſa pars Capricornum & triquetram habet; alterum Auguſti inſigne, alterum Siciliæ ſymbolum. Capricornus, capri nempe cum cauda piſcis involuta effigies; decimum Zodiaci ſignum eſt; quod Sol ingrediens ſolſtitium facit hybernum. Hunc Pana fuiſſe Ægyptii narrant apud Hyginum Poët. Aſtron. lib. 2. Pan quippe in Ægypto repentino adventu Typhonis gigantis perterritus, poſteriorem ſui partem in piſcis caudam; priorem in formam hirci commutavit; cujus ingenium admirans Jupiter, figuram hanc dicitur in cælum transtuliſſe. Auguſtus ſub hoc ſigno natus, illud in nummis ſignavit; adferente Suetonio in ejus vita cap. 94. *Tantam mox fiduciam fati habuit, ut thema ſuum vulgaverit; nummumque argenteum notâ ſideris Capricorni, quo natus erat, percuſſerit.* Sicilia à ſitus ſpecie à Græcis quondam *Trinacria* à tribus nimirum promontoriis dicta eſt; uti & ab Latinis à tribus ſed inæqualibus lateribus *Triquetra* appellata fuit. Horat. 2. ſat. 6.

Mili.

Militibus promissa Triquetrâ
Præmia Cæsar, an est Italâ tellure daturus?

Hæc trium femorum symbolo, quæ in numismatibus extrema sui parte ad caput connectuntur, ab antiquitate expressa est.

Proconsul provinciæ sub quo cusus est nummus, legitur *Cn. Domitius*, L. Domitii & Antoniæ minoris filius, qui Agrippinæ juniori nupsit anno U. C. 780. ut tradit Tacitus Ann. 4. in fine. *Cæterùm Tiberius neptem Agrippinam Germanico ortam cùm coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias jussit.* Consulatum ille gessit ex eodem & Dione an. 584. Siciliamque Populi Rom. provinciam deinde Proconsul obtinuit. Panormitani nummum in Augusti Coloniæ fundatoris memoriam percusserunt sub Proconsulatu Cn. Domitii, qui ejus erat abgeher; nam à Tacito Ann. 6. inter Tiberii progeneros recensetur ad templi Augusti & scenæ Pompeiani theatri dedicationem: *Quatuor progeneri Cæsaris Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinucius, Rubellius, Blandus delecti.* Is pater Neronis Imp. erat.

Hic nummus mediocris, in Gaza Christinæ Reginæ reconditus, eximiæ raritatis & elegantiæ est.

PATRÆ.



PATER. Caput Augusti nudum.
PATRIAE. C. A. A. P. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Colonus agit boves, dextrâ aratrum.

DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augusti radiatum.
COL. A. A. PATRENS. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Colonus agens boves, dextrâ aratrum, sin. vexillum.

Ad *Patras* Achaiæ urbem pertinent hi duo nummi, alter vivente Augusto, alter post ejus apotheosim cusus; uterque litteras A. A. punctis interstinctas præfert; quarum ultimam eruditè & felici successu *Aroem* interpretatus est noster Seguinus, apud quem pag. 114. edit. 2. ejus urbis conditores seu restauratores videas, ubi narrat urbem ab Eumelo priùs conditam, deinde à Patreo ampliatam, denique ab Augusto Coloniam deductam, ternio nomine *Augustam*, *Aroem*, *Patrensem* esse appellatam. Ejus post Actiacam pugnam deductionis meminit Strabo lib. 6. pag. 387. Ῥωμαῖοι δὲ νεωστὶ μετὰ τὴν Ἀκτιακὴν νίκην ἵδρυσαν αὐτόθι τῆς στρατείας μέρος ἀξιόλογον. ἀποικίαν Ῥωμαίων ἐστιν. *Romani nuper eò in coloniam deduxerunt magnam partem exercitus, quo in Actiaca paranda victoria usi fuerant.* Prior nummus *Patris patriæ* titulum Augusto tribuit, ideo cusum anno post Coloniæ constitutionem undecimo arbitramur, si quidem Patrensem Coloniam anno U. C. 740. deductam tradit Eusebius in Chron. cùm Augustus anno 751. *Pater patriæ* à Messala Consule sit salutatus, posterior verò cum *Divi* nomine post mortem signatus est: in utroque colonus priorem nummum sub Duumviris seu jam Patrensibus civibus, seu ex urbibus vicinis in urbem traductis signatum arguit, quorum colonus typus est, ut signa militaria, Veteranorum in Coloniæ supplementum missorum insignia sunt: sed colonus in altero nummo vexillum sinistrâ gerens, illum indicat dedicatum sub Duumviris, quorum alter ex civibus, alter ex Veteranis fuerit.

Prior nummus minimæ formæ rarus est, alter mediocris, frequens.

PATRICIA.



PERM. CAES. AVG. *Permissu Cæsaris Augusti.* Caput Augusti sine laurea.
COLONIA PATRICIA. In corona quercea.

Colonia Patricia eadem est quæ *Corduba*, si Plinio fides lib. 3. cap. 1. *Corduba, Colonia Patricia cognomine.* Sed in nummis non aliter quàm *Colonia Patricia*, etsi aliquando in inscriptionibus apud Gruterum, *Colonia Patricia Corduba.* Urbs est Bœticæ primaria ad Bœtim fluvium, à Marcello condita, teste Strabone lib. 3 pag. 141. Πλεῖστον δ' ἡ τε Κόρδυβα ηὔξηται Μαρκέλλου κτίσμα καὶ δόξῃ καὶ δυνάμει.

Maxima

Maxima autem gloria ac potentia crevit Corduba Marcelli opus. A quo Colonia deducta ſit, ignoratur; Hiſpani ſcriptores ab Auguſto ſuſpicantur, ſed ab eo Veteranorum ſupplementum tantùm accepiſſe videtur, ſi primam Romanorum in Hiſpania Coloniam ipſam fuiſſe tradat Strabo loco cit. Ὤκησάν τε ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες, καὶ δὴ καὶ πρώτην ἀποικίαν εἰς τοὺς δε τοὺς τόπους ἔστειλαν Ῥωμαῖοι. *Inhabitaruntque eam ab eo delecti Romanorum & indigenarum viri, primamque eò iſtis in regionibus coloniam Romani deduxerunt.* Per delectos Romanorum viros intelligendi ſunt Patricii, à quibus *Colonia Patricia* videtur vocata. Coronam querceam in Auguſti nummo ob cives in bello ab eo ſervatos ſignarunt Coloni, non autem in honorem Julii Cæſaris, ut arbitratur Ambroſius Morales.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis nec rarus nec obvius.



PERM. CAES. AVG. *Permiſſu Cæſaris Auguſti.* Caput Auguſti nudum.
COLONIA PATRICIA. Apex & ſimpulum.

Apex & ſimpulum inſtrumenta ſunt pontificalia. *Apex* ſeu albogalerus à galea nominatus eſt: eſt enim pileum capitis, quo Diales Flamines, id eſt Sacerdotes Jovis, utebantur; fiebat enim ex hoſtia alba Jovi cæſa, cui affigebatur apex virga oleagina, Feſtus. *Simpulum* ſeu capeduncula vas erat parvum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, ex eodem auctore; id fortè à ſumendo dictum, ut capeduncula à capiendo, Varro. Hæc ad maximum Auguſti pontificatum ſpectant, quem accepit mortuo M. Lepido Triumviro anno U. C. 741. Lepidus autem poſt Julium Cæſarem anno 710. ut refert Appianus lib. 2. de Bello civ. Καὶ ὁ Λέπιδος ᾑρῆτο ἐπὶ τὴν τοῦ Καίσαρος ἱερωσύνην. *Et Lepidus in Cæſaris mortui locum Pontifex Maximus factus eſt.* Et Dio lib. 54. pag. 540. Auguſtum narrat: Ἐπειδή τε τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη. *Cùm Lepido mortuo Auguſtus ſummus Pontifex eſſet creatus.* Cordubenſes Auguſto gratulabundi, ſacerdotiorum inſtrumenta in nummis percuſſerunt.

Hic nummus minimæ formæ pro raro numerandus.



PERM. CAES. AVG. Caput Auguſti ſine laurea.
COLONIA PATRICIA. Aſpergillum, præfericulum, lituus & patera. *Diverſi ſunt typi.*

Inſtrumenta iterum prodeunt pontificalia in ſummi pontificatus Auguſti memoriam ſignata; promiſcua aliorum ſacerdotiorum ſymbola. *Aſpergillum*, aſperſorium quidam vocant, quo aquam luſtralem aſpergebant; ex frondibus vel ex ſetis, lauro item aut oleâ compoſitum, ut putat Raph. Fabrettus de Col. Trajani pag. 164. *Præfericulum*, vas erat ſacrificale anſatum. *Lituus*, baculus aduncus, qui ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit: Cicero lib. de Divinat. Augurum inſigne, *Patera*, quòd ſacrificium epulare facerent Sacerdotes, ſeptem virorum Epulonum ſymbolum eſt: vide P. Noriſinium Cenot. Piſ. pag. 123. Hæc omnia ad ſummum ſacerdotium ſpectabant, quòd Pontifex Maximus omnia ſacerdotia contineret; idcirco Julius Cæſar apud Dionem lib. 37. pag. 46. Ἀρχιερεὺς τῶν Ποντιφίκων renuntiatur: quæ dignitas ab Auguſto tanquàm hæreditaria tranſiit in Imperii ſucceſſores.

Hic nummus ſecundi moduli rarus, ſed primi rariſſimus eſt.




PERM. CAES. AVG. Caput Augusti nudum.

COLONIA PATRICIA. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Signa militaria in Coloniarum nummis, veteranorum militum in has transmissorum originem denotant. Corduba à Marcello condita, Reipublicæ tempore Colonia deducta, *Patricia* vocata est, ab Augusto, Hispaniâ tandem pacatâ, & colonis bello imminutis, Veteranorum supplementum accepit; cui etiam cudendæ monetæ facultas ab eo concessa est, cujus beneficii memores Cordubenses, PERM. AVG. in omnibus suis nummis inscripserunt. Sed cùm Seguinus noster pag. 117. edit. 2. doctissimos viros referat contendere, nummos æreos nullos nisi decreto Senatus cusos fuisse primis Imperii Romani sæculis, nihil tamen de cudendæ monetæ potestate ab Augusto facta statuit, imò hæc addit: *Advertant viri clarissimi, quos impensiùs colo, quâ se viâ hinc expediant, pro sua prudentia & rerum antiquarum experientia singulari.* Nos autem Augustum in divisione Romanarum provinciarum cum populo, ut tyrannidem affectare se minimè videretur, cudendæ monetæ æreæ facultatem Senatui reliquisse putamus, unde in nummis Romæ cusis hæc apposita nota S C. in Coloniis verò DD. vel II. VIR. aut Duumvirorum nomina; at in illis quæ integra privilegia civium Romanorum non haberent, necessarius Imperatoris permissus videbatur, quem in nummis illæ signare consueverant.

Hic nummus primæ magnitudinis pro rarissimo numerandus.



PERM. CAES. AVG. Caput Augusti sine laurea.

COL. PATR. LEG. V. X. *Colonia Patricia. Legiones quinta, decima.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Superior nummus Legionum signa Veteranorum in coloniam deductorum symbolum percussit, hic perrarus cum ipsis *Quintæ* & *Decimæ* nomina, ex quibus coloni transmissi sunt, exhibet; Augusti historiam illustrans: ille enim Legionem quintam Macedonicam in Germania inferiore constituit; decima autem cùm gemina esset, unam cognomine *Victricem* in Syria, alteram *Ferratam* in Hispania collocavit: sed antequam eas in provincias migrare jussisset, Veteranos illarum exauctoratos in Colonias deduxit, *Macedonicæ Quintæ* Legionis partem in Coloniam Patriciam, alteram verò Berytum & Heliopolim Phœniciæ, *Decimæ Victricis* seu *Ferratæ* partem Cæsaraugustam Hispaniæ Tarracon. Ruscinonem Galliæ Narbon. & alteram in Col. Patriciam transmissam, tum ex hoc nummo, tum ex aliis docemur. Quanta igitur ex rei nummariæ monumentis historiæ lux, quæ sine eorum ope multâ caligine involuta permaneret.

Hic nummus mediæ formæ, raritatis eximiæ est & elegantiæ.

ROMULEA COLONIA.





COL. ROM. PERM. DIVI AVG. *Colonia Romulea* vel *Romulensis, permissu divi Augusti.* Caput radiatum, *aliis* laureatum, ante quod fulmen.

IVLIA AVGVSTA GENITRIX ORBIS. Caput Juliæ globo impositum, & crescente luna.

Colonia Romulea, eadem quæ Hispalis, teste Plinio lib. 3. cap. 1. *Hispalis Colonia cognomine Romulensis.* Urbs est Hispaniæ Bœticæ ad Bœtim fluvium, ut tradit Mela lib. 2. cap. 4. *In Bœtica, Astagi, Hispalis, Corduba.* Coloniam deductam docet Strabo lib. 3. pag. 141. Ἡ μὲν Ἴσπαλις ἐπιφανὴς, καὶ αὐτὴ ἄποικος Ῥωμαίων. *Post has Hispalis claret, ipsa quoque Romanorum Colonia.* Nummum post Augusti mortem, *Divi* titulus, corona radiata & fulmen apotheoseos symbola, percussum arguunt; sed & Juliæ nomen per Augusti testamentum ipsi concessum confirmat: ejus meminit Dio lib. 50. pag. 600. Τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν, καὶ θιασώτας οἱ, καὶ ἱερὰ ἱέρειάν τε τὴν Λιβίαν τε νεῶ, καὶ Αὐγούσταν καλουμένην, ἀπέδειξαν. *Tum verò inter mortales deos eum indigitarunt, & Flamines cum sacris, & Sa-*

& Sacerdotem Liviam, quæ tum Juliæ, tum etiam Augustæ cognomenta acceperat, constituerunt. Plura de hoc nummo in Julia.

Hic nummus majoris formæ, ab Ant. Augustino dial. 8. *& in Suetonio Patini pag.* 113. *vulgatus, inter rariores tantùm collocatur.* Erosum quidem viderat Patinus, cui titulum DIVVS AVGVSTVS pro solita COL. ROM. PERM. DIVI AVG. epigraphe substituit.

RUSCINO.



IMP. CAES. AVGVSTVS. Caput Augusti sine laurea.
COL. RVS. LEG. VI. *Colonia Ruscino. Legiones Sextæ.* Duæ aquilæ legionariæ.

Plurimæ Coloniæ per has litteras RVS. incipiunt, Rusellæ in Tuscia Plinio lib. 3. cap. 5. sed Italiæ Coloniis jus cudendæ monetæ haud concessum. Rusadder in Mauritania Tingitana, Antonino in Itiner. cùm à Plinio Colonia non appelletur, à Trajano aut Hadriano deductam putamus. Rusconiæ, Rusicurium, & Rusazus in Mauretania Cæsariensi ab eodem Plinio collocantur lib. 5. cap. 2. *Alterius jam Mauretaniæ.... quæ nunc Cæsariensis..... Colonia Augusti Rusconiæ, Rusucurium civitate honoratum à Claudio, Rusazus Colonia Augusti.* Et est Ruscino in Gallia Narbonensi Colonia; unde dubium cuinam earum tribuendus nummus: sed cùm Augusti caput exhibeat, Rusucurium civitate à Claudio donatum expungendum est. Rusconiæ & Rusazus Coloniæ ex Plinio ab Augusto deductæ, pro se valde sollicitant, sed nummi forma & epigraphe pro Ruscinone certant; imò nummus in ejus tractu repertus, & mihi donatus, ut hunc illi tribuamus impellit.

Ruscino, urbs est Galliæ Narbon. ad fluv. cognominem, ut liquet ex Strabone l. 4. pag. 184. Ἐκ μὲν τῆς Πυρήνης ὅ, τε Ῥυσκίνων καὶ ὁ Ἰλυβίρρις, πόλιν ἔχων ὁμώνυμον ἑκάτερος αὐτῶν. *E Pyrena fluunt Ruscino & Ilybirris, uterque urbem habens cognominem.* Coloniæ titulum illi tribuit Mela lib. 2. c. 3. *Inde est ora Sardonum, Telis & Tichis; ubi accrevere, persæva, Colonia Ruscino,* &c. Duæ aquilæ legionariæ Veteranos duarum Legionum in coloniam transmissos denotant; cùm enim Legio Sexta fuerit gemina, una cognomine *Victrix* in Syria ab Augusto, & altera Sexta *Ferrata* in Hispania constituta: antequam verò ille eas in provincias dimitteret, earum Emeritos partim Cæsaraugustam & Accim, ut ex eorum nummis novimus, partim Ruscinonem traduxit; unde in hoc duæ aquilæ legionariæ cum inscriptione LEG. VI. *Legiones Sextæ.*

Hic nummus minimi moduli in museo nostro, singularis elegantiæ & raritatis est.

SEGOBRIGA.



AVGVSTVS DIVI F. Caput Augusti laureatum.
SEGOBRIGA. Eques decurrens, dextrâ hastam.

Segobriga, urbs Hispaniæ Tarraconensis gemina, altera Celtiberorum primaria teste Plinio lib. 3. cap. 3. *Caput Celtiberiæ Segobrigenses.* Altera ubi fuerit, non valde constat, sed cùm prior inter stipendiarias urbes ab eodem Plinio recenseatur, ad eam nummos pertinere minimè crediderim, si quidem stipendiariis cudendæ monetæ facultas nusquam concessa videatur; quare potiùs ad posteriorem, quæ veteris Latii jure donata, meritò nummos cudere potuit. Vide in Tiberio. Eques decurrens, non ad aliquod Augusti factum spectat, sed urbis ut & aliarum Hispanicarum, de quibus antè egimus, insigne est.

Hic nummus secundæ magnitudinis obvius est.

TARRACO.



IMP. CAES. TR. POT. PONT. MAX. Caput Augusti laureatum.
C. V. T. C. L. CAES. AVG. F. *Colonia Victrix Tarraco. Caius Lucius Cæsares Augusti filii.* Capita Caii & Lucii sine laurea.

Tarraco, urbs Hispaniæ citerioris maritima ad ostia Tulcis celeberrima, de qua Eutropius lib. 9. Ταῤῥάκωνα πόλιν ἐπιφανῆ κατασκάψαι. *Tarraconem urbem illustrem expugnaverunt.* Hæc à Scipione Africano majore condita, deinde ædificiis plurimis ab Africano minore aucta est; ideo Solinus eam Scipiones condidisse refert cap. 25. *Carthaginem apud Iberos, quæ mox Colonia facta est, Pœni condiderunt, Tarraconem Scipiones.* Quod jam tradiderat Plinius lib. 3. cap. 3. *Colonia Tarraco Scipionum opus.* Ant. Augustinus & Gruterus ex antiquis Inscriptionibus *Juliæ* nomen ei tribuentibus, à Julio Cæsare deductam augurantur, GENIO COL. I. V. T. TARRACO. Cognomen *Victricis* urbibus de Julio Cæsare bene meritis vulgare, id confirmare videtur. Tarraconenses quidem in bello contra Pompeii Legatos ad Cæsarem transierunt, ut ipse narrat de Bell. civ. lib. 1. *Interim Oscenses & Calaguritani mittunt ad eum legatos, seseque imperata facturos pollicentur: hos Tarraconenses, &c. insequuntur.* Osca ut Tarraco *Victrix* appellatur, & Calaguris dicta est *Julia.*

Tarraconenses Augusti fuerunt studiosissimi, quòd bis Consulatum in urbe sua recepisset, teste Suetonio cap. 26. *Octavum & nonum Tarracone iniit.* Octavum quidem cum T. Statilio Tauro anno U. C. 728. ante Christum 24. nonum verò anno sequenti cum M. Silano gessit. Ipsi in observantiæ suæ monimentum Caium & Lucium ab illo adoptatos ut Imperii successores, in nummis ex aversa parte signarunt.

Hic nummus secundæ formæ, à Patino pag. 61. & in ejusdem Suetonio pag. 115. vulgatus, inter rariores adscribendus.



IMP. CAES. AVG. TR. POT. PON. MAX. P. P. Caput Augusti laureatum.
C. V. T. TI. CAESAR. *Colonia Victrix Tarraco. Tiberius Cæsar.* Caput Tiberii nudum.

Ant. Augustinus Dial. 7. ob mutilum TI. prænomen, Julio Cæsari nummum tribuit.

Superior nummus in Caii & Lucii adoptionis memoriam cusus est; hic alterum Tiberii adoptionis monumentum est: illis enim vitâ functis Augustus Tiberium adoptavit, teste Suetonio cap. 25. *Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis, tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit in foro Lege Curiatia.* De eadem adoptione loquitur Dio lib. 55. pag. 556. Τὸν δὲ Τιβέριον καὶ ἐποιήσατο, καὶ ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἔπεμψε τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ τὴν δημαρχικὴν ἐς δέκα ἔτη δούς. *Tiberium adoptavit, ac Tribunitiâ potestate ad annos decem datâ, in Germaniam ablegavit.* Tarraconenses utrique gratulantes, hinc Augustum laureâ insignem & Imperatorem, inde caput Tiberii ut Cæsaris nudum percusserunt.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 36. vulgatus, inter conspicuos & elegantes numerandus.



DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augusti radiatum.

C. V. T. T. AETERNITATIS AVGVSTAE. *Colonia Victrix Togata Tarraco. Æternitatis Augustæ.* Templum decem columnis ornatum.

Tarraco cognomen *Togatæ* hoc in nummo assumit, ut Colonia ab aliis Hispanis per togæ usum distincta, cui adstipulari videtur Strabo lib. 3. pag. 151. Καὶ δὴ τῶν Ἰβήρων ὅσοι ταύτης εἰσὶ τῆς ἰδέας στολάτοι λέγονται, ἢ τογάτοι. *Et qui hanc formam sequuntur Hispani, Stolati seu Togati appellantur.* Tarraconenses post Augusti apotheosim Legatos Romam miserunt, petentes ut ipsi templum condere sibi liceret, quod primi obtinuerunt, teste Tacito Annal. lib. 1. *Templum ut in Colonia Tarraconensi strueretur Augusto petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum.* Superbum quidem sub *Æternitatis Augustæ* titulo, cujus in nummis figuram seu iconem ex una parte, & ex altera Augusti effigiem coronâ radiatâ ornatam tanquam inter Divos relatum delinearunt.

Hic nummus minoris formæ inter elegantiores collocandus.



DEO AVGVSTO. Statua Augusti sedens, dextrâ Victoriolam globo impositam, lævâ hastam puram.

C. V. T. T. AETERNITATIS AVGVSTAE. *Colonia Victrix Togata Tarraco. Æternitatis Augustæ.* Templum ut suprà.

Figura illa sedens, statua est Augusti in hoc templo Æternitati ejus consecrato à Tarraconensibus posita, cui insolentem & vesanam *Dei* pro *Divi* appellationem, Græcorum adulationem potiùs quàm Romanorum exemplum sequuti, inscripserunt. Servius enim inter Deos & Divos ita distinguit, ut Dii dicantur æterni, Divi autem qui ex hominibus fiunt, qua ratione templum & Julii & Augusti Romæ apud Dionem Ἡρῷον dictum est. Prioris meminit lib. 54. pag. 546. Καὶ τὴν Ὀκταουΐαν τὴν ἀδελφὴν ἀποθανοῦσαν προέθετο ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρώου. *Et Octaviam sororem vitâ functam in sacrario Julio publicè exposuit.* De altero sic loquitur lib. 59. pag. 660. Καὶ Αὐγούστῳ ἐν τε τῇ Ῥώμῃ ἡρῷον, ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δὲ ὑπό τε τῆς Λιουΐας, καὶ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου ἐποιήθη. *Decretum quoque Romæ Augusto sacrarium à Senatu, à Livia autem & Tiberio factum.* Ἡρῷον autem verè erat fanum Heroi constructum, unde *Divi* titulo illi Romanorum Imperatores post mortem decorati sunt, à quibus in vita insignia profecta essent in Rempublicam merita: quamquam postea crescente in dies adulatione, plerique ne vivi quidem id honoris aspernati sunt, imò *Dei* appellationem ambierunt, ut de Domitiano tradit Eutropius lib. 7. *Dominum se & Deum primus appellari jussit, sed nec Divus post mortem appellari meruit.*

Hic nummus primæ magnitudinis, ab Ant. Augustino Dial. 7. vulgatus, pro rarissimo habendus.



DIVVS AVGVSTVS PATER.

C. V. T. T. *Colonia Victrix Togata Tarraco.* Ara supra quam palma arbor enata.

Augustus ad bellum Cantabricum anno U. C. 728. profectus, Tarraconem morbo correptus se recepit, teste Dione lib. 53. pag. 514. Καὶ ὁ μὲν ἔκ τε τοῦ καμάτου, ἐκ τῶν φροντίδων νοσήσας, ἐς Ταρράκωνα ἀνεχώρησε. *Ac ex labore curisque in morbum prolapsus, Tarraconem se contulit.* Tarraconenses protinus votis pro ejus salute susceptis aram exstruxerunt, sed cùm longè post Augusti discessum enata esset in ea palma, id pro victoriæ Cæsaris omine & æternitatis symbolo reputantes, Quinctilianus lib. 6. cap. 4. Inst. Orat. narrat eos Romam Legatos misisse, Augusto gratulantes de enata palma, quibus etsi Cæsar per jocum responderit, *Apparet, quàm sæpe accendatis:* Tarraconenses tamen post ejus mortem aram hanc cum eadem palma in nummis præ æternitatis Augusti symbolo signarunt, alludentes templo quod *Æternitatis Augustæ* ædificaverant.

Hic nummus primæ magnitudinis ab Ant. Augustino dial. 7. vulgatus, inter rariores adscribendus.

JULIA TRADUCTA.



PERM. CAES. AVG. *Permissu Cæsaris Augusti.* Caput ejus sine laurea.
IVL. TRAD. *Julia Traducta*, in quercea.

Julia Traducta, urbs gemina, una Africæ Tingitanæ, altera Hispaniæ Bœticæ in ora opposita; illa Colonia à Claudio Cæsare deducta, hæc civium Romanorum jure à Julio donata videtur. De priori cùm de Augusti nummo nobis sit sermo, nulla erit mentio; sed quia de posteriori viri eruditissimi, & præsertim P. Norisius in Cenot. Pisan. varia protulere, quid de illa sentiamus, nobis aperire liceat. *Juliam Traductam* non à Romanis conditam, sed urbi cuidam hoc nomen ab iis inditum fuisse narrat Strabo. Sunt ergo nova hæc cognomina: unde autem antiqua ejus oppidi nomenclatura nobis eruenda? En Mela insignis ille Geographus, qui in gratiam patriæ suæ priscam ejus appellationem *Tingentera* profert. *Carteia*, inquit, *& in quam transvecti ex Africa Phœnices habitant, atque unde nos sumus Tingentera, tum Melaria, Belo*, &c. Sed quomodo & quando relictâ voce Tingentera aut Cingetera (nam utraque in MS.) nova invenerit nomina, nobis inquirendum est.

Plurimas Hispaniæ, imò Bœticæ provinciæ urbes recenset Plinius lib. 3. quæ amissâ antiquâ nomenclatione, aliam cum *Juliæ* cognomine à Julio Cæsare habuerunt: testes sint Illiturgi, quod *Forum Julium*; oppidum Osset, quod *Julia Constantia*; Vergentum, quod *Julii Genius*; Itucci, quæ *Virtus Julia*; Attubi, quæ *Claritas Julia*, &c. Sic urbs ex Mela *Tingentera* mutatâ appellatione apud Geographum Anonymum Ravennatem in Bœticarum urbium recensione *Transducta Cetraria* appellatur, duobus posterioribus nominibus confusis. *Carteia*, inquit, *Transducta Cetraria, Mellaria, Belon*, &c. Uterque & Mela & Anonymus urbem de qua sermo est, inter Carteiam & Mellariam collocat: sed illa, *Cetraria* priùs, & deinde *Transducta* est appellata, illud quidem nomen à Julio, alterum verò ab Augusto habuit.

Tingentera mutato nomine *Julia Cetraria* ob cetratas Bœticæ cohortes in eam à Julio Cæsare post devictos Pompeii Legatos transmissas vocata est, dimissis iis cetratis qui domicilium haberent, ut ipse refert in Commentar. de Bello civ. lib. 1. cap. 39. imò Bœticam ipsam Julius Cæsar civibus pene exhaustam post bellum contra Pompeii filios iterum novis civibus frequentavit, ut liquet ex Livio lib. 4. Decad. 4. *Tertium, Hispani, genus Romani coloni ab Divo Cæsare post devictos Pompeii liberos adjecti.* Augustus deinde, pace in Hispania stabilitâ, cùm emeritos milites exauctorasset, & novos cives in urbes bello vacuatas transferret, *Juliam Cetrariam* pene desertam partim Romanis, partim Zelitanis & Tingitanis locupletavit, cui, retentâ *Juliæ* in Julii patris honorem, relictâ verò *Cetrariæ* appellatione, nomen *Juliæ Jozæ*, id est *Traductæ*, ex Africanis illis civibus indidit, ut rectè Strabo lib. 3. pag. 140. Ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀσυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι, καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος προσλαβόντες τινάς, ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἐποίκους, καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἰόζαν τὴν πόλιν. *Fuit & Zelis Tingi vicina urbs, sed eam Romani in ulteriorem oram transtulerunt, additisque à Tingi nonnullis, & à seipsis alios miserunt, urbique nomen Juliæ Jozæ indiderunt.* Joza vocabulum est Africanum seu Punicum, ex Bochardo, quòd idem sonat quàm Latinè Traducta

Ex iis huc usque allatis palam fit *Tingenteram* amisso veteri nomine, *Juliam Cetrariam* à Julio appellatam, deinde relictâ *Cetrariæ* appellatione, *Traductam* à traductis civibus Augusti jussu dictam: non enim verisimile est *Juliam* ab Augusto fuisse nominatam; quænam autem inter urbes à Julio & Augusto cognominatas esset distinctio, si ab Augusto *Juliæ* appellarentur? sed constat urbes aliqua immunitate, seu *Coloniæ* titulo à Julio Cæsare donatas, *Juliæ* nomen prætulisse; illas autem ab Augusto deductas, solo *Augustæ* nomine insignitas, quales sunt *Col. Aug. Troadensis, Col. A. A. Patrensis, Col. Aug. Emerita*, & aliæ: sed quæ denique *Juliæ Augustæ* simul nominantur, à Julio primùm constitutæ sunt, deinde ab Augusto novis colonis aut veteranis militibus in supplementum sunt frequentatæ, ut *Jul. Aug. Berytus, Jul. Aug. Heliopolis, Jul. Aug. Cremna*, & plurimæ aliæ. Corona civica ob cives servatos à Traductanis Augusto dedicata est.

Hic nummus mediæ formæ, à P. Norisio Cenot. Pisan. pag. 92. vulgatus, pro raro habetur.



PERM. CAES. AVG. *Permiſſu Cæſaris Auguſti.* Caput Auguſti ſine laureâ.
IVL. TRA. C. L. CAES. *Julia Traducta. Caius Lucius Cæſar.* Capita Caii & Lucii oppoſitis cervicibus.

Traductani in adoptionis Caii & Lucii memoriam, aut in eorum honorem nummos, ut antè Tarraconenſes, Auguſto gratulantes percuſſerunt. Eorum adoptionem ad annum U. C. 737. vivente Agrippâ patre revocavimus; illo autem mortuo, Auguſtus Juliam filiam, illorum matrem, in matrimonium Tiberio collocavit anno 743. ut eruitur ex Dione lib. 54. pag. 546. Ἐν δὲ τῷ ἔτει ἐκείνῳ τήν τε Ἰουλίαν τῷ Τιβερίῳ συνῴκισε, καὶ τὴν Ὀκταουΐαν τὴν ἀδελφὴν ἀποθανοῦσαν προέθετο ἐπὶ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου. *Eodem anno Juliam Tiberio matrimonio conjunxit, & Octaviam ſororem vitâ defunctam in ſacrario Julio publicè expoſuit.*

Hic nummus primæ magnitudinis à P. Noriſio pag. 92. vulgatus, & in muſeo noſtro aſſervatus, eximiæ raritatis & elegantiæ eſt.



PERM. CAES. AVG. *Permiſſu Cæſaris Auguſti.* Caput Auguſti.
IVLIA TRAD. *Julia Traducta.* Apex & ſimpulum. *In alio*, aſpergillum, præfericulum, lituus & patera.

Inſignia hæc pontificalia in utroque nummo à Traductanis percuſſa, ad Pontificatum maximum Auguſti ſpectant, quem mortuo Lepido anno 741. ille accepit 4. Kalend. Martii, ut notat Tabula marmorea apud Gruterum pag. 333. HOC DIE CAESAR PONTIF. MAXIM. FACT. EST. Apicem ad Pontificatum maximum, ſimpulum ad Pontificum collegium, lituum ad Augures, pateram ad quindecim viros ſpectare diximus: hæc quidem ſingulatim accepta, ſingulorum ſacerdotium exhibent; ſimul verò ſumpta, dignitates in Pontifice Maximo conjunctas eſſe demonſtrant.

Hic nummus rarus eſt, alter minimæ formæ à P. Noriſio pag. 92. vulgatus, alter mediocris in muſeo noſtro.

TURIASO.



IMP. AVGVSTVS P. P. Caput Auguſti laureatum.
MVN. *Municipium*, in corona quercea. TVRIASO circa ambitum.

Turiaſo urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in Celtiberis prope montem Caunum ad parvum fluvium in Iberum prolabentem, cujus meminit Antoninus Pius in Itiner. *Ab Aſturica per Cantabria.... Numantia* M. P. XXV. *Auguſtobriga* M. P. XXVII. *Turiaſone* M. P. XVI. Inter civium Romanorum populos recenſetur à Plinio lib. 3. cap. 3. *Ex his civium Romanorum Turiaſonenſes.* In nummis verò *Municipii* titulo donatur. Corona quercea ob cives ab Auguſto ſervatos.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis paulò diverſus ab Ant. Auguſtino Dial. 7. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.



IMP. AVGVSTVS P. P. Caput Auguſti laureatum.
TVRIASO. Caput muliebre.

Ant

Ant. Auguſtinus nummum huic ferè ſimilem refert Dial. 7. cum muliere Pietatis inſtar velatâ; noſter autem ſine velo, capillis à tergo in nodos contortis ac dimiſſis, Agrippinæ ſenioris more, etſi rudis fabricæ, conſpicitur. Patinus pag. 36. caput ἄδηλον, id eſt, incertum, vocat: nos Liviæ vultum eſſe exiſtimamus. Senatus enim primis his temporibus juris ſui adhuc ſtudioſiſſimus, fœminis principibus non cum earum nomine, ſed ſub dearum appellatione nummos tantùm ſignabat, ut Julia ipſa Tiberio regnante ſub Juſtitiæ, Salutis & Pietatis nomenclatione ſenatuſconſulto in nummis exhibetur.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 36. vulgatus, inter rariores collocandus.



IMP. CAESAR AVGVSTVS P. P. Caput Auguſti laureatum.

MV. TVRIASO M. CAECIL. SEVERO C. IVL. AQVINO. *Municipium Turiaſo. Marco Cæcilio Severo, Caio Julio Aquino* circa ambitum, II. VIR. in quercea.

Apud Mediobarbum pag. 52. pro CLA. AQVILIO, repone C. IVL. AQVINO, duæ enim eſſent familiæ, Claudia & Aquilia.

Turiaſſo à quibuſdam ſcriptoribus, ſed in nummis *Turiaſo* eſt, ut & Ptolemæo lib. 2. cap. 6. Τυριαζώ, nunc *Tarraçona*. Duumviri perhibentur M. Cæcilius Severus, & Caius Julius Aquinus. De *Cæcilia* & *Julia* gente dictum eſt. *Severus* cognomen à moribus, plurimis vulgare eſt. De *Aquino* vide Seguinum pag. 90. edit 2. an verò *Aquinum* urbs Latinorum à quodam hujus nominis dicta aut condita. Corona quercea ob cives ſervatos ſignata eſt.

Hic nummus ſecundi moduli obvius eſt.



IMP. CAESAR AVGVSTVS P. P. Caput Auguſti laureatum.

MV. TVRIASO. L. MARIO. L. NOVIO. *Municipium. Turiaſo, Lucio Mario, Lucio Novio*, circa ambitum. II. VIR. *Duumviris*, in quercea.

Maria gens, plebeia, cui prænomen *Lucii* vulgare, ex qua plurimi Tribuni plebis recenſentur. *Novia* pariter ut videtur plebeia; *L. Novius* Tribunus plebis P. Clodio collegæ plurimùm infenſus, ex Pædiani Comm. anno U. C. 695. legitur. *Novius* cognomen à novem ſeu novenario numero deducitur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis nec rarus nec obvius eſt.

INCERTA.



Caput Auguſti ſine laurea, ante quod lituus, ſine epigraphe.

P. S. S. C. C. LOLLI. M. DOM. II. VIR. ITER. *Poſuere Suffetes Carthaginenſes, Caio Lollio, Marco Domitio Duumviris iterum.* Figura militaris galeata, baſi impoſita, dextrâ haſtam, lævâ ad latus ſupra parazonium.

Plurima Auguſti numiſmata inter incerta occurrunt rejicienda, quæ cùm plures cartas ad eorum explicationem ſine magna utilitate implerent, prætermiſimus, hoc unico addito, quod in urbium ſerie collocare jure potuiſſet, ne aliquis nimiæ noſtri fiduciæ in nummis explicandis inſimularet, nihil jubemus, eruditorum Antiquariorum ſententiæ interpretationes noſtras ſubmittimus, licèt in tractandis per triginta annos numiſmatibus aliquam eorum cognitionem nos adeptos non inficias eamus: ſed ad nummi enodationem revertamur.

Nullus

Nullus est in re antiquaria tam parum versatus, qui Augusti effigiem etiam sine epigraphe in hoc nummo non agnoscat; figura militari habitu in basi, ejus statua esse videtur, quam ob galeam si institeris sub Martis figura positam, non me refragantem habebis; sic in denariis argenteis visitur: sed in qua urbe nummus cusus, & statua publicè locata est, hoc opus: notas P. S. S. C. interpretamur, *posuere Suffetes Carthaginenses.* Jam reclamant tyrones; at nummos Uticensium in Tiberio consulant, in quibus frequenter occurrit statua sedentis Liviæ cum litteris D. D. P. P. quas vulgò exponunt, *Decuriones posuere*, ut simulacrum à Decurionibus positum arguant. Similis statua Liviæ in aversa Tiberii parte cum iisdem notis P. S. S. C. *Posuere Suffetes Carthaginenses*, exhibetur; quidni Carthaginenses statuas Augusto & Liviæ dedicarint, Augusti beneficiis ob Coloniam novis colonis frequentatam, ut pag. 2. diximus, plurimùm devincti. Suffetes enim summi sunt Carthaginis, ut Decuriones Uticæ, Magistratus. Plura de Lollio & Domitio Duumviris, ut & de Suffetibus in nummis Tiberii incertis.

Hic nummulus à Patino Fam. Rom. pag. 158. *vulgatus, inter rariores numerandus.*

IMP. CAESAR
AVGVSTVS
PONT. MAX.
PATRENS.
COLONIAE DED.

Grut. pag. 187. 7.



JULIA.



JULIÆ AUGUSTÆ *nummi ex omni forma, raritatis eximiæ & singularis præstantiæ sunt, sed majoris præsertim moduli, exceptâ* GENITRIX ORBIS *epigraphe.*

CÆSARAUGUSTA.





C. C. A. PIETATIS AVGVSTAE. *Colonia Cæsarea Augusta. Pietatis Augustæ.* Caput Juliæ velatum.

IVNIANO LVPO PR. C. CAES. C. POMPON. PARRA II. VIR. *Juniano Lupo Præfecto Cohortis Cæsarianæ, Caio Pomponio Parra Duumviris.* Templum tetrastylum.

Nemo est qui Liviæ seu Juliæ Augustæ vultum sub *Pietatis* nomine non agnoscat : jam enim Senatum primis Imperii temporibus, sui juris dignitatisque retinentem, non principibus fœminis cum Augustæ titulo, sed sub Deæ cujusdam nomine earum effigies cælare diximus; Juliam autem ab eo sub Justitiæ, Salutis & Pietatis appellatione, imò & in Coloniis signatam conspicimus. Græci illam apud Seguinum pag. 67. ed. 2. sub Dianæ nomine ΑΡΤΕΜΙΣ ΣΕΒΑΣΤΗ exhibuerunt; at eam velatam post mortem sub Pietatis nomine effictam, ut in nummo à Druso Cæsare cuso observandum, Pietas enim tunc velata depingitur. Velum autem, divinitatis symbolum est : hanc ob rem Cæsaraugustani Augusto urbis fundatori, post ejus apotheosim templum AETERNITATIS AVGVSTAE; Juliæ verò uxori tanquam Deæ, post ejus mortem, alterum PIETATIS AVGVSTAE dedicarunt.

Junianus Lupus, primus ille Duumvir, ex familia Junia in alteram, producto Junii in Junianum nomine, adoptatus est, ut innuit in Adoptatis Dio lib. 46. pag. 322. Νενόμιςαι γὰρ ἄν τις εἰσποιηθῇ τὴν μὲν ἄλλην, αὐτὸν προσρῆσιν ἀπὸ τῶν εἰσποιησαμένων λαμβάνειν, ἐν δέ τι τῶν προτέρων ὀνομάτων σχηματισθὲν πως τηρεῖν, τοῦτο μὲν οὖν οὕτως ἔχει. *Sic enim institutum est, ut qui adoptatur, ab adoptante appellationem accipiat : nomen tamen aliquid eorum quæ priùs gessit, paulò formatum servet.* Junianus autem cum Duumviri titulo se Cohortis Cæsarianæ Præfectum adscribit, ut antè in iisdem Cæsaraugustanæ nummis TI. Clodium Flavum Præfectum Germanorum, id est Cohortis, observatum est. Cognomen *Lupus* Juniæ genti vulgare videtur; Junius autem Lupus sub Claudio apud Tacitum lib. 12. legitur. Alter Duumvir Pomponius Parra, pauca de se dicenda suppeditat : nam de Pomponia gente à Pompone Numæ filio originem trahente, jam dictum : de cognomine *Parra* nulla mentio.

Hic nummus secundi moduli eximiæ raritatis & elegantiæ est.

EMERITA.



IVLIA AVGVSTA PERM. AVGVST. P. M. Caput Juliæ velatum.
AVGVSTA EMERITA. Porta urbis duobus fornicibus & turribus hinc inde ornata.

Emeritenſes Auguſti conditoris beneficiorum memores, Liviæ ejus uxori cùm novis quidem Juliæ & Auguſtæ nominibus nummos dedicarunt; ſed velum, illos poſt ejus mortem percuſſos denotat: populi enim nummos vivente Auguſto ipſi paucos obtulere: Senatus quidem poſt Cæſaris mortem, ei, ut jam diximus, ſub Deæ cujuſdam nomine numiſmata ſignavit; ſed adulantes Coloniæ in illis nomen Auguſtæ inſcripſerunt. Porta urbis, in Coloniæ ab Auguſto deductæ memoriam.

Hic nummus primæ magnitudinis, eximiæ raritatis & elegantiæ eſt.



IVLIA AVGVSTA. C. A. E. *Colonia Auguſta Emerita.* Caput Juliæ velatum.
TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVST. IMP. Caput Tiberii ſine laurea.

Iterum prodit Emeritenſis Coloniæ nummus cum Juliæ capite, ſed ex altera parte viſitur Tiberii effigies, æquatâ velut inter filium Imperatorem & matrem Auguſtam poteſtate: ipſa enim ſe Tiberio Imperium dediſſe jactabat, ideo initio hujus imperii plurimi honores ipſi delati ſunt, teſte Dione lib. 57. pag. 609. Αἵ τε ἐπιστολαὶ αἱ τοῦ Τιβερίου καὶ τὸ ἐκείνης ὄνομα χρόνον τινὰ εἶχον, καὶ ἐγράφετο ἀμφοῖν ὁμοίως, πλήν τε ὅτι οὔτε ἐς τὸ συνέδριον, οὔτε ἐς τὰ στρατόπεδα, οὔτε ἐς τὰς ἐκκλησίας ἐτόλμησέ ποτε ἐσελθεῖν, τά γε ἄλλα πάντα ὡς καὶ αὐταρχοῦσα διοικεῖν ἐπεχείρει. *Quinetiam epiſtolis Tiberii nomen matris aliquandiu adſcriptum fuit; litteræque ad Tiberium datæ, Liviæ etiam inſcribebantur, ac niſi quod in ſenatum, ad exercitum, inque conciones venire non fuit auſa; cætera omnia, quaſi ipſa imperium teneret, agere conabatur.* Nil mirum igitur, ſi Emeritenſes utriuſque imaginem hinc matris inde filii percuſſerint.

Hic nummus mediæ formæ inter rariſſimos computandus.

ITALICA.



MVNIC. ITALICA. PERM. AVGVSTI. Caput Juliæ.
AVGVSTA. Figura muliebris ſedens, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam.

Mulier illa ſedens, Liviæ ſtatua videtur eſſe, quæ in nummis ſenatuſconſulto percuſſis ſæpius occurrit; utpote à Senatu ipſi conceſſa, adſtipulante Dione lib. 55. pag. 549. Ἡ δὲ δὴ Λιουΐα εἰκόνων τε ἐπὶ παραμυθίᾳ ἔτυχε. *Livia autem ſolatii causâ ſtatuis donata eſt.* Illa ſtolâ inſignis; dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam puram gerit: in aliis nummis velata repræſentatur, ſed ſub Pietatis icone; nam à Claudio nepote tantùm conſecrata eſt, teſte eodem Dione lib. 60. pag. 667. Τήν τε τήθην τὴν Λιβίαν οὐ μόνον ἵππων ἀγῶσιν ἐτίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἀπηθανάτισεν, ἄγαλμά τέ τι ἐν τῷ Αὐγουστείῳ ἱδρύσας, καὶ τὰς θυσίας ταῖς ἀειπαρθένοις ἱεροποιεῖν προστάξας, ταῖς τε γυναιξὶν ὅρκον τὸ ὄνομα αὐτῆς ποιεῖσθαι κελεύσας. *Aviam Luciam præter hunc honorem etiam immortalitati aſſeruit, dedicavitque ejus effigiem in templo Auguſti; ac rem ſacram ei fieri à Veſtalibus mandavit, mulieresque per nomen ejus jurare juſſit.* Italicenſes Auguſti beneficiorum memores ob jus cudendæ monetæ ſibi conceſſum, Liviæ ejus uxori in Juliam gentem adoptatæ gratulantes, ſtatuam poſuerunt, quam in nummis exhibent.

Hic nummus ſecundi moduli eximiæ raritatis & elegantiæ eſt.

PANORMUS.



AVGVSTA. Caput Juliæ velatum.

PANORMITANORVM. Caput Augusti sine laurea.

Panormus, urbs Siciliæ littoralis à Strabone lib. 6. pag. 272. Colonia perhibetur. Πάνορμος ἢ καὶ τῶν Ῥωμαίων ἔχει κατοικίαν. *Panormus etiam Coloniam habet Romanam.* Hanc ab Augusto deductam diximus pag. 57. cui monetæ cudendæ facultas videtur jam ab Antonio concessa, cùm Siculos ab eo cives Romanos factos esse tradat Cicero ad Attic. ep. 14. *Multa Siculis Cæsar neque me invito; etsi Latinitas erat non ferenda: verumtamen ecce Antonius acceptâ grandi pecuniâ fixit legem à Dictatore Comitiis latam, quâ Siculi cives Romani, cujus rei vivo illo mentio nulla.* Panormitani in Coloniæ fundatoris & ejus uxoris memoriam Tiberio gratulantes nummos percusserunt.

Hic nummus mediæ formæ, mihi dono datus à Cl. V. Augustino Scilla Messanensi, præstantissimus est. Similem mutilum quidem Eq. Patinus pag. 54. sed Cl. Begerus integrum in Thes. Palatino pag. 200. vulgaverunt.

PATRÆ.





INDVLGENTIAE AVG. MONETA IMPETRATA. Caput Juliæ velatum.

COL. A. A. P. CAESARI AVG. *Colonia Augusta Aroe Patrensis Cæsari Augusto.* Augustus in quadrigis manu gerens sceptrum, cujus in apice aquila.

Nummum vulgavit Seguinus noster pag. 114. edit. 2. De Patris disertè quidem, sed de capite muliebri velato nihil protulit: ille autem dubius de monetæ effigie, ad Liviam revocare non ausus est; tot nummi eundem Liviæ vultum nobis exhibentes, ad eam pertinere facilè demonstrant, ejus quippe imaginem primis Imperii temporibus ut satis notam sine nomine vulgabant. Patrenses Augusti beneficiis devincti, ab una parte ejus uxoris caput, ex altera ipsum in quadrigis triumphantem exhibuerunt, sed præcipuè ob Actiacam victoriam, cujus meminit Dio lib. 51. p. 459. Ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ ἡ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ ναυκρατία. *Secunda die Cæsar de Actiaca navali pugna triumphavit.* Ipsi enim bello civili inter Augustum & Antonium dispersi, clementiâ Augusti revocati sunt, incolis ex oppidis vicinis in suam urbem traductis, deductisque Legionis vigesimæ secundæ Veteranis, coloni facti sunt Romani. Indulgentia in nummo pro permissione usurpatur.

Hic nummus majoris formæ inter elegantissimos collocandus.

ROMULENSIS COLONIA.





IVLIA AVGVSTA GENITRIX ORBIS. Caput Juliæ globo impositum, & Luna crescente ornatum.

COL. ROM. PERM. DIVI AVG. *Colonia Romulensis* aut *Romulea*, *permissu Divi Augusti.* Caput Augusti radiatum, ante quod fulmen.

Colonia Romulensis vocata est Hispalis, urbs Bœticæ, ut tradit Plinius lib. 3. cap. 1. ad quam pertinet nummus noster; non autem ad Romanum Delphinatus ad Hisaram oppidum, uti auguratur Tristanus tom. 1. pag. 125. ubi disertè de magnifico illo *Genitricis Orbis* titulo, quem Romulenses Tiberio adulantes, Juliæ ejus matri tribuerunt: multi enim ipsi decreti sunt honores, apud Dionem lib. 57. pag. 609. Ὅθεν ἄλλα τε ἔξω τοῦ νενομισμένου ἐσεφέρετο, καὶ πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν. *Hinc multa extra consuetudinem Populi Romani introducta, inventique haud pauci, qui Matrem eam Patriæ ac Genitricem appellandam censerent.* Nummus Dionem illustrat, imò locupletare videtur, cùm hic vocandam illam *Patriæ Matrem* censeat, nummus autem eam *Orbis Genitricem* appellet; ideo globo est imposita, & Luna crescens supra caput, tanquam illa foret Lucina partuum præses, vel ut innuit Tristanus, tanquam Venus

Venus Genitrix. In altero Augusti nummo regio Julia sedens, in aversa ejus parte AVGVSTA MATER PATRIAE nominatur.

Hic nummus majoris moduli, ab Ant. Augustino Dial. 8. à Tristano tom. 1. pag. 123. & à Patino in Sueton. pag. 113. vulgatus, præstantissimus est.

TURIASO.




TVRIASO. Caput Liviæ.
IMP. AVGVSTVS P. P. Caput Augusti laureatum.

Turiasones Hispaniæ Tarraconensis Augusto nummos offerentes, pergratum ipsi fore putarunt, si Liviam conjugem, Asiæ populorum exemplo, in iis etiam signarent. Senatus autem Romanus juris adhuc sui nimiùm studiosus, Liviæ effigiem sub Tiberio tantùm, & quidem sub cujusdam Deæ nomine cælare cœpit: alii populi, Augusti benevolentiæ magis appetentes quàm ambitionis, ipsius effigiem & Liviæ vultum, sed sine nomine, in nummis ipso vivente percusserunt.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 36. vulgatus, inter rariores numerandus.

INCERTA.



PIETAS AVGVSTA. Caput Liviæ.
L. RVSTI. CELIVS CORDVS II. VIR. QVINQ. D. D. *Lucius Rustius, Celius Cordus Duumviri Quinquennales, decreto Decurionum.* In area.

Pulcherrimum & integerrimum numisma, etsi nomen urbis non præferat, locum tamen hîc habere debuit, tum quòd rarissimam Juliæ effigiem exhibeat sub *Pietatis Augustæ* nomine, cujus extat inscriptio apud Gruterum pag. 101. 1. sub Tiberio anno U.C. 774.

PIETATI. AVGVSTAE
EX S. C. QUOD. FACTVM. EST. D. HATERIO
AGRIPPA. C. SVLPICIO. GALBA. COS.

tum quia in Colonia quadam percussum est, ut Duumvirorum Quinquennalium nomina, & notæ D. D. *decreto Decurionum,* arguunt. *Coloniæ cùm essent*, ut inquit Gellius lib. 16. *effigies simulacraque majestatis Populi Romani*, eodem quo ipsa Roma administrationis genere regebantur; Senatus tamen ad aliquam Urbis differentiam in ipsis Curia, Senatores, Decuriones, eorum sancita, quæ Romæ senatusconsulta; in iis decreta Decurionum, Censores, Duumviri Quinquennales, sic illi dicti, quòd omni quinquennio crearentur. Coloniæ censum Romam mittebant, & munere functi *Quinquennalitii* vocabantur. P. Harduinus in nummo Buthroti pag. 102. C. PAET. QVIN. ITER. interpretatur, *C. Pætus Quinquennalia iterum*, pro *Quinquennalis iterum*, & frigidè ad ludos quinquennales revocat.

Rustia gens, incertum patricia, an verò plebeia. *Celia* seu *Cælia*, plebeia est, at consularis, à Vibenna Cælio Etrusco dicta, quem Cælio monti Romæ nomen indidisse narrant. *Cordus* dicitur ultra tempus legitimum in utero gestatus apud Quinctilianum.

Hic nummus secundæ magnitudinis, Regius, à Patino in omissis Fam. Rom. pag. 310. vulgatus, eximiæ raritatis & elegantiæ est.



SALVS AVGVSTA. PERM. AVG. Caput Juliæ.
IVLIA AVGVSTA. Julia ſedens, dextrâ pateram, lævâ haſtam puram gerit.

Licèt urbis & Duumvirorum nomina, aut nota Decurionum in nummo deſint, *permiſſu Auguſti* voces in Colonia percuſſum arguunt. Auguſtus autem cùm à Senatu Populoque Romano coactus eſſet anno U. C. 727. ut ſolus Rempublicam gereret, de quo Dio lib. 35. pag. 503. Ἀλλὰ πολλὰ μὲν καὶ μεταξὺ ἀναγινώσκοντος αὐτοῦ διεβόων, πολλὰ δὲ καὶ μετὰ τοῦτο μοναρχεῖσθαί τε δεόμενοι, καὶ πάντα τὰ ἐς τοῦτο φέροντα ἐπιλέγοντες. *Multis omnes eum verbis precati ſunt, ut ſolus imperii ſummam gereret, omnibuſque, quibus id ei perſuaderent, adductis argumentis, tandem eum eò compulerunt, ut principatum ſolus obtineret.* Receptâ tandem in ſe omni Reip. curâ, negavit ſe omnes velle provincias obtinere, eaſque cum Senatu & Populo partitus eſt; jus autem cudendæ monetæ, ſummæ poteſtatis notam, cum illo diviſiſſe videtur, ipſique æream reliquit, Coloniis autem & Municipiis ademptam, quibuſdam permiſit; unde in pleriſque eorum nummis PERM. AVG. voces.

Hic nummus mediocris moduli, in Gaza Medicea, pro rariſſimo habendus.

JVLIAE. AVG.
DIVI. F. MATRI
TI. CAESARIS AVG. PRIN
CIPIS ET CONSERVATORIS
ET DRVSI GERMANICI
M. CORNELIVS PROCVLVS
PONTIFEX CAESARVM.

Grut. pag. 234. 2.

M. AGRIPPA.





GRIPPA post Augustum, ante filios Caium & Lucium, collocatur ob Tribunitiam potestatem ab Augusto ipsi tanquam Imperii successori designato communicatam; ideo Senatus cum ejus effigie nummos percussit. Asiæ & Syriæ Præfectus colonos militares Augusti jussu Berytum Phœniciæ apud Strabonem, imò & Heliopolim ejusdem provinciæ, ut liquet ex nummis, deduxit.

M. Agrippæ *nummi secundæ magnitudinis hactenus tantùm observati, eximiæ sunt raritatis & præstantiæ.*

CÆSARAUGUSTA.



M. AGRIPPA L. F. COS. III. Caput M. Agrippæ coronâ rostratâ insigne.
C. C. A. SCIPIONE ET MONTANO II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta, Scipione & Montano Duumviris.* Colonus agens boves.

Nummus hic in Agrippæ honorem sub Caligula percussus est, ut indicant Duumviri, qui utrique nummos dedicarunt. Caligula quidem parentum suorum memoriam in nummis renovavit; Germanicum patrem, Agrippinam matrem, & Augustum proavum in posteriori eorum parte cælari jussit; Cæsaraugustani hos omnes signarunt, & Agrippæ ejus avi effigiem addiderunt. M. Agrippa tres habuit uxores, Pomponiam Attici filiam, Marcellam Octaviæ, & Juliam Augusti. Ex omnibus liberos sustulit: ex Pomponia Vipsaniam Agrippinam, quam Tiberio copulavit. Marcellæ liberorum nomina non traduntur. Ex Julia tres filios C. L. & Agrippam, & duas filias Juliam & Agrippinam reliquit. Julia L. Paulo nupsit, Agrippina Germanico, ex qua natus est Caligula. Ille Agrippæ avi effigiem non restituit, si Suetonium audias cap. 23. *Agrippæ se nepotem neque credi, neque dici ob ignobilitatem ejus volebat, succensebatque si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum insererent.* An non Cæsaraugustanis ob id iratus Caligula, cudendæ monetæ facultatem, imò omni Hispaniæ ademerit: nam post Caligulam nulli Coloniarum Hispanicarum nummi reperiuntur.

Scipio & *Montanus*, Duumvirorum sunt cognomina; Scipio quidem Corneliæ gentis peculiare, Montanus autem plurimis familiis commune.

Hic nummus mediæ formæ, mihi dono datus à munificentissimo Cardinali de Massimis rei nummariæ studiosissimo; eximiæ raritatis est.



M. AGRIPPA L. F. COS. III. Caput M. Agrippæ coronâ rostratâ ornatum.
C. C. A. TITVLLO ET MONTANO II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta, Titullo & Montano Duumviris.* Colonus agens boves.

En

En alterum Agrippæ nummum à Cæsaraugustanis sub Caligula signatum, ut Titullus & Montanus Duumviri in utriusque nummis inscripti denotant. Sed cur Montanus in nummo superiori Duumvir cum Scipione, & in hoc cum Titullo renunciatur, an Titullus Scipioni, aut Scipio Titullo in Montani Duumviratu alter alteri suffectus sit, an verò alter cognomine Montanus, seu ejusdem seu alterius gentis cum Titullo magistratum inierit. Colonus ad originem deductæ Coloniæ indicandam percussus est.

Hic nummus secundæ magnitudinis, singularis præstantiæ & magnitudinis est.

NEMAUSUS.

IMP. DIVI. F. P. P. Capita Augusti & Agrippæ, cervicibus oppositis, alterum laureatum, alterum coronâ rostratâ insignitum.

COL. NEM. *Colonia Nemausus*, aut *Nemausensis.* Crocodilus palmæ alligatus; in quibusdam desuper corona.

Nemausus, urbs & Colonia Galliæ Narbonensis, cujus meminit Strabo lib. 4. pag. 186. Μητρόπολις δὲ τῶν Ἀρεκομικῶν ἐστὶ Νέμαυσος..... ὑπηκόους ἔχει κώμας τέτταρας, καὶ εἴκοσι τῶν ὁμοεθνῶν ἀνδρείᾳ διαφερούσας, συντελούσας εἰς αὐτὴν ἔχουσαν καὶ τὸ καλούμενον Λατεῖον. *Caput Aremicorum est Nemausus...... habet pagos popularium præstantes viris, qui ei subsunt, & jus quoque Latii habent.* Vetus Nemausi reperta inscriptio Coloniam Augustam appellat.

D. M.
T. INDESII. TERTII.
AED. COL. AVG. NEM.
DOMITIA EORTE SIBI
ET VIRO DE SE BENE
MERITO. V. F.

Grut. pag. 323. 5.

Hæc igitur ab Augusto constituta videtur, uti etiam Ant. Augustino placet. Quam effigies Agrippæ cum Augusto sociata, illo curante designatam, crocodilus palmæ alligatus, eam anno quo Ægyptus in provinciam redacta est, aut paulò pòst deductam arguit: unde Nemausenses hoc ad Coloniæ originem spectans symbolum in nummis perpetuò signarunt. Devicto autem Antonio, plurimi ex tam multis Legionibus Veterani in colonias partim in Italiam, partim in alias provincias ad eas tutandas pro ratione necessitatis dimissi sunt: qui Nemausum traducti, bello Alexandrino forsan interfuerunt, in cujus memoriam crocodilum palmæ appensum, Ægypti symbolum, in nummis cælarunt.

Hic nummus mediocris moduli, apud Ant. Augustinum Dial. 6. pag. 191. *Patinum pag.* 38. *& Oiselium Tab.* 26. *vulgatus, tritus & obvius est.*

INCERTA.

P. QVINTIL. VAR. II. VIR...... *Publio Quintilio Varo Duumviro.* Caput Agrippæ sine corona.

AVG. PONT. MAX. C. L. *Augustus Pontifex Maximus. Caius, Lucius.* Tria capita, Augustus inter Caium & Lucium.

Perrarus est hic nummus, qui Imperatorem & Imperii successores designatos exhibet, ex una scilicet

ſcilicet parte M. Agrippam Auguſti generum, de quo ita Dio lib. 54. p. 529. ὁ δὲ Ἀγρίππας ἐς τὴν αὐταρχίαν τρόπον τινὰ ὑπ᾽ αὐτοῦ προήχθη. *Cæterùm Agrippam ad imperium quodammodo Auguſtus provexit*, Tribunitiâ poteſtate ei in quinquennium communicatâ anno U. C. 736. deinde iterum anno 741. in aliud quinquennium prorogatâ. Ex altera verò Caium & Lucium Cæſares ab Auguſto adoptatos: Agrippa enim ſummâ in Imperatorem benevolentiâ ei filios adoptandos quidem permiſit, ſed ut ſucceſſionem Imperii jam ſibi deſignatam & filiis hoc modo certiorem redderet; nam priorem Tribunitiam poteſtatem anno 736. ipſi conceſſam diximus, adoptio autem filiorum anno ſequenti 737. ab Auguſto facta eſt. Colonia anonyma iis Principibus devota, Imperatoris familiam in hoc nummo exhibere voluit: quod etiam ab Alabandenſibus Cariæ factum in perraro Chriſtinæ Reginæ Cimelii nummo obſervavimus, quem P. Noriſius Cenot. Piſ. pag. 93. vulgavit. Solus Duumvir Publius Quintilius Varus honoris causâ perhibetur; ſed ille non videtur fuiſſe, qui Syriæ præfuit: nam mortuus erat Agrippa, quando hic provinciam adminiſtravit; adde quod Syriæ Coloniæ Duumvirorum nomina in nummis apponere non erant ſolitæ.

Hic nummus primæ magnitudinis, in Theſauro Regio à Cl. Morellio in Specim. tab. 17. vulgatus utpote unicus, eximiæ elegantiæ, raritatis & præſtantiæ eſt.

M. AGRIPPAE. L. F.
PATRONO. RVFRANI. COLONI.

Ex Holſtenio Ann. in Ital. Ant.



CAIUS CÆSAR.



CAII CÆSARIS *nummi singularis & eximiæ præstantiæ sunt; ex aversa Augusti parte, aut cum Lucii fratris effigie, facilius parantur.*

JULIA TRADUCTA.



C. CAESAR. Caput Caii juvenile sine laureâ.
IVL TRA. *Julia Traducta.* Uvæ racemus.

Caius M. Agrippæ & Juliæ Augusti filius ab Avo Augusto cum Lucio fratre in Juliam familiam adoptatus, Cæsaris cognomen tulit, imò & Caii prænomen. Marcum autem antè vocatum fuisse suspicatur P. Norisius Cenot. Pis. Cùm igitur populi eum tanquam Imperii successorem suspicerent, nihil mirum si Traductani Hispaniæ Bœticæ (de quibus abunde in Augusto) nummos ei dedicarint. Botrus in aversa parte ad vini abundantiam in regione exprimendam signatur. Traductanos in Turdulis locat Ptolemæus lib. 2. cap. 4. quos Strabo vino abundare narrat lib. 4. pag. 144. Ἐξάγεται δ' ἐκ τῆς Τουρδιτανίας σῖτός τε καὶ οἶνος πολύς. *Exportatur è Turditania multum frumenti ac vini.* Iidem sunt apud hunc Geographum Turditani & Turduli.

Hic nummus ad mediam ferè magnitudinem extensus, à P. Norisio Cenot. Pis. pag. 92. vulgatus, eximiæ singularitatis & præstantiæ est.

C. CAESARI.
AVGVSTI. F.
COS.
VIAS. OMNES.
ARIMIN. STERN.
Arimini in platea exscripsi.

C. CAESARI. AVGVSTI. F.
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.
Gruter. 234. 4.

LUCIUS CÆSAR.



LUCII CÆSARIS *nummi, etsi faciliùs plures quàm Caii fratris occurrant, eximiæ tamen raritatis & singularis præstantiæ sunt.*

L Æ L I A.



L. CAES. *Lucius Cæsar.* Caput Lucii Cæsaris sine laurea.
LAELIA. Spica.
Apud Mediobarbum pag. 58. pro C. AELIA, lege LAELIA.

Inter Hispaniæ populos, qui nummos in Caii & Lucii Cæsarum honorem cuderunt, Turditani in Bœtica eminent, ex quibus urbs Traducta, aliquos quidem, Lælia verò rarissimos suppeditat. Læliam urbem Ptolemæus inter Corticatam & Italicam in Turditanis locat lib. 2. cap. 4. *Cortica, Lælia, Italica.* Hæc urbs Italicæ proxima, à Scipione in Lælii socii gratiam videtur condita. Duorum Læliorum utriusque Scipionis sociorum & adjutorum meminit Paterculus lib. 2. *Rarò eminentes viri non sine magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi, ut D. Augustus M. Agrippâ.* Lælia urbs nec Colonia nec Municipium inscribitur; Latinâ tantùm epigraphe, ut Traducta, gaudet: Latii jure cum aliis in hoc tractu urbibus videtur donata. Spica triticea, frumenti copiam in hac regione denotat. Alterum possidemus numisma, in cujus anteriore parte eques sine epigraphe, in posteriore habetur LAELIA inter duas spicas. Simile Rodericus Carus lib. 3. de Antiq. Hispal. vulgavit.

Hic nummus minimæ formæ Regii Lepidi, in Museo P. Cattanei Minoris Observantiæ Definitoris Generalis, eximiæ raritatis & præstantiæ singularis est.

T R A D U C T A.



L. CAES. *Lucius Cæsar.* Caput Lucii nudum.
IVL. TRAD. *Julia Traducta.* Uvæ racemus.

Traductani Bœticæ aliquod beneficium aut immunitatem, Caio & Lucio conciliantibus, ab Augusto impetrasse videntur; nam præ cæteris urbibus in eorum honorem nummos percusserunt. Eorum rarissimi sunt, qui solo Lucii capite insigniuntur, quos forsan signarunt, cùm illum ad Hispanienses exercitus & Veteranorum colonias ab Augusto missum intellexissent, ut illis observantiæ monumentis se Lucii Cæsaris beneficiorum memores demonstrarent; sed infelix ille Princeps Massiliæ interiit, ut ait Tacitus Annal. lib. 1. *L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Caium remeantem ex Armenia, & vulnere invalidum, mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit.* Uvæ racemus, ut in Caii fratris nummo, ad ubertatem vini in hac regione indicandam à Traductanis insculptus est.

Hic nummus mediam ferè magnitudinem occupans, eximiæ raritatis & elegantiæ est.



L. CAES. *Lucius Cæſar.* Caput Lucii ſine corona.
IVL. TRAD. *Julia Traducta.* Spica triticea.

Botrus in ſuperiori nummo vini abundantiam denotat: ſpica verò in hoc, frumenti copiam. Traductani his typis ſolum ſuum rebus ad vitæ uſum pertinentibus feliciſſimum declarant, ſi Strabonem audias lib. 3. pag. 146. Τυρδιτανία καὶ ἡ προσεχὴς αὐτῇ λόγον οὐδένα ἄξιον καταλείπει, περὶ τὴν ἀρετὴν τοῖς ἐπαινεῖν βουλομένοις. *Turditania, eique contigua regio, ita utraque re abundat, ut nulla ſatis digna laudatio præſtantiæ earum inſtitui poſſit.*

Hic nummus mediocris ferè moduli, à P. Noriſio pag. 92. vulgatus, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

CAII ET LUCII CÆSARUM NUMMI.

CORINTHUS.



C. L. C. SERVILIO PRIMO. M. ANTONIO HIPPARCHO. II. VIR. *Caius Lucius. Caio Servilio Primo, Marco Antonio Hipparcho Duumviris.* Capita adverſa Caii & Lucii Cæſarum.
CAESAR. CORINT. *Cæſar. Corinthi.* Caput Auguſti laureatum.

Ad Auguſtum pertinere videtur hic nummus; ſed cùm Caii & Lucii capita exhibeat, illum in eorum ſerie locavimus. De Corintho jam plura. Urbs olim Græcorum fuit celebris, de qua Horatius Carm. 1.

Graiorum fines decorat celebrata Corinthus.

Hæc à Romanis capta, & à Mummio anno U. C. 608. ante CHriſt. 144. poſtquam annos circiter 945. ſtetiſſet, diruta, à Julio Cæſare poſtea reſtaurata & Colonia facta eſt anno U. C. 710. ante CHriſt. 42. quam ob cauſam M. Antonius Hipparchus Duumvir, cujus jam nummos in Julio vidimus, ex una parte fundatorem Coloniæ, & ex altera Auguſti, cui nummos dedicabat, effigiem ſignavit, alterum hunc nummum eidem Auguſto gratulans cum Caii & Lucii filiorum capitibus in adverſa parte percuſſit. In priori numiſmate Duumvir ipſe cum Nonio Baſſo perhibetur, in hoc collegam Servilium primum exhibet: an alter alteri in ipſo Hipparchi magiſtratu ſuffectus ſit; an verò hic Hipparchus prioris Antonii liberti filius fuerit? *Servilia* gens à Servio dicta, in patricias & plebeias diviſa eſt. *Primus*, cognomen à filiorum ordine.

Hic nummus ſecundæ ferè magnitudinis inter præſtantiores collocandus.

N O R B A.



C. L. *Caius Lucius* in area. M. PETRONIO. C. IVLIO ANTONIO II. VIR. *Marco Petronio, Caio Julio Antonio Duumviris* circa ambitum. Capita Caii & Lucii adverſa.
AVGVSTVS C. C. N. C. DD. *Auguſtus. Colonia Concordia Norbenſis Cæſariana, decreto Decurionum.* Caput Auguſti ſine laurea.

Non

Non autem *Decuriones Coloniæ Concordiæ Norbensis Cæsarianæ*, ut tradit Pater Harduinus pag. 362.

Litteras Coloniarum initiales interpretari perdifficile est; neque enim ad id solâ eruditione opus est, sed & nummorum usus apprimè necessarius: & nihilominus tamen tot ferè sunt ænigmata, quot litteræ. Hæ voces, C. C. N. C. *Colonia Concordia Norbensis Cæsariana*, communi Antiquariorum consensu explicantur. *Norba*, urbs est Lusitaniæ ad Tagum fluvium, quam Plinius lib. 4. c. 22. inter Colonias hujus provinciæ collocat, & Cæsarianam cognominatam refert. *Coloniæ*, inquit, *Augusta Emerita, Metallinensis, Pacensis, Norbensis, Cæsariana cognomine.* Concordia, ex societate cum altera Colonia eodem tempore deducta, videtur dicta. Norba Augusto gratulans, Caii & Lucii capita ob eorum adoptionem in aversa ejus nummi parte percussit.

Petronia gens, plebeia, ex qua prior Duumvir; alter verò, an Julii Antonii Triumviri filii junioris libertus fuisse videtur, ob duo illa familiarum nomina in illo solo consulari viro conjuncta.

Hic nummus minimi moduli inter elegantiores constituendus.

TARRACO.



C. V. T. C. L. CAES. AVG. F. *Colonia Victrix Tarraco. Caius Lucius Cæsares Augusti filii.* Capita Caii & Lucii adversa.

IMP. CAES. AVG. PONT. MAX. TR. POT. Caput Augusti laureatum.

Nummus ille in Augusti serie jam prodiit; sed cùm rarissima Caii & Lucii capita exhibeat, hic iterum collocari meretur. *Tarraco*, urbs citerioris Hispaniæ celebris, de qua Silius lib. 3.

Urbs latè Hispanos ditavit Tarraco fines.

In quibusdam nummis *Togata*, in hoc *Victrix* tantùm dicitur. Ejusmodi cognomine insignitur & urbs Osca, utraque ab eventu quodam, ut Legiones quasdam *Victrices* ita vocatas passim apud historiæ scriptores legimus. Tarraconenses Augusti studiosissimi, in observantiæ monumentum nummos ipsi cum filiorum capitibus exhibuerunt. Apud eos Augustum bis Consulatum accepisse tradit Suetonius cap. 26. *Octavum & nonum Tarracone iniit*, priorem cùm T. Statilio Tauro anno U. C. 728. ante CHr. 24. alterum anno sequenti cum M. Junio Silano.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 61. vulgatus, inter rariores numerandus.

TRADUCTA.



C. L. IVL. TRA. *Caius Lucius, Julia Traducta.* Capita Caii & Lucii cervicibus oppositis.

PERM. CAES. AVG. *Permissu Cæsaris Augusti.* Caput Augusti nudum.

Traductanorum nummos cum Augusti capite, cum Caii Cæsaris imagine, & cum Lucii Cæsaris vultu seorsim vidimus; hic verò solus eorum omnium effigies exhibet, in anteriori quidem parte ut nobiliori patrem, in posteriori autem filios. Observandum porrò est, circa eorum facies illorum nomina semper esse inscripta, & circa Augustum semper epigraphen PERM. CAES. AVG. gratitudinis causâ ob jus cudendæ monetæ ab eo sibi concessum, insculptam. Nomen Augusti cum urbium monetæ signandæ permissu appositum, sententiam nostram de hac facultate, post provinciarum cum Populo divisionem, oppidis quibusdam ab Augusto concessâ confirmat, præsertim ex Dione, qui lib. 53. pag. 507. eodem anno U. C. 727. illum provincias Imperii divisisse, & Augusti nomen accepisse narrat. Ὁ δ' οὖν Καῖσαρ πολλὰ καὶ μὲν πρότερον, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε...... Αὔγουστος ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὢν ἐπεκλήθη. *Cæsari, cùm orationem de ejurando*

 regno,

regno, ac de provinciis habuisset, multi erant honores delati..... Augustus quasi hominis natura amplior ipse, cognominatus est. De Traducta urbe abunde dictum.

Hic nummus majoris moduli, à P. Norisio pag. 92. vulgatus, & ex museo nostro, eximiæ raritatis est.

L. CAESARI. AVGVSTI. F. DIVI. IVLI. N.
PRINCIPI. IVVENTVTIS. AVGVRI.
COS. DESIGNATO.
MVNICIPIVM ALBENSE VRGAVONENSE
D. D.

Gruter. pag. 234. 6.

AGRIPPA CÆSAR.





AGRIPPA CAESAR. CORINTHI. Caput Agrippæ Cæsaris nudum.
C. HEIO POLLIONE ITER. C. MVSSIDIO PRISCO II. VIR. In corona ex apio.

Agrippæ junioris effigies ab Antiquariis hactenus non observata, nostro Coloniarum libro feliciter pro corollario accessit, hujus Cæsaris nummus ex Asia inter alios nuper allatus, à D. Morellio benignè communicatus est. Agrippa tertius & ultimus M. Agrippæ, & Juliæ Augusti filius, post Caii & Lucii fratrum mortem ab avo Augusto adoptatus cum Tiberio, *Agrippæ* & *Cæsaris* cognomina tulit, illud in patris desiderium, hoc in adoptionis monumentum; sed paulo post Liviæ artibus Surrentum, deinde in Planasiam relegatus est, subiti autem infortunii novercale odium potiùs quàm sordidum juvenis ingenium causa fuit, testes avi & nepotis lacrymæ utrimque in hac insula versæ, spesque ex eo fore ut Agrippa Augusti penatibus redderetur, utrique mortem acceleraverit. Quo tempore à Corinthiis dicatum sit hoc Agrippæ numisma, alterum Germanici Cæsaris cum eadem epigraphe & typo dubium movet, sed nullum esse videtur, si ambo eodem anno quo Pollio iterum & Priscus Duumviratum egerunt, & Isthmia celebrata sunt certamina, signata dixerimus, priùs scilicet Agrippæ anno ineunte, quando ille nondum relegatus erat, alterum verò Germanico, cùm ille Augusti jussu à Tiberio adoptatus est, cui Tribunitiam potestatem, relegato Agrippa, ipse concesserat.

Hic nummus minimæ formæ in museo ill. March. de Signelay, unicus est.

TIBERIUS.




IBERIUS paucas deduxit Colonias: nam, ut tradit Suetonius in ejus vitâ cap. 48. *missiones Veteranorum rarissimas fecit*; imò Veterani querebantur apud Tacitum Annal. lib. 1. *ne dimissis quidem finem esse militiæ*: & paulò pòst, *triena aut quadragena stipendia senes tolerare*. Frontinus lib. de Colon. Anagniam ex Municipio & Calagnam per Drusum filium Colonias deduxisse narrat: *Anagnia muro ducta, Colonia Drusi Cæsaris: populus deduxit.* Paulò pòst: *Calagna muro ducta, Colonia jussu Drusi Cæsaris populus deduxit: ager ejus Veteranis est adsignatus.* Colonia Graniscos ab Augusto deduci jussa est; nam ager ejus in absoluto tenebatur: postea Tiberius jugerationis modum servandi causâ, lapidibus emensis Populo Rom. loca assignavit. In veteri lapide legitur in Rhetia, COLONIA AVGVSTA TIBERII.

TIBERII *nummi primæ magnitudinis rarissimi sunt, mediæ verò & minimæ formæ, obvii & vulgares.*

ABDERA.



TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
ABDERA. Templum quinque columnis ornatum.

Abdera, Hispaniæ Bœticæ urbs in ora littorali, à Pœnis condita est, teste Strabone lib. 3. p. 156. Μετὰ ταύτην, Ἄβδηρα Φοινίκων κτίσμα, καὶ αὐτή. *Post hanc, Abdera, Pœnorum opus, hæc quoque.* Illa inter viginti novem oppida in hac provincia Latio antiquitus donata recensetur à Plinio lib. 3. cap. 1. *Sextum Firmum cognomine Julium, Selambina, Abdera, Murgis Bœticæ finis.* Ideo Latinâ in nummis epigraphe gaudet, licèt Coloniæ nec Municipii titulo ornata sit. Templa post Augusti apotheosim in plurimis provinciis & urbibus in ejus honorem condita sunt, & præsertim in Hispania, ut innuit Tacitus Ann. l. 1. *Templum ut in Colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum datum est, in omnes provincias exemplum.* Urbes verò templa à se extructa in nummis Augusto consecrato dicatis posuerunt: aliæ verò illa in aversa nummi Tiberio percussi parte signarunt.

Hic nummus secundi moduli inter elegantiores numerandus.

ACCIS.



TI. CAESAR. DIVI. AVGVS. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
C. I. G. ACCI. L. III. *Colonia Julia Gemella Accitana, Legio Tertia.* Duæ aquilæ legionariæ inter duo signa militaria.

Duæ aquilæ legionariæ Veteranos ex duabus Legionibus in coloniam deductos ex aliorum num-

riorum fide arguunt, & præsertim *Accim* Hispaniæ Tarraconensis, unde in Augusto *Gemellæ* nomen accepisse diximus: sed cùm tunc de Augusti nummis, in quibus LEG. VI. *Legio Sexta*, nobis erat sermo, ex Legionum VI. Victricis, & VI. Ferratæ Veteranis ob geminum Sextæ Legionis nomen Accitanos *Gemellenses* appellatos fuisse arbitrabamur; sed Legio III. in hoc Tiberii, ut & in altero Caligulæ nummo, inscripta, illos ex Tertiæ & Sextæ Legionum Emeritis *Gemellensium* appellationem esse sortitos, nos edocet. Duplex erat Legio Tertia, una cognomine *Gallica*, altera verò *Augusta*: illa in Hispania ab Augusto constituta, ex qua forsan emeriti milites Accim transmissi coloni; hæc in Africa ab eodem collocata. Cur verò in Augusti nummis LEG. VI. & in Tiberio LEG. III. signatur? si conjecturæ locus, qui magistratus munere sub Augusto fungebantur, ex Legionis Sextæ Veteranis originem; qui autem sub Tiberio & Caligula nummos cuderunt, ex Legionis Tertiæ militibus trahebant.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter præstantiores collocandus.



COL. ACCI. *Colonia Accitana.* Aquila legionaria & vexillum inter duo signa militaria.

Accitanos inter alia numina præcipuè Martem coluisse narrat Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 1. *Accitani etiam, gens Hispanica, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes.* Coloni ex veteranis militibus facti, armis assueti, Martem Deum belli præsidem venerati sunt. In superiori nummo Accitani duas aquilas legionarias inter duo signa militaria ob Veteranos ex duabus Legionibus in coloniam deductos diximus, unde urbi *Gemellæ* cognomen; in hoc verò aquila legionaria, vexillum & signa militaria tanquam universa totius Legionis signa exhibentur. Ante C. Marium signa Legionum erant, si Plinio fides, aquilæ, lupi, minotauri, equi & apri, quorum simulacra longis hastis portata singulos ordines anteibant; sed ille secundo Consulatu suo his in totum abdicatis, aquilam Legionibus propriè dicavit, cùm (ut tradit Sextus Pompeius) sex millium & ducentorum hominum conscripsisset Legionem, quæ antea quatuor millium fuisset. Quo tempore nova Legionum divisio videtur Onuphrio facta, quam refert Vegetius: *Legio in decem cohortes divisa est, cohors autem in quinquaginta manipulos, & manipulus rursum in viginti quinque milites.* Aquila, legionis insigne est; signa verò militaria, cohortium; vexillum denique, manipulorum: sed vexillum quibusdam proprium equitum perhibetur, ut Legionem equitatu etiam constare, per id innotesceret.

Hic nummus secundi moduli rarus est & elegans.



COL. IVL. GEM. ACCI. *Colonia Julia Gemella Accitana*, in laurea.

Accis juxta radices montium ad Therebem fluvium sita, jus Italicum habuit, teste Plinio lib. 3. cap. 3. *Ex Colonia Accitana Gemellenses, & Libisosona cognomine Foro-augustana, quibus duabus jus Italiæ datum. Julia* à Julio Cæsare Coloniæ fundatore nominata est, *Gemina* verò post deductos in eam ab Augusto Legionis Tertiæ & Sextæ Veteranos, à quo Italiæ jus adeptam verisimile est. Accitani Tiberio adulantes, lauream ob Germanici victorias offerunt; nullum autem per se bellum gessit, ut narrat Suetonius in ejus vita cap. 37. *Hostiles motus nullâ postea expeditione susceptâ, per legatos compescuit; neque per eos quidem, nisi cunctanter & necessariò.*

Hic nummus primæ magnitudinis, integerrimus in museo P. Cattanei, eximiæ raritatis est ob Tiberii caput.



C. I. G. A.

C. I. G. A. GERMAN. ET DRVSVS CAES. *Colonia Julia Gemella Accitana. Germanicus & Drusus Cæsares.* Capita Germanici & Drusi adversa.

In hoc Tiberii nummo Germanicus & Drusus ut Imperii successores exhibentur; nam Germanicus, etsi tantùm ex fratre nepos, Tiberio adoptandus ab Augusto datus fuerat, ut narrat Dio lib. 55. pag. 556. & 557. Τὸν δέ γε Τιβέριον καὶ εἰσεποιήσατο, καὶ ἐπὶ τοὺς Κελτοὺς ἔπεμψε, τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ τὴν δημαρχικὴν ἐς δέκα ἔτη δούς, καὶ μέντοι καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον ὑποπτεύσας πη ἐκφρονήσειν, καὶ φοβηθεὶς μὴ καὶ νεωτερίσῃ, τὸν Γερμανικὸν οἱ τὸν ἀδελφιδοῦν, καίτοι καὶ αὐτῷ υἱὸν ἔχοντι εἰσεποίησε. *Tiberium adoptavit, ac Tribunitiâ potestate ad annos decem datâ, in Germaniam ablegavit: veritus tamen ne is aliquando animo elatus, novas ad res consurgeret, Germanicum Drusi fratris filium ei adoptandum dedit, quanquam ipsi Tiberio natus fuerat filius.* Sed uterque veneno sublatus periit, Germanicus anno quarto post Augusti mortem; Drusus verò quatuor ferè annos Germanico superfuit.

Hic nummus ad majoris moduli pene formam, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

BERTTUS.



TI. CAES. DIVI. AVG. F. AVGVST. Caput Tiberii laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus* aut *Berytensis.* Colonus agens boves.

Berytus, de qua in Julio & Augusto dictum, urbs fuit antiquissima Phœniciæ littoralis, quam à Saturno conditam narrat Stephanus de Urbibus: Βηρυτὸς πόλις Φοινίκης, κτίσμα Κρόνου. *Berytus urbs Phœniciæ, Saturni opus.* Illius antiquitas colligitur ex Sanchoniathone omnium Historicorum, dempto Moyse, vetustissimo, qui libros suos Phœnicâ linguâ conscriptos, Abelbalo Berytiorum Regi dedicavit, teste Eusebio lib. 10. de Præpar. Evang. Sanchoniathon vixisse videtur ex Porphyrio περὶ ἀποχῆς lib. 2. cujus sententiam sequutus est Suidas. Σαγχωνιάθων Τύριος φιλόσοφος ὃς γέγονε κατὰ τὰ Τρωϊκά. *Sanchoniathon Tyrius Philosophus vixit circa Trojana tempora.* Berytenses Tiberio ad Imperium evecto gratulantes nummum cuderunt, & colonum deductæ Coloniæ symbolum, ad originem & denotandas Coloniæ immunitates sibi à Julio Cæsare & Augusto concessas signarunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis ob Tiberii caput rarus est.

BILBILIS.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

MV. AVGVSTA. BILBILIS. C. POMP. CAPE. C. VALE. TRANQ. *Municipium Augusta Bilbilis. Caio Pomponio Capella, Caio Valerio Tranquillo*, circa coronam querceam, in quâ II. VIR. *Duumviris.*

Bilbilis, Municipium Hispaniæ Tarraconensis ad Salonem fluvium, de quo in Augusto. Martialis illius insignis Poëtæ patria fuit, ut ipse innuit lib. 10. Epigramm. 103.

Municipes Augusta mihi, quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis.

Bilbilitani Tiberio blandientes, coronam querceam ob cives tum in bello contra Germanos per Germanicum, tum in Pannonia per filium Drusum servatos dedicarunt. De *Pomponia* & *Valeria* gente dictum est. *Capella* cognomen Antistiis vulgare; an verò à capra diminutivum, & sic dictum, ut & alia à majore & minore pecore cognomina? Flavius dictus est Caper, Anicius verò Capra, & Cæcilius Metellus, Caprarius ob ingenii tarditatem; ut putat Glandorpius pag. 170. *Tranquillus*, à quietis moribus.

Hic nummus mediæ formæ rarus est.



MV. AVGVSTA. BILBILIS. TI. CAESARE. III. circa lauream, in qua COS.

Bilbilitani, omiſſis in nummo Duumvirorum nominibus, Tiberii Conſulatum honoris aut adulationis causâ inſcripſerunt. Tertium hunc Conſulatum Tiberium anno U.C. 770. poſt CHriſt. 17. cum Germanico iterum geſſiſſe Tacitus & Dio tradunt; quod confirmat Inſcriptio apud Gruterum, altera verò apud Pighium, Tiberium ante 13. Kal. Maii Conſulatum abdicaſſe, eique ſuffectum Seium Tuberonem docet: utramque hîc appoſuimus.

TI. CAESARE. TERT. GERMA
NICO. CAESARE. ITER. COS.
CN. ACCEIO. CN. F. ARVNTIO.
LVTATIO.
T. PETILIO. P. F.
QVIR. II. VIR.
Grut. 187. 14.

CERERI. AVGVST.
MATRI. AGR.
L. BENNIVS PRIMVS.
MAG. PAGI.
BENNIA. PRIMIGENIA.
MAGISTRA. FECER.
GERMANICO. CAESARE. II.
L. SEIO. TVBERONE. COSS.
DIES. SACRIFICI. XIII. K. MAI.
Pigh. tom. 3. *l.* 18.

Interdum notandum, optabilius longè fuiſſe ſubrogari Tiberio in Conſulatu, quàm illum cum eo gerere: Dio enim lib. 57. pag. 616. omnes qui cum Tiberio Conſulatum inierunt, obiiſſe narrat. Οὐ γὰρ ἐστὶν ὅς τις τῶν ὑπατευσάντων ποτὲ μετ᾽ αὐτοῦ οὐ βιαίως ἀπέθανεν. *Neque enim ullus in ejus Conſulatu collega, niſi violenta morte obierat.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, pro rariſſimo habendus.



MV. AVGVSTA BILBILIS. TI. CAESARE V. L. AELIO SEIANO. *Municipium Auguſta Bilbilis. Tiberio Cæſare quintùm, Lucio Ælio Sejano* circa lauream, in qua COS. *Conſulibus.*

Conſulatus Tiberii in nummis pro Duumvirorum nominibus ſignaſſe videntur Bilbilitani: in ſuperiori quidem, Tiberii tantùm nomen honoris causâ, omiſſo etiam Germanici collegæ nomine, poſuerunt; ſed in hoc Ælium Sejanum cum Tiberio inſcripſerunt, Romanos imitati, qui in omnibus locis ſtatuas iis conjunctim poſuerunt: nam ut ait Dio lib. 58. p. 623. Καὶ ὕπατόν τε αὐτὸν ἀπέδειξε, καὶ κοινωνὸν τῶν φροντίδων ὠνόμαζε· Σηϊανός τε ὁ ἐμὸς πολλάκις ἐπαναλαμβάνων ἔλεγε, καὶ τοῦτο, καὶ γράφων πρός τε τὴν βουλὴν, καὶ πρὸς τὸν δῆμον ἐδήλου. *Statim Conſulem illum deſignavit, curarumque ſuarum participem nominavit, Sejanumque ſuum vocans, ſæpe id repetiit, idem etiam hoc ad Senatum Populumque Romanum ſcribens.* Et apud Tacitum Annal. lib. 4. *Aram clementiæ, aram amicitiæ, effigieſque circùm Cæſaris ac Sejani cenſuere.* Sed ut Germanico malum omen cum Tiberio Conſulatum geſſiſſe, ita Sejano fuit; ille enim inſigne rerum humanarum imbecillitatis exemplum Tiberii juſſu occiſus eſt.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 69. vulgatus, inter rariores computatur.

CÆSARAUGUSTA.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta.* Julia velata sedens, dextrâ pateram, lævâ hastam.

Cùm C. & A. & pariter CAESAR. AVGVST. puncto dividantur, duobus verbis CAESAREA AVGVSTA scribi indicatur; sed usus invaluit, ut cùm de ea sermo esset, Cæsaraugusta pronunciaretur, ut apud Historicos legere est. Cæsaraugustani Hispaniæ Tarraconensis, de quibus dictum est in Augusto, Juliæ seu Liviæ statuam posuisse videntur, cujus iconem in Tiberii nummis signarunt, nihil gratius filio offerre sibi persuadentes, quàm matris imaginem, cui debebat Imperium, ut refert Dio lib. 57. pag 603. Ἡ Λιβία ἄκοντος τοῦ Αὐγούστου τὴν ἀρχὴν αὐτῷ περιπεποιηκέναι ἐλέγετο. *Julia invito Augusto ipsi Imperium parasse ferebatur.* Julia velata sedet tanquam Dea, dextrâ pateram ad sacrificia, lævâ autem hastam puram, divinitatis symbolum gerit.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro vulgari habetur.



C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta.* Bos infulatus seu vittatus.

Bos in hoc nummo infulâ seu fasciis ornatus, non fertilitatem soli indicat, ut ait Eq. Patinus; nec Coloniæ symbolum est, sed ad sacrificia spectat, quem Cæsaraugustani in nummis, ut se Jovi pro Tiberio immolasse demonstrarent, signarunt. Sacrificii autem causa, non Imperatoris morbus, sed vota potiùs fuere, quæ vel susceptа sunt ob Tiberii ad principatum adventum, vel ob Decennalia pro eo celebranda; de quibus Tacitus Ann. 4. *Corn. Cethego, Visellio Coss. Pontifices, eorumque exemplo cæteri Sacerdotes, cùm pro incolumitate Principis vota susciperent, Neronem quoque & Drusum iisdem commendavere.* Nec ob Tiberii salutis detrimentum sacrificia fuerunt perpetrata; non enim ægrotavit, ex Suetonio cap. 68. *Valetudine prosperrima usus est, tempore quidem principatus pene toto probè illæsa; quamvis à trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consiliove Medicorum.* Infula ex lineis filamentis contexta, bovi ad pompam imposita, antequam ille mactaretur, ei auferebatur.

Hic nummus mediæ formæ, pag. 67. vulgatus; frequens & obvius est.



C. C. A. T. CAECILIO LEPIDO. C. AVFIDIO GEMELLO. II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta. Tito Cæcilio Lepido, Caio Aufidio Gemello Duumviris.* Bos.

Bos iterum prodit simili infula ad sacrificii pompam insignis. Sed solemne Coloniarum symbolum. *Cæcilia* gens, plebeia. *Titus* prænomen, à quodam Sabino nomine Tito dictum tradit Valerius Max. Cognomen *Lepidi* ab orationis lepore inventum est. *Aufidia* gens, consularis. *Caius* seu *Gaius* prænomen, à gaudio patrum dictum narrant. Cognomen *Gemelli* ab ortu, quòd uno partu genitus sit.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter raros numeratur.



C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta.* Colonus agit boves.

In Cæsaraugustæ nummis modò colonus ad indicandam Coloniæ originem, modò signa militaria percutiuntur: ille ex plebe traductos cives, hæc Veteranos ad Coloniæ supplementum indicat. Onuphr. Panvinius Colonias ante Marii tempora ex plebe tantùm deduci, & sub secundo ejus Consulatu militares incœpisse tradit; cui adversari videtur Paterculus lib. 2. qui ante Hannibalis in Italiam adventum milites in colonias deduci notat. *Deinde neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum ejus annis, vacavit Romanis colonias condere, cùm esset in bello conquirendus potiùs miles, quàm dimittendus.* Cùm autem Cæsaraugusta utrumque coloni & signorum militarium typum in diversis nummis exhibet, illam tum ex civibus Romanis, tum ex veteranis militibus ab Augusto, à quo ei Cæsaraugustæ nomen, deductam existimamus.


Hic nummus secundi moduli frequens & obvius est.



C. C. A. M. CATO. L. VETTIACVS. II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta. Marcus Cato, Lucius Vettiacus Duumviri.* Colonus agens boves.

Familias Duumvirorum M. Catonis & L. Vettiaci ex eorum cognominibus indicare difficile est, præsertim cùm Vettiaci nulla sit mentio. *Cato* Porciis familiare cognomen est, & dicitur vir multarum rerum peritus, ex Varrone. *Cata* Sabini dicunt acuta, unde *Cato* non ut sapiens, ut aiunt, sed acutus. Porrò cùm hi Duumviri modò colonum, modò signa militaria in nummis exhibeant, unum ex illis originem à civibus Romanis Cæsaraugustam deductis, alterum ex Veteranis in eam transmissis traxisse suspicamur.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino pag. 67. sine colono, forsan temporis injuriâ detrito, vulgatus, frequens est.



TI. CAESAR. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta,* in area. C. CARRI. AQVILI. L. IVN. VETE. II. VIR. *Caio Carrilio Aquilino, Lucio Junio Vetere Duumviris,* circa ambitum.

Prodeunt alii Cæsaraugustæ Duumviri, sed nullo percusso typo, urbis nomine in area nummi signato, ut in altero Agrippinæ Sen. apud Tristan. tom. 1. pag. 156. Prior Duumvir à nobis *C. Carrilius*, & non C. Carrinas, ut aliis placet, vocatus est. Caius quidem Carrinas Carbonis Prætor, à Sulla occisus, memoratur apud Appian. lib. 5. ubi etiam C. Carrinas ejus filius, Prætor Hispaniæ sub J. Cæsare, à Sex. Pompeio victus: sed Carrinas cognomen est, in hoc verò nummo debet esse gentis nomen; adde quod in *as* terminetur, cùm omnia Romanorum nomina ex Sigonio de Nomin. Rom. in *ius* desinant: ad Carriliam gentem igitur ab Onuphrio de antiq. Nom. laudatam revocavimus Duumviri familiam, præsertim cùm illi adjectum sit cognomen *Aquilini*.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores numerandus.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
C. C. A. SEX. AEBVTIVS. L. LVCRETIVS. II. VIR. *Colonia Cæſarea Auguſta, Sextus Æbutius, Lucius Lucretius Duumviri.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Eq. Patinus pag. 67. nummum hunc epigraphe penitus corrosâ vulgavit, ſignis militaribus ad bellicas Tiberii virtutes revocatis. *Signa verò*, inquit, *militaria fortitudinem bellicam, quâ ſe militiamque Romanam adverſus hoſtes tueri prædicabat, indicant.* Sed illa ad Veteranorum Cæſarauguſtam in coloniam deductorum originem ſpectant, quorum typum Æbutius & Lucretius Duumviri, ut ſe ab illis oriundos indicarent, cælari curaverunt. *Æbutia* gens, Conſularis, cui *Sextus* prænomen à numero dictum. Sextus Æbutius accuſavit A. Cæcinam defendente Cicerone, vir nefarius & impudens. *Lucretia* gens, in patricias & plebeias diviſa eſt.

Hic nummus potiùs ad minimum quàm ad ſecundum modulum pertinens, à Cl. Morellio Specim. tab. 17. vulgatus, pro raro habendus.



C. C. A. CLEMENTE ET LVCRETIO II. VIR. *Colonia Cæſarea Auguſta, Clemente & Lucretio Duumviris.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Alter ecce ſignorum militarium in Cæſarauguſtæ nummo typus; an ſub iiſdem Duumviris, ut ſuperior, percuſſus? *Clemens* enim Sex. Æbutii cognomen eſſe poteſt, & *Lucretius* idem Duumvir; ſæpe enim iidem Duumviri ſub diverſa nominum forma perhibentur: an verò *Clemens* alterius ſit Duumviri cognomen, & *Lucretius* idem Duumvir? an duo alii penitus Duumviri, quorum poſterior ejuſdem gentis Lucretiæ, & ille Clemens à Veteranis illis Cæſarauguſtam colonis traductis originem trahunt?

Hic nummus mediocris formæ pro raro habendus.





TI. CAESAR. DIVI AVG. F. AVGVSTVS. PON. MAX. TR. P. XXXIII. Figura equeſtris Tiberii baſi prægrandi impoſita.
C. C. A. M. CATO. L. VETTIACVS. *Colonia Cæſarea Auguſta. Marcus Cato, Lucius Vettiacus.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Hunc nummum vulgavit Seguinus pag. 120. edit. 2. De ſignis militaribus in poſtica parte percuſſis plurima quidem, ſed de figura equeſtri in antica ne verbum protulit. Tribunitia Tiberii poteſtas XXXIII. in nummo ſignata, ſtatuam illam equeſtrem à Cæſarauguſtanis ipſi erectam ob Sejanum viam ad dominationem ſibi quærentem ſublatum, arguit: anno enim U. C. 784. CHr. 31. in quo uterque Conſulatum geſſit, Tiberius cùm Tribunitiam poteſtatem XXXIII. ageret, miſſis litteris Sejanum in Senatu accuſavit, quo damnato & occiſo multa Tiberio à Senatu decreta ſunt, ut inquit Dio lib. 58. pag. 629. Καὶ δεσποτείας τινὸς ἀπηλλαγμένοι. *Quoniam dominio exonerati eſſent.* Hinc ſacra facta, ſtatuæ & aræ paſſim à privatis etiam & per Italiam & alias urbes erectæ, ab iis præſertim qui Sejano florenti ſtuduerant, ipſique ſtatuas antea poſuerant, ut Tiberii, non Sejani in gratiam, ea feciſſe viderentur. Signa militaria ad Veteranos in Coloniæ ſupplementum deductos ſpectant.

Hic nummus primæ magnitudinis eximiæ raritatis eſt.



TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS PON. MAX. TR. P. XXXIII. Figurâ sedens, dextrâ pateram, sinistrâ hastam.

C. C. A. M. CATO. L. VETTIACVS. II. VIR. LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. *Colonia Cæsarea Augusta. Marcus Cato, Lucius Vettiacus Duumviri. Legio Quarta, Legio Sexta, Legio Decima.* Vexillum inter duo signa militaria.

Nummus superior statuam equestrem Tiberii, hic verò sub iisdem Duumviris percussus sedentem exhibet. Tribunitia XXXIII. potestas signata, illas Imperatori ob Sejanum interemptum erectas à Cæsaraugustanis nos edocet; Senatus diem quo Sejanus occisus est, festum à Magistratibus & Pontificibus celebrari jussit, teste Dione l. 58. p. 629. Ἑορτὴν τε διά τε τῶν ἀρχόντων καὶ διὰ τῶν ἱερέων ἁπάντων (ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει) ἀχθῆναι. *Festus dies ab omnibus Magistratibus & Pontificibus, quod nunquam antè factum, celebraretur.* Cæsaraugustani Tiberio gratulantes, primi inter Hispaniæ populos, ob Sejanum sublatum, statuas ipsi erexerunt; ut Bilbitani Sejano adulantes, ipsius nomen & consulatum cum Tiberio in nummis primi apposuerant. De Catone & Vettiaco Duumviris dictum est, ut & de Legionibus Quarta, Sexta, & Decima, quarum partem ex Veteranis selectam, & Cæsaraugustam pro colonis ab Augusto transmissam, in ejus nummis vidimus.

Hic nummus majoris moduli, olim in cimelio Emin. Card. Maximi, rarissimus & præstantissimus est.

CALAGURIS.



TI. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. VIII. Caput Tiberii laureatum.

MV. C. I. C. RECTO. C. CELERE. II. VIR. *Municipium Calaguris Julia, Caio Recto, Caio Celere Duumviris.* Bos.

Calagurim, Hispaniæ Tarraconensis urbem, dictam fuisse *Juliam* ob quoddam beneficium à Julio Cæsare acceptum, in Augusto diximus, quod obtinuisse videtur, cùm in bello contra Pompeii Legatos Afranium & Petronium illa Julii partibus adhæsisset, ut ipse ait de Bello civ. *Interim Oscenses & Calaguritani, qui erant cum Oscensibus contributi, mittunt ad eum Legatos, seseque imperata facturos pollicentur.* Calaguris Tiberio nummos dedicat cum titulo Imperatoris VIII. quem ille Arminio & Cheruscis à Germanico devictis accepit; sed cùm diu octavum Imperatoris titulum, & alium deinceps non habuerit, difficile est quo U. C. anno cusus sit nummus, pronuntiare. *Rectus* & *Celer* Duumvirorum sunt cognomina, quorum ignorantur familiæ. L. Fulvius Rectus, VI. vir Augustalis, in inscriptione in Hispania reperta apud Gruterum pag. 237. 1. perhibetur. *Celer* verò cognomen plurimis familiis vulgare. Bos, Municipiorum symbolum est.

Hic nummus mediæ formæ obvius & vulgaris.



IMP. CAESAR TI. AVGVS. DIVI AVGVSTI F. Caput Tiberii laureatum.

MV. C. I. L. FVLV. SPARSO. L. SATVRNINO. II. VIR. *Municipium Calaguris Julia, Lucio Fulvio Sparso, Lucio Saturnino Duumviris.* Bos.

Julius Cæsar narrat, Calaguritanos cum Oscensibus fuisse contributos, de Bello civ. lib. 1. *Interim Oscenses & Calaguritani, qui erant cum Oscensibus contributi.* *Fulvia* gens, plebeia, in multas familias divisa est. Fulvius Sparsus apud Senecam Controv. lib. 10. inter illustres Declamatores

tores recensetur. Alter Fulvius Sparsus apud Gruterum pag. 237. 2. laudatur. *Saturninus* verò Duumvir, ad quam pertineat familiam, cùm plurimæ eo cognomine usæ sint, revocare incertum est. Bos, Coloniæ symbolum.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 71. vulgatus, tritus & obvius est.



MV. CAL. IVL. *Municipium Calaguris Julia.* Caput Tiberii sine laurea.
L. VAL. FLAVO. T. VAL. MERVLA. AED. *Lucio Valerio Flavo, Tito Valerio Merulà Ædilibus.* Caput bovis.

Nummus non Duumvirorum, sed Ædilium nomina exhibet, ideo ipsis ut Duumviris concessa cudendæ monetæ facultas. Iidem sunt in Coloniis quàm Romæ Magistratus. Denarios sub Ædilibus Curulibus Romanis in Plætoria, Plancia, Plautia, & Sulpitia familiis videas apud F. Ursinum. Ædilium etiam officium erat ludos publicos exhibere, &c. teste Cicerone 1. de Legibus ex Leg. XII. Tabul. *Suntoque Ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque solennium*, &c. Caput bovis ad ludos Megalenses in Augusti nummis à Calaguritanis in Matris Idææ Pessinunte Romam advectæ honorem, & in memoriam P. Scipionis Nassicæ de se bene meriti, qui eam hospitio exceperat, quotannis celebratos spectare diximus, quorum renovationem hoc in nummo ipsi Tiberio gratulantes exhibuerunt. Uterque Ædilis ex Valeria gente, priori quidem *Flavus* cognomen à capillitio, posteriori *Merula* à studio Merularum impositum.

Hic nummus minimi moduli pro raro habendus.



MV. CAL. I. TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVG. Caput Tiberii nudum.
C. RECTO. C. CELERE. II. VIRI. *C. Recto, C. Celere Duumviris.* Caput bovis.

Caius Rectus & Caius Celer Duumviri nummum suprà signarunt cum bove Municipii solito symbolo; in hoc verò caput bovis sacrificiorum insigne, ad memoriam ludorum Megalensium, sicut Ædiles, pariter indicandam exhibent. Ludi illi apud Livium lib. 9. Dec. 3. pridie Id. Apriles edebantur; sed observavit Pighius Ann. lib. 2. pag. 216. corruptum esse ipsius locum, & prid. Non. April. substituendum, uti in Festorum tabulis habetur; quibus adstipulatur Ovidius Fast. 4. post 3. April. mensis diem, Berecynthiæ Matris Magnæ festa incipere canit.

Ter sine perpetuo cælum versetur in axe,
Ter jungat Titan, terque resolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Hic nummus minimæ formæ inter raros collocandus.

CASCANTUM.



TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.
MVNICIP. CASCANTVM. Bos.

Cascantum, urbs Hispaniæ Tarraconensis trans Iberum, quam Antoninus Pius in Itiner. à Mediolano ad Leugas VII. geminam inter Cæsaraugustam & Calagorram collocat. *Cæsarea Augusta* M.*p.* XLVI. *Cascantenses* M. *p.* L. *Calagorra* M. *p.* XXIX. Cascantenses Plinius lib. 3. cap. 3. inter populos

pulos Latinorum veterum recenset. *Latinorum veterum Cascantenses, Ergavicenses, Graccuritanos,* &c. Sed nummus Cascanto urbi Municipii titulum tribuit. Bos in hoc nummo non tanquam major hostia pro salute Tiberii insculptus est, ut videtur P. Harduino pag. 118. sed pro Municipii symbolo. Boves autem ad sacrificia spectantes, infulâ seu mitrâ, ut alibi dictum, ornati sunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis vulgaris est.

CELSA.



TI. CAESAR. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

C. V. I. CEL. L. BAGG. FRON. CN. BVCCO. II. VIR. *Colonia Victrix Julia Celsa. Lucio Baggio Frontone, Cneo Bucco Duumviris.* Bos.

Celsa, urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluvium, Colonia à Julio Cæsare deducta est, ut indicat *Juliæ* nomen. *Victrix* à felici quodam eventu, ut Osca & Tarraco, aut à Julii victoriis dicta. Prior Duumvir L. Baggius renuntiatur, in altero Augusti nummo ejusdem Celsæ Lucius etiam Baggius inscribitur, unde filius hic, aut alter ejusdem familiæ, cujus cognomen Fronto à fronte derivatum. De Baggia gente apud historiæ scriptores nulla mentio. Alterum Duumvirum Cn. Buccum ex Pompeia gente suspicamur, quòd L. Pompeius Buccus in nummo Augusti à Celsensibus cuso nominetur.

Hic nummus secundi moduli vulgatus à Patino pag. 71. pro raro habendus.

CLUNIA.



TI. CAESAR. AVG. F. AVGVSTVS IMP. Caput Augusti nudum.

CLVNIA. C. AEM. METO. L. COR. MATE. L. CAEC. PRAES. C. CAND. IIII. VIR. *Clunia. Caio Æmilio Metœco, Lucio Cornelio Materno, Lucio Cæcilio Præsente, Caio Candido Quartumviris.* Bos.

Clunia, urbs Hispaniæ Tarraconensis ad Durium fluvium in Celtiberis ita celebris, ut non modò apud Plinium inter septem provinciæ conventus numeretur lib. 3. cap. 3. *Nunc universa provincia dividitur in conventus septem, Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanam, Cluniensem,* &c. sed ita populo frequens, ut nummi Quartumviros pro civium multitudine illam habuisse declarent. *Æmilia* gens, patricia. *Metœcus* dicitur, qui de una civitate in aliam migravit habitandi animo. *Cornelia*, in patricias & plebeias distincta. *Maternus*, à matre cognomen. *Cæcilia* gens, plebeia. *Præsens*, cognomen vulgare. *C. Candidus*, à colore corporis, ex altero Cluniæ nummo ad Cæliam gentem pertinere videtur. Bos Municipiorum insigne.

Hic nummus mediocris formæ nec rarus nec obvius est.



CLVNIA. CN. POMP. M. AVO. T. ANTO. M. IVL. SERAN. IIII. VIR. *Clunia. Cneo Pompeio, Marco Avonio, Tito Antonio, Marco Julio Serano Quartumviris.* Bos.

Cluniæ

Cluniæ meminit Dio, quam Metellum oppugnantem rebelles Hiſpanos fudiſſe narrat lib. 3. pag. 115. Πολιορκοῦντι δ' αὐτῷ Κλουνίαν ἐπελθόντες, ἀμείνους ἐγένοντο, καὶ ἐκείνην μὲν ἐξεπολιορκήσαντο *Eundem ipſi Cluniam oppugnantem aggreſſi ſuperarunt, & ipſam ceperunt.* *Pompeia* gens, plebeia: *Avonia* pariter; Sext. Avonius Curator Vici Fortunæ Mammoſæ perhibetur apud Grut. p. 251. *Antonia* & *Julia* in patricias & plebeias diviſæ. *Seranus* cognomen à ſero, pro ſemino ſeu planto, ſumpſit; quòd agrum cùm ſereret, abſens Dictator electus eſt. Plin. lib. 18. cap. 3. cujus etiam meminit Virgil. Æneid. 6.

Et te ſulco, Serane, ſerentem.

Hic nummus ſecundi moduli, vulgatus à Patino pag. 71. rarus eſt.



CLVNIA. L. RVF. T. CONSI. TI. LONG. P. ANTO. IIII. VIR. *Clunia. Lucio Rufo, Tito Conſidio, Tiberio Longo, Publio Antonio Quartumviris.* Bos.

Illa eſt urbs Clunia, in qua Galba Proconſul Hiſpaniæ ſecundiſſimis auſpiciis & ominibus tum Sacerdotis Jovis cùm Virginis Honeſtæ confirmatus Imperium contra Neronem arripuit, ut adſtipulatur Suetonius in Galba. Eorum ſententia erat, *Oriturum quandoque ex Hiſpania principem dominumque rerum.* Quartumviri modò cognomina tantùm aſſumunt, ut L. Rufus & Tib. Longus; modò familiarum nomina exhibent. *Conſidia* gens, plebeia. *Antonia* autem, in patricias & plebeias diviſa eſt.

Hic nummus mediocris formæ inter raros computandus.



CLVNIA. C. ARR. T. CAEL. P. RES. C. CAEL. CAND. IIII. VIR. *Caio Arrio, Tito Cælio, Publio Reſtituto, Caio Cælio Candido Quartumviris.* Bos.

Omnes Cluniæ nummi bovem Coloniarum & Municipiorum ſymbolum exhibent, quamvis ipſa nec Municipii nec Coloniæ titulum in iis gerat. Ptolemæus illam *Coloniam* nominat lib. 2. cap. 6. Κλουνία Κολωνία, *Clunia Colonia.* Goltzius in Theſauro pag. 239. COL. CLVNIA. P. Harduinus pag. 120. nummum Cimelii Regii citat, in quo MVN. CLVN. ſed ejuſmodi nummus non obſervatur. *Arria* gens, plebeia. *Cælia*, in patricias & plebeias diviſa, cujus alter Duumvir, *Titi* prænomen, poſterior autem *Caii* cum cognomine *Candidi* à corporis colore, ad prioris diſtinctionem, præfert. Tertius ex Quartumviris *Publii* prænomen, & *Reſtituti* cognomen tantùm habet; unde ejus familia, ignoratur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro raro numerandus.

CORINTHUS.



TI. CAESAR. CORINTHI. Caput Tiberii ſine laurea.

C. HEIO POLLIONE ITER. C. MVSSIDIO PRISCO II. VIR. *Caio Heio Pollione iterum, Caio Muſſidio Priſco Duumviris.* Corona ex apio contexta.

Corinthii Tiberio gratulantes, nummos dedicarunt: hic coronam ex apio ad ludos Iſthmicos ſpectantem exhibet. Ipſi in honorem Neptuni, ut Plutarcho videtur, aut ut tradit Pauſanias, in Melicertis memoriam quinto quoque anno in Corinthi Iſthmo celebrabantur, quorum victores Nemæorum imitatione coronam ex apio quàm priùs ex pinu reportabant. Plutarchus in Timol. p. 248. Οἱ γὰρ Κορίνθιοι στεφανοῦσι τοὺς Ἰσθμιονικῶντας, ἱερὸν καὶ πάτριον στέμμα τοῦ σελίνου νομίζοντες· ἔστι γὰρ πότε τῶν Ἰσθμίων, ὥσπερ νῦν τῶν Νεμέων, τὸ σέλινον ἦν στέφανος, οὐ πάλαι δὲ ἡ πίτυς γέγονεν. *Corinthii enim qui ſacram arbitrantur & patriam*

apii coronam, eâ victores Isthmiorum ludicro coronant. Nam Isthmiorum eâ etiam tum ætate, ut nunc Nemæorum, apium corona erat, non ita dudum successit pinus. C. Heius Pollio Duumvir hoc in nummo iterum vocatus, prima vice sub Augusto magistratum gessisse videtur, ex ejus nummo ab una parte caput Augusti, & ex altera Julii fundatoris effigiem exhibente. *Heia* gens, plebeia videtur, ut & *Mussidia*, quam è Sabinis oriundam arbitratur Pighius in Indice ad Annales Romanorum. *Pollio* cognomentum ab arte: Polliones seu Pilliones dicebantur portitores mortuorum, Gloss. Isidor. *Priscus*, quòd natu major esset.

Hic nummus minimi moduli, ex museo D. Dron Can. S. Thomæ de Lupara, singularis elegantiæ & raritatis est.



TI. CAESARE II. VIR. COR. *Tiberio Cæsare Duumviro, Corinthus.* Caput Augusti sine laurea.

M. AEMIL. LABEONE. II. VIR. D. D. *Marco Æmilio Labeone Duumviro, decreto Decurionum.* Caput Tiberii nudum.

Singularis est non modò hic nummus ob Augusti & Tiberii hinc & inde effigies, sed quòd Tiberius Corinthi Duumvir imperante Augusto renuntietur; quod munus Cæsar non renuit, ipsi quippe Imperatores Duumviratum non dedignati sunt, si Spartiano fides, qui Hadrianum in ejus vita Duumvirum etiam fuisse narrat, ut & summos multarum urbium magistratus gessisse. In antiquis Gruteri Inscriptionibus pag. 491. 10. Tiberius ipse *Quinquennalis* perhibetur. Summis autem urbium dignitatibus, ad quas Imperatores honoris causâ nominabantur, ipsi alios præficiebant, qui Præfecti Decurionatus seu Quinquennalitatis Cæsaris appellabantur, servato tamen in actis ubique Imperatoris nomine, sed illi post initum magistratum in titulis Præfecti nomen præferebant, testes obviæ inscriptiones antiquæ. *Æmilia* gens, patricia majorum gentium. *Labeo* cognomen à labiorum vitio.

Hic nummus minimi moduli rarissimus est.




TIBERIO CAESARI. Caput Tiberii laureatum.

COR. L. FVRIO. C. CRISPO. II. VIR. *Corinthi. Lucio Furio, Caio Crispo Duumviris.* Templum sex columnarum.

Laureâ circa caput Tiberii nummum ipsi tandem Imperatori percussum arguit; & templum in parte aversa, non Dei cujusdam patrii est, sed Augusto post ejus apotheosim ædificatum videtur, cujus similis structura in Augusti radiati nummo perhibetur pag. 47. Corinthii Juliæ gentis beneficiorum memores, templum Augusto Julii fundatoris filio ædificarunt; quod in nummis Tiberii successoris, in obsequii memoriam, sub Furio & Crispo Duumviris exhibuerunt. *Furia* gens in patricias & plebeias divisa est. Alterius Duumviri familia ignoratur. *Crispus* ejus cognomen à capillis crispis dictum.

Hic nummus tertiæ magnitudinis pro raro habendus.

DERTOSA.



C. I. A. D. TI. CAES. *Colonia Julia Augusta Dertosa. Tiberius Cæsar.* Caput Tiberii laureatum.

C. I. A. D. AVG. *Colonia Julia Augusta Dertosa. Augustus.* Caput Augusti radiatum.

Ad

Ad Tiberium pertinet nummus, in cujus aversa parte Dertosani Hispaniæ Tarraconensis Augusti inter Deos relati radiatâ coronâ insignis effigiem ob accepta ab eo beneficia exhibuerunt: nomen enim *Augustæ*, quod assumpsit Dertosa, illam ab eo novis colonis frequentatam fuisse indicat. Nummum ad Dertonam Liguriæ revocat P. Harduinus pag. 136. sed nummi Imperatorum in Italiæ Coloniis signati vix ac ne vix quidem reperiuntur, quod eis monetæ cudendæ facultas haud concessa videatur, cùm frequentes Hispaniæ Coloniarum nummi cum Augusti & Tiberii effigie occurrant: quod confirmat in isto rudis illius provinciæ nummorum forma. Dertosani Tiberio gratulantes, quòd Augustus in Deorum numerum à Senatu relatus esset, utrumque in nummo, illum laureâ ut Imperatorem, hunc radiis ornatum ut Deum exhibuerunt. Dionem de Augusti apotheosi loquentem audias lib. 56. pag. 600. τότε δ᾽ ἀθανατίσαντες αὐτόν. *Tum verò inter immortales Deos eum indigitarunt.*

Hic nummus medii ferè moduli inter rariores & elegantes adscribendus.

EMERITA.



IMP. TI. CAESAR. AVGVSTVS PON. MAX. Caput Tiberii laureatum.
AVGVSTA EMERITA. in al. COL. AVGVSTA EMERITA. Porta urbis cum duobus fornicibus hinc & inde turri ornata.

Emerita, urbs est Lusitaniæ ad Anam fluv. Deciani Martialis Poëtæ amici patria, ut ipse innuit lib. 1. epist. 62.

Gaudent jocosæ Canio suo Gades;
Emerita Deciano meo.

Emeritensibus familiarum adjectiones concessit Imperator Otho, ut narrat Tacitus Hist. lib. 1. *Eadem largitione civitatum quoque ac provinciarum animos aggressus, Hispalensibus & Emeritensibus familiarum adjectiones . . . dedit.* Emeritenses fundatoris Augusti studiosissimi, ut urbem suam ejus successoris Tiberii clientelæ commisisse denotarent, ipsius prospectum in ejus nummis signarunt.

Hic nummus majoris quidem moduli præstantissimus; alter verò minoris à Patino vulgatus pag. 71. rarus est.



C. A. E. AETERNITATI. AVGVSTAE. *Colonia Augusta Emerita. Æternitati Augustæ.* Templum quatuor columnis suffultum.

Nulla extat in hoc opere Colonia, quæ tam varias pro una littera diverso modo in nummis scripta interpretationes receperit; erroneas quidem ante genuinam exponere placuit. Eques Patinus lib. Num. Impp. pag. 74. primus nummum cum epigraphe C. A. I. substituendo I pro E, vulgavit, cujus interpretationem non satis assecutus, mutatâ iterum litterâ E in T, sub *Coloniæ Augustæ Tiberii* nomine ad Ratisbonam referre conatus est. Comes Mediobarbus p. 70. alterum ex P. Cattanei museo cum litteris C. A. R. suppositâ etiam R pro E protulit, & *Colonia Augusta Rauracorum* reddidit. P. Harduinus in his Tiberii nummis, Patini nec Mediobarbi sententiam sequutus, novas tentavit explicationes; priorem quidem Patini nummum cum his vocibus C. A. I. ad Gaditanam Coloniam sub *Coloniæ Augustæ Juliæ* appellatione pag. 176. revocavit; alterum verò à Mediobarbo allatum C. A. R. *Coloniam Astam Regiam* pag. 80. exposuit, sed frustra. Varia hæc nummorum interpretatio ob illos ab iis non inspectos, sed in alterius fidem descriptos orta, indicat quàm cautè eorum libri, qui nec Principum nec antiquariæ rei studiosorum cimelia sæpe sæpius perlustrarunt, legendi sint. Sed ad veram nummi lectionem revertamur.

Non unum Tiberii nummum integerrimum cum hac epigr. AETERNITATI AVGVSTAE, & litteris sub templo tetrastylo C. A. E. contrectavimus; sed alterum ejusdem Tiberii, in cujus aversa parte Livia & eædem voces, vulgavimus p. 51. quas *Coloniam Augustam Emeritam* interpretati sumus, præsertim cùm nummos ejus urbis Juliæ & Tiberio seorsim percussos observavimus,

mus. Emeritenses Coloniæ fundatoris memores, cùm datam à Senatu Tarraconensibus condendi post Augusti apotheosim templi facultatem intellexissent, eorum exemplum imitati, *Æternitati Augustæ* alterum dedicarunt, quod, ut Tiberii filii adoptivi benevolentiam sibi conservarent, in illius nummis repræsentarunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis, inter rariores numerandus.

ERGAVICA.



TI. CAESAR AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
ERGAVICA. In corona quercea.

Ergavica, urbs Celtiberorum in Hispania Tarraconensi, inter celebres à Livio recensetur Decad 5. lib. 10. *Ergavica inde nobilis & potens civitas.* Illa in nummis Municipium perhibetur; sed cùm Ergavicenses apud Plinium lib. 3. cap. 3. inter populos Latinorum veterum numerentur, Municipium sine suffragio urbem fuisse factam suspicamur. Corona quercea ob cives à Tiberio servatos signata est.

Hic nummus minimi moduli pro raro computandus.



MV. ERGAVICA. C. COR. FLORO. C. CAE. ALACRE. II. VIR. *Municipium Ergavica. Caio Cornelio Floro. Caio Cæcilio Alacre Duumviris.* Bos.

Ergavica modò cum solo nomine, modò cum *Municipii* titulo inscribitur; in hoc verò nummo & Duumviros suos signat, quos alii Municipes Latinorum veterum à Plinio recensiti non exhibent, hi omnes Cascantenses, Ergavicenses, Graccuritani, Leonicenses, Oscerdenses, Cæsaraugustani conventus sunt. *Cornelia* gens in varias stirpes divisa est, nullaque latiùs sparsa. *Florus*, à florum studio vocatus. De *Cæcilia* dictum est. *Alacer*, à sensuum universorum vigore nuncupatus. Bos Municipiorum insigne est.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter raros numeratur.

GRACCURIS.



TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
MVNICIP. GRACCVRIS. Bos vittatus seu infulâ ornatus.

Graccuris, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, nomen habet à Tib. Sempronio Graccho Scipionis Africani genero, ejus citerioris Proconsule circa annum U. C. 574. ante CHristum. 179. cùm antè *Illurcis* appellaretur, ut tradit Sextus Pompeius. *Graccuris, Iberiæ regionis urbs dicta à Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis appellabatur.* Ille autem Celtiberis victis ac deditis leges pacis dedit, & Graccurim urbem in Hispania constituit, quæ facta est Municipium, & quidem sine suffragio, cùm inter Latinorum veterum populos Graccuritani à Plinio lib. 3. cap. 3. recenseantur. *Latinorum veterum Cascantenses, Ergavicenses, Graccuritanos, Leonicenses, Oscerdenses.* Bos vittatus sacrificia pro decennalibus Tiberii, vel ob sublatum Sejanum perpetrata denotat.

Hic nummus mediocris formæ inter rariores adscribendus.

ILLERGAVONIA.



TI. CAESAR DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
MV. H. I. ILLERGAVONIA. DERT. *Municipium Hibera Julia Illergavonia Dertosanorum.* Navis expanso velo.

Antiquarii nummum hunc ad Dertosam Hispaniæ hactenus retulerunt, quam *Municipium Hiberam Juliam Illergavoniam Dertosam* tot nominibus insignem vocarunt; sed DERT. *Dertosanorum* explicandum putamus. *Illergavonia*, urbs est, imò gemina, una cis Hiberum, altera trans fluvium, quorum populos hinc & inde extendit Ptolemæus lib. 2. cap. 6. quod innuere videtur Jul. Cæsar. lib. de Bell. civil. dum inquit: *Illurgavonenses, qui flumen Iberum attingunt.* Urbs verò quæ in eodem littore cum Dertosa est, *Illergavonia Dertosanorum* ad alterius distinctionem videtur dicta; Dertosa enim & Illergavonia duæ urbes prorsus distinctæ sunt; illa in nummis *Colonia*, hæc *Municipium* vocata, *Hibera* dicta est, quòd flumen Hiberum eam alluat; *Julia* verò à Julio Cæsare, in cujus partes illa transiit in bello contra Pompeii Legatos; ut ipse tradit loco citato: *Transiit etiam cohors Illergavonensis ad eum cognito civitatis consilio.* Navis velo expanso ejus situm indicat.

Hic nummus mediocris formæ inter raros habendus.

ILLICI.



TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F. AVGVSTVS. Caput Tiberii sine laurea.
C. I. IL. A. M. AEMILIVS SEVERVS. T. COELIVS PROCVLVS II. VIR. *Colonia Immunis Illici Augusta. Marcus Æmilius Severus, Titus Cœlius Proculus Duumviri.* Aquila & vexillum inter duo signa militaria.

Illici Plinio, *Illice* Melæ; *Illicias* Ptolemæo; urbs est Hispaniæ Tarraconensis ad amnem qui in Tader fluvium illabitur, non longè à mari. Plurimæ Coloniæ nudum tantùm *Coloniæ* nomen habebant; aliæ soli tributum solvebant, sed Illice in hoc nummo *Immunis* perhibetur; ideo Illicitani juris Italici dicuntur apud Paulum lib. 2. de Cens. *Idem jus Valentini & Illicitani, Barcenonenses quoque ibidem immunes sunt.* Vide de Illici in Augusto. Aquila & vexillum quando inter duo signa militaria occurrunt, idem quod duæ aquilæ legionariæ denotant, de quibus in sequenti nummo. De Æmilia gente sæpius dictum est. *Severus* cognomen ab asperitate morum. *Cœlia*, plebeia est, sed consularis. *Proculus* Plutarcho in Coriolano dicitur, qui natus est patre peregrinante à natura procul: Valerio lib. 14. qui patre sene, quasi procul ætate progresso.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ inter rariores reponendus.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVG. P. M. Caput Tiberii nudum.
C. I. I. A. L. TER. LON. L. PAP. AVIT. II. VIR. Q. *Colonia Immunis Illici Augusta. Lucius Terentius Longus, Lucius Papius Avitus Duumviri Quinquennales.* Duæ aquilæ legionariæ vexillo intermedio.

Aquila legionaria in Coloniarum nummis pro militum Legionis in urbem deductorum symbolo ponitur; sed quando duæ occurrunt, Veteranos ex duabus Legionibus in eam transmissos indicant: quod idem observandum de aquila cum vexillo inter duo signa militaria, ut in superiori ejusdem Illicis nummo & passim in aliis. Terentius & Papius signa illa ad originem suam indicandam cælasse videntur, quod illi à Veteranis in Coloniam deductis essent oriundi. *Terentia* gens, à *Tereno* voce Sabina, quæ molle significat, ex Varrone, plebeia est. *Longus* cognomen à longo corporis habitu. *Papia*, pariter plebeia, sed consularis. *Avitus* cognomen plurimis familiis vulgare.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ inter elegantiores numerandus.



C. I. I. A. L. TER. LON. L. PAP. AVIT. II. VIR. Q. *Colonia Immunis Illici Augusta. Lucius Terentius Longus, Lucius Papius Avitus Duumviri Quinquennales.* Duæ figuræ togatæ stantes, manus super aram jungentes, in imo IVNCTIO.

Mutilum apud Patinum pag. 75. & Mediobarbum pag. 70. restitue ut suprà nummum.

Ad Illicem urbem pertinere nummum iidem quàm in superiori Quinquennales Duumviri indicant; Eques Patinus quid sibi velint duæ illæ figuræ, se ignorare fatetur: nos Germanicum & Drusum Cæsares Tiberii filios esse arbitramur, quos cùm essent patrueles & adoptione fratres, Illicitani junctis invicem manibus arâ adoptionis intermediâ ipsorum fidei teste tanquam concordes exhibuerunt. Drusus bonæ indolis erat, ut ait Tacitus Annal. l. 4. de illo & Germanici filiis loquens: *Drusus (quamquam arduum sit, eodem loci & potentiam & concordiam esse) æquus adolescentibus aut certe non adversus habebatur.* Tales occurrunt in nummis M. Aurelius & L. Verus adoptione fratres, cum epigraphe CONCORDIA AVGVSTORVM, nihil aliud voce hac IVNCTIO denotante.

Hic nummus minoris moduli, à Patino vulgatus pag. 75. rarissimus est.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii nudum.

C. I. I. A. M. IVLIVS SETTAL. L. SESTI. CELER II. VIR. *Colonia Immunis Illici Augusta. Marcus Julius Settalus, Lucius Sestius Celer Duumviri.* Ara cui inscriptum SAL. AVG. supra eam duo palmæ rami.

In memoriam Augusti hanc aram ab Illicitanis repræsentatam refert Patinus pag. 70. *Cui*, ait, SALuti AVGustæ *inscriptum erat, è qua palmæ prodeunt, quas narrat Dio ibi natas esse.* Nonnulli hanc Tiberio erectam putant ob sublatum Sejanum, de quo Patinus ipse inscriptionem Pighii Annal. 3. lib. 12. profert ab Interamnensibus positam.

Julia gens in patricias & plebeias divisa est. De *Settali* cognomine nulla mentio. *Sestia*, patricia est, ex Livio. *Celer*, à celeritatis officio, vel ab equitibus, vel, ut Valerius Antias prodidit, à Fabio Celere primo eorum Præfecto.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ apud Patinum p. 72. nec rarus nec obvius est.

ITALICA.



TI. CAESAR AVGVSTVS PON. MAX. IMP. Caput Tiberii nudum.

MVN. ITALIC. PERM. DIVI. AVG. *Municipium Italica aut Italicense, permissu Divi Augusti.* Ara supra quam inscriptum PROVIDENTIAE AVGVSTI.

Italica,

Italica, urbs Hiſpaniæ Bæticæ ad Bætim fluvium ſita, ut innuit Strabo lib. 3. pag. 141. Μετὰ δὲ ταύτας Ἰτάλικα καὶ Ἴλιπα ἐπὶ τῷ Βαίτι. *Secundùm has Italica & Ilipa ſupra Bætim ſitæ.* Italicenſes hanc aram Tiberii Providentiæ ob Sejanum ſublatum non dedicarunt, ſed potiùs Auguſto poſt ejus apotheoſin ab iis erecta videtur, ut indicat Auguſti nummus cum *Divi* titulo, quem conſule pag. 37. Italicenſes ob poteſtatem cudendæ monetæ ab Auguſto acceptam, beneficii memores, ipſius Providentiæ aram dedicarunt; cujus ectypum etiam in nummis Tiberii ſucceſſoris iidem ſignarunt, appoſitâ PERM. DIVI AVG. epigraphe. Interim notandum eſt, omnes Italicenſium nummos Auguſto, Liviæ, Tiberio, Druſo, & Germanico cuſos, PERM. AVG. ſemper exhibere, quod P. Harduino minimè favet, qui nummum ab una parte ITALICA, & ab altera BILBILIS habentem, ad Italicam pertinere contendit.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 67. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt; ſed primæ formæ ex D. Dron, raritatis eximiæ eſt.

L Æ L I A.



TI. CAES. DIVI. AVG. F. AVG. Caput Tiberii nudum.
LAELIA. Spica.

Lælia, urbs Bæticæ provinciæ, de qua abunde in Lucii Cæſaris nummo dictum eſt, qui pariter ſpicam ad denotandam frumenti in hac regione ubertatem, exhibet.

Hic nummus minimæ formæ, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

O S C A.



TI. CAESAR AVGVSTVS. aliis TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
VRBS VIC. OSCA. aliis V. V. OSCA D. D. aliis V. V. OSCA. QVIETO ET PEREGRINO II. VIR. *Urbs Victrix Oſca, Quieto & Peregrino Duumviris.* Eques decurrens cum haſta.

Oſca in Hiſpania Tarraconenſi, inter civium Romanorum populos à Plinio lib. 3. relata; *Urbs* per excellentiam in nummis appellatur: quem titulum illam habuiſſe putat Ant. Auguſtinus, quòd *Magna* apud Plutarchum in Sertorio nominetur; cujus ſententiæ favet Julius Cæſar, qui eam pariter inter magnas urbes quæ partibus ſuis in bello contra Pompeii Legatos adhæſerunt, recenſet lib. 1. de Bello civ. *Magnis*, ait, *quinque civitatibus ad amicitiam adjunctis.* Hæc Cæſaris amicitiam cum Tarracone conſequuta, beneficium aliquod ab eo accepit, unde utraque *Victricis* nomen urbibus de Julio benè meritis familiare accepit, quòd earum deditione & exemplo, ut Cæſar addit loco cit. multæ longinquiores civitates ab Afranio deſciverint, & Cæſaris amicitiam ſequutæ ſint: hinc Cæſaris victoria ſine certamine. *Quietus* & *Peregrinus* Duumvirorum ſunt cognomina, nec ex iis poſſunt eorum familiæ cognoſci; idque notandum, Oſcæ Duumviros ferè ſemper per ſola cognomina deſignari, & Oſcenſes figuram equeſtrem urbis inſigne in nummis perpetuò præferre.

Hic nummus ſecundi moduli cum Duumvirorum cognominibus; pro raro habendus; cæteri obvii & vulgares.

OSICERDA.



TI. CAESAR AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
MVN. OSICERDA. *Municipium Osicerda.* Bos.

Osicerda, urbs Hispaniæ Tarraconensis est, cujus populi *Ossigerdenses* Plinio dicti lib. 3. cap. 3. inter populos Latinorum veterum recensentur. *Latinorum veterum Cascantenses*, *Ergavicenses*, *Graccuritanos*, *Leonicenses*, *Ossigerdenses*. Municipium in nummis, ut Cascantum, Ergavica & Graccuris, perhibetur. *Bos*, ait P. Harduinus pag. 372. *ibi insculptus*, *vel est deductæ Coloniæ index*, *vel ea litatum hostia Augusto ab Osicerdensibus significat*. Verùm cùm Osicerda Colonia non sit, bos in ejus nummo depictus, Coloniæ index esse nequit; cùmque nec infula nec vitta sit ornatus, ad sacrificia nequaquam spectat, sed in Municipiis pro vulgari eorum symbolo signatur.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 71. vulgatus, non obvius est.

SAGUNTUM.



TI. CAESAR DIVI. AVG. F. AVG. Caput Tiberii nudum.
SAG. L. SEMP. GEMINO. L. VAL. SVRA. II. VIR. *Saguntum. Lucio Sempronio Gemino, Lucio Valerio Sura Duumviris.* Triremis.

Saguntum, aliis *Saguntus*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, à mari M. pass. apud Livium, III. autem millia apud Plinium remota videtur: ille Decad. 3. lib. 1. *Jam Saguntum summa vi oppugnabatur; civitas longè opulentissima ultra Iberum fuit sita passus mille fermè à mari: oriundi à Zacyntho insula dicuntur, unde ipsi nomen Saguntus.* Illa nec Colonia, nec Municipium, sed civium Romanorum oppidum perhibetur à Plinio lib. 3. cap. 3. distinguitur enim ab eo Colonia, & Urbs civium Romanorum. *Valentia Colonia, III. M. pass. à mari remota, flumen Turium, & tantumdem à mari Saguntum civium Romanorum oppidum, fide notabile.* Triremis in Sagunti & Valentiæ nummis earum in mari potentiam aut situm arguit, nec, ut videtur P. Harduino pag. 429. *Triremis ideo insculpta est, quod ex Zacyntho insula Colonia deducta sit.* Quod ipse P. Harduinus ex Patino, ut iste ex Ant. Augustino hausit. De *Sempronia* & *Valeria* gentibus abunde, ut de *Gemini* & *Suræ* cognominibus. *Gemini* cognomen à geminorum partu; *Suræ* verò à pilæ ludo dictum est.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 70. vulgatus, haud frequens est.

SEGOBRIGA.



TI. CAES. DIVI. AVG. F. AVG. IMP. VII. in aliis IMP. VIII. Caput Tiberii nudum.
SEGOBRIGA. In quercea.

Segobriga, urbs gemina Hispaniæ Tarraconensis, altera in Valentino regno ad Turulim fluvium, altera in regno Castellæ ad montis Orospedæ radices & Duratonam fluvium: hæc *Sepulveda* quibusdam;

busdam; illa *Cabezza del Griego*, aliis *Segorue*. Sed quæ Celtiberorum urbs, imò ipsorum caput à Plinio lib. 3. cap. 3. dicitur, & à Strabone lib. 3. p. 162. & à Ptolemæo lib. 2. c. 6. Numantiæ proxima ponitur, cùm inter urbes stipendiarias ab eodem Plinio recenseatur, ad eam nummi pertinere minimè videntur, sed potiùs ad alteram veteris Latii jure donatam, cui ut plurimis aliis Hispaniæ urbibus facultas cudendæ monetæ concessa. De utriusque Segobrigæ situ ambigitur, & non parva inter recentiores de ipsa contentio. Quercea corona ob cives servatos Tiberio dicata est cum titulo IMP. VII. quem sub Augusto meruerat ob vastatam cum Germanico Germaniam, paulò post Augusti mortem in Tiberii gloriam percussus est: nam IMP. VIII. deinde ab exercitu ob Cheruscos cum Arimino à Germanico devictos salutatus est, quamobrem nummus posterior signatus videtur.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ, ab Ant. Augustino dial. 7. & à Patino pag. 71. vulgatus, frequens & obvius est.

TARRACO.



TI. CAESAR. AVG. F. PONT. TR. P. XII. IMP. V. Caput Tiberii nudum.
C. V. T. T. *Colonia Victrix Togata Tarraco.* in laurea.

Tarraco, urbs Hispaniæ citerioris, de qua in Augusto, provinciæ caput, Tiberio nummum profert, in quo Tribunitiam ejus potestatem XII. cum titulo IMP. V. conjungit; ad cujus intelligentiam pauca quædam de Tribunitia potestate Tiberio ab Augusto concessa, sunt delibanda. Augustus Caium & Lucium à se adoptatos Imperio destinaverat; & licèt illum Consulem designasset, & huic sacerdotia contulisset, Tiberio tamen Tribunitiam potestatem communicavit anno U. C. 748. ante CHr. 6. ut narrat Dio l. 6. p. 554. Βεληθεὶς δὲ τρόπον τινὰ μᾶλλον αὐτοὺς σωφρονίσαι, τῷ Τιβερίῳ τήν τε ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν ἐς πέντε ἔτη ἔνειμε. *Ut verò aliqua ratione modestiores eos efficeret, Tiberio Tribunitiam potestatem in quinquennium concessit.* Tiberius inde ad res Orientis componendas missus, Rhodi substitit, ex qua anno U. C. 755. octavo abhinc anno Romam reversus est, ex Suetonio cap. 14. *Rediit octavo post secessum anno magnâ nec incertâ spe futurorum, quam & ostensis & prædictionibus ab initio ætatis conceperat.* Quod revera successit; nam Caio & Lucio mortuis anno 757. adoptatus est ab Augusto eodem anno, & VI. Tribunitiam potestatem abhinc numeravit, & deinceps ad XII. usque, qua P. Corn. Dolabellâ & C. Junio Silano Coss. in Germaniam anno U. C. 763. missus, eam depopulatus est, & Ariminum Quintilii Vari clade insolentem repressit, quamobrem ab exercitu Imperator V. proclamatus fuit, ut exhibet hic nummus. Tarraconenses ideo Tiberio gratulantes, lauream tanquam hostium victori percusserunt.

Hic nummus minimi moduli rarus & elegans habendus, sed primæ formæ rarissimus.



TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
C. V. T. *Colonia Victrix Tarraco.* in aliis C. V. T. T. *Colonia Victrix Togata Tarraco.* DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augusti radiatum.

Duo occurrunt nummi à Tarraconensibus percussi, uterque hinc Augustum, inde Tiberium profert: in altero caput Augusti laureatum; Tiberii verò nudum visitur; in hoc Tiberii effigies laureata, ex altera parte Augusti imago radiatâ coronâ insignis exhibetur. De priori in Augusto egimus; cùm ad illum pertineat ob Tiberii adoptionem; ideo Imperator inscribitur, & Tiberius Cæsaris tantùm nomen præfert: posterior autem, de quo nobis hîc sermo, ad Tiberium spectat ob Augusti consecrationem, de qua Dio lib. 56. pag. 600. Τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν, καὶ θιασώτας, οἱ καὶ ἱερὰ, ἱέρειάν τε τὴν Λιβίαν, Ἰουλίαν τε, τὴν καὶ Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην ἀπέδειξαν. *Tum verò eum inter immortales Deos indigitarunt, & Flamines cum sacris, & sacerdotem Liviam, quæ tunc Juliæ Augustæque cognomenta acceperat, constituerunt.* In cujus rei memoriam Tarraconenses ex una parte Augustum cum *Divi* titulo & corona radiata ornatum; & ex altera Tiberium ipsum ut Imperatorem laurea insignem exhibuere.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habetur.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.
C. V. T. DRVSVS GERMANICVS CAESARES. *Colonia Victrix Tarraco. Drusus Germanicus Cæsares.* Capita Drusi & Germanici adversa.

Tarraconenses Tiberio per filios Imperii æternitatem in Cæsarum familia augurantes, illum ex una parte, filios ex altera signaverunt, Drusum quidem ex sanguine ortum, Germanicum verò in adoptionem ipsi datum: sed Augustus antequam Germanicum daret Tiberio adoptandum, Germanicum Cæsarem sibi successorem nominare cogitaverat, ut tradit Suetonius in Caligula cap. 4. *Sic probatus & dilectus à suis ut Augustus, diu cunctatus an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit.* Sed Livia pro Tiberio id obtinuit, teste Tacito Ann. l. 4. *Nam dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romanæ imponere: sed precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit.* Sed nec Druso, nec Germanico Imperium cessit; uterque enim ante Tiberium violenta morte sublatus est.

Hic nummus mediocris moduli inter rarissimos numerandus.



TI. CAES. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. Caput Tiberii laureatum.
C. V. T. IVLIA. AVG. DRVSVS CAES. TRIB. POT. *Colonia Victrix Tarraco Julia Augusta. Drusus Cæsar Tribunitia potestate*, in aliis *iterum*. Capita Juliæ seu Liviæ, & Drusi Tiberii filii adversa.

Hunc nummum Tarraconenses Tiberio gratulantes cuderunt, quòd Imperii successorem Drusum filium Tribunitia potestate ipsi communicata designasset Tiberius anno U. C. 774. C. Sulpitio & D. Haterio Coss. de qua Tacitus Annal. lib. 3. *Famâ moderationis partâ, quòd ingruentes accusatores represserat, mittit litteras ad Senatum, quis potestatem Tribunitiam Druso petebat.* Idcirco Tarraconenses in posteriori parte Drusum ipsum signaverunt; sed Julia ex adverso ab iis videtur addita, lætantibus quòd pristinam sanitatem recuperasset; nam adversa valetudine hoc anno laboravit, quam ob rem Tiberius ad urbem festinavit, apud eundem Tacitum: *Sub idem tempus Juliæ Augustæ valetudo atrox, necessitudinem Principi fecit festinati in urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, sine occultis odiis.* Estque nummus hujus concordiæ argumentum. Supplicationes & ludi magni pro Juliæ salute decreti sunt.

Hic nummus mediocris moduli, apud Ant. Augustinum dial. 7. & Patinum pag. 73. vulgatus, inter rarissimos collocatur.




TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
C. V. T. T. AETERNITATIS AVGVSTAE. *Colonia Victrix Togata Tarraco. Æternitatis Augustæ.* Templum decem columnarum.

Tarraconensibus à Senatu fuisse permissum, ex Taciti Ann. l. 1. in Augusto diximus, ut ipsi templum post ejus apotheosim construerent, quod summâ magnificentiâ perfectum sub *Æternitatis Augustæ* titulo dedicarunt; & ut illius diuturnam memoriam conservarent, non modò ex una parte caput Augusti radiatum, *Divi*que nomine insignem, & ex altera hujus templi figuram in

nummis

nummis exhibuerunt; ſed Tiberium ejus ſucceſſorem ex una parte, & templum ipſum ex altera repræſentarunt. Spartianus Hadrianum hoc Auguſti delubrum reſtituiſſe tradit. *Tarracone hiemavit, ubi ſumptu ſuo ædem Auguſti reſtituit.*

Hic nummus primæ magnitudinis inter elegantiſſimos & rariſſimos numerandus.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. Caput Auguſti laureatum.
C. V. T. T. *Colonia Victrix Togata Tarraco.* Ara ſupra quam palma arbor.

Hiſtoriam enatæ palmæ ſuper aram à Tarraconenſibus Auguſto dicatam in ipſius nummis ex Quintiliano retulimus; cùm autem illi *Æternitatis Auguſtæ* templum Senatus Romani permiſſu condidiſſent, hanc aram ex palma Æternitatis ſymbolo in ea enata, tanquam alterum Auguſti æternitatis monumentum modò cum Auguſti capite radiato, modò cum Tiberii adoptivi ejus filii effigie exhibuerunt.

Hic nummus majoris moduli pro rariſſimo habendus.

TURIASO.



TI. CAESAR AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.
MVN. TVR. DIVVS AVGVSTVS. *Municipium Turiaſo.* Caput Auguſti radiatum.

Turiaſo, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis in Celtiberis, *Municipium* in nummis perhibetur; jus verò ſuffragii habuiſſe videtur, cùm Turiaſones inter populos civium Romanorum à Plinio lib. 3. cap. 3. numerentur. *Ex his civium Romanorum..... Turiaſones.* Hi Tiberio gratulantes, quòd Auguſtus inter Divos eſſet relatus, in averſa ejus nummi parte illius effigiem percuſſerunt.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino vulgatus pag. 66. inter raros collocatur.



MVN. TVR. DIVVS AVGVSTVS. *Municipium Turiaſo. Divus Auguſtus.* Figura capite radiato ſedens, dextrâ globum, ſiniſtrâ haſtam puram.

Statua illa ſedens, Auguſti eſt, quam Turiaſones ipſi poſt ejus apotheoſim poſuerunt: Auguſtus autem corona radiata divinitatis ſymbolo ornatus eſt; haſtam puram Deorum inſigne gerit; globum verò dextrâ, ut cum Jove cælum regens, teſte Manilio.

Cælumque replevit
Quòd regit Auguſtus ſocio per Signa Tonante.

Conſecrationis decernendæ honos penes Senatum erat: quo autem ritu, & quibus cæremoniis Imperatores ab eo inter Divos reponerentur, lege Comm. Onuphrii in 2. Faſt. lib.

Hic nummus majoris moduli elegantiſſimus & rariſſimus eſt.



TI. CAESAR AVGVSTVS. P. M. Caput Tiberii laureatum.
MVN. TVR. M. ANT. MVSO. C. MARI. VEGETO. II. VIR. *Municipium Turiaso. Marco Antonio Muso, Caio Mario Vegeto Duumviris.* Bos.

Bos, solemne est Municipiorum symbolum. De *Antonia* gente dictum est. *Maria* gens, plebeia quidem, sed consularis. De prioris Duumviri cognomine *Musus* nulla mentio; alter verò *Vegetus*, à bono animi seu corporis habitu dictus, cujus cognominis mentio apud Gruter. pag. 351. 6.

ALLIO VEGETO FRATRI
MEMMIAE VXORI OPTIMAE.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro adscribendus.



TI. CAESAR AVG. F. IMP. PONT. M. Caput Tiberii laureatum.
MVN. TVR. L. CAEC. AQVIN. M. CEL. PALVD. II. VIR. *Municipium Turiaso. Lucio Cæcilio Aquino, Marco Celio Paludato Duumviris.* Bos.

Ant. Augustinus Dial. 7. legit perperam L. CAEC. AQVINI. M. GEL. PAL. VAL. *Lucio Cæcilio Aquiniano, Mario Gellio Palatino Valeriano*; sed cum Seguino & Mediobarbo legendum ut suprà.

Bos iterum, ut in sequentibus nummis, pro Municipiorum insigni ponitur. *Cæcilia* gens, plebeia, à Cæcade Æneæ comite; à Cæculo autem qui condidit Præneste, Festus. De *Aquini* cognomine vide Seguinum edit. 2. pag 90. *Celia, Cælia & Cœlia*, eadem videtur, plebeia pariter, sed consularis. *Paludatus* cognomen ab ornamento militari, quod Tarquinium à Thuscis devictis sumpsisse refert Florus lib. 1.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino vulgatus pag. 66. nec rarus nec obvius est.



TI. CAESAR AVGVST. F. IMP. VII. Caput Tiberii laureatum.
MVN. TVR. C. CAEC. SERE. M. VAL. QVAD. II. VIR. *Municipium Turiaso. Caio Cæcilio Sereno, Marco Valerio Quadrato Duumviris.* Bos.

Hic nummus cum IMP. VII. epigraphe circa caput Tiberii laureatum, illum novissimo ejus principatu cusum arguit: hunc enim titulum vivente Augusto ob vastatam Germaniam & Ariminum repressum obtinuerat. De *Cæcilia* gente habes in superiori nummo. *Serenus* cognomen à serendo dictum volunt, quòd id maximè tempus sationi aptum sit. *Valeria* gens in patricias & plebeias divisa; cognomen à corporis habitu mediocri; quod neque nimiùm procerum est, neque nimiùm humile, sed medio quodam temperamento decorum.

Hic nummus mediocris moduli non obvius est.



TI. CAESAR AVG. F. IMP. PONT. M. Caput Tiberii laureatum.

MVN. TVR. M. PONT. MARSO. C. MARI. VEGETO. II. VIR. *Municipium Turiaso. Marco Pontio Marso, Caio Mario Vegeto Duumviris.* Bos.

Frequentes sunt Turiasonum nummi Tiberio percussi, in quibus haud mediocris eorum diligentia in Duumvirorum nominibus describendis observatur. Superior autem nummus C. Marium Vegetum cum M. Antonio Muso Duumviros simul retulit; hic eundem C. Marium Vegetum cum M. Pontio Marso exhibet; alter in magistratu mortuus est, vel alter subinde suffectus videtur. De *Maria* gente & *Vegeti* cognomine suprà dictum est. *Pontia*, an patricia, an plebeia, incertum; sed consularis. Pontius Nigrinus sub Tiberio Consul anno U.C. 790. recensetur. *Marsus*, ex Marsorum Italiæ gente ortus; Vibius Marsus, Germani Legatus, apud Tacitum perhibetur.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.



TI. CAESAR AVG. F. AVGVSTVS IMP. VIII. Caput Tiberii laureatum.

MVN. TVRIASO. MA. SVLP. LVCAN. M. SEMP. FRONT. *Municipium Turiaso. Manio Sulpitio Lucano, Marco Sempronio Frontone* circa coronam querceam, in qua II. VIR. *Duumviris.*

Hic nummus Imperatoris VIII. titulum præfert, qui Tiberio ob Cheruscos unà cum Arimino à Germanico devictos delatus est: qua de re Tacitus Annal. lib. 2. *Miles in loco prælii Tiberium Imperatorem salutavit, struxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, imposuit.* Germanico autem mortuo Tiberius nullum ampliùs Imperatoris titulum consequutus est, ex Suetonio cap. 37. *Hostiles motus, nullâ postea expeditione susceptâ, per Legatos compescuit.* Corona quercea fuit Imperatori ob cives in hoc Germanico bello servatos dicata. *Sulpicia* gens, patricia. *Lucanus* cognomen plurimis familiis vulgare, an ex populis Italiæ Lucanis? *Sempronia*, patricia primùm, deinde ad plebem traducta, plebeia facta est. *Frontò* à fronte dictus.

Hic nummus mediocris moduli inter raros numeratur.



TI. CAESAR AVGVST. F. IMP. Caput Tiberii laureatum.

MVN. TVRIASO. Q. VAR. Q. PONT. PLA. *Municipium Turiaso. Quinto Varo* aut *Vario, Quinto Poncio Planco* circa lauream, in qua AED. *Ædilibus.*

Nummos ab Ædilibus in Calaguritano Municipio percussos jam vulgavimus. Ædilitas inter minores magistratus quotannis creandos recensebatur; hic ad summum honoris fastigium primus in urbe gradus erat, ex Cicerone lib. 3. de Leg. *Olleis. que. ad. honoris. amplioris. gradum. is. primus. adscensus. esto.* Nam illius munificentia plerumque viam muniebat ad Præturam & Consulatum; Ædilibus autem erat togæ prætextatæ, sellæ curulis, juris imaginum honos. *Varus* prioris Duumviri vel est cognomen, Romanis valde frequens; vel est *Varius* gentis nomen, cujus familia plebeia. Q. Varius Sucronensis Hispanus, cognominatus est Hybrida, propter jus civitatis. *Pontius*, alter Turiasonis Duumvir, in nummo anteriori prodiit, cognomine *Marsus*, ex eadem ut videtur familia; hic verò *Plancus*. Dicti sunt autem *Planci*, qui supra modum pedibus plani sunt, id est qui pedes imos graciles habent planosque æqualiter, quasi tabellas quæ plancæ vocantur.

Hic nummus minimæ formæ inter raros reponendus.



TI. CAESAR. AVG. F. IMP. PON. Caput Tiberii laureatum.
TVRIASO in area. RECTO ET MACRINO AED. circa ambitum.

Nummus hic cudendæ monetæ penes Ædiles in Municipiis ut Romæ monumentum eſt, ideo Turiaſones Ædilium nomina tantùm in muneris editi memoriam inſcripſerunt; quo functi Ædilitii vocabantur, ut qui Conſulatum geſſit, Conſularis; & Duumviratum, Duumviralis. *Rectus* & *Macrinus* Ædilium cognomina ſunt, quorum familiæ ignorantur. *Rectus* quidem à bonis moribus dictus: *Macrinus* verò idem videtur quod *Macer*, à tenui corporis habitu.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.

U T I C A.



TI. CAES. DIVI AVG. F. AVG. IMP. VII. Caput Tiberii laureatum.
M. MVN. IVL. VTICEN. *Municipes Municipii Julii Uticenſis.* In area verò D. D. P. P. *Decuriones poſuere.* Figura muliebris velata ſedens, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam puram.

Hic nummus ad Uticam provinciæ Africæ urbem littoralem ſpectat, cujus voces M. MVN. IVL. VTICEN. interpretamur, *Municipes Municipii Julii Uticenſis:* legitur enim in epigraphe antiqua alterius Municipii Numidiæ apud Grut. pag. 302. 1.

MVNICIPES MVNICIPI. T. AELII HADRIANI AVG. CIVILITANI.

Utica in nummis Municipii dignitate ornatur, quod confirmat A. Gellius l. 16. c. 12. in Orat. quam D. Hadrianus in Senatu de Italicenſibus Municipibus habuit: *Mirarique ſe oſtendit, quòd & ipſi Italicenſes, & quædam alia Municipia antiqua, in quibus Uticenſes nominat, cùm ſuis moribus legibuſque uti poſſent, in jus Coloniarum mutari geſtiverint.* Cognomen *Julium*, à Julio Municipium factum arguit, in mercedem, quòd ipſi Uticæ in bello civili contra Pompeium faviſſet, ut innuit Dio cap. 43. pag. 212. Καὶ ὁ μὲν ἐκ τούτου τήν τε Οὐτικὴν, ὑποπτευθεῖσαν τὰ τοῦ Καίσαρος φρονεῖν, καὶ ὀλίγου, καὶ ἀνάστατον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐπὶ τούτῳ γενομένην. *Deinde cùm Utica in ſuſpicionem veniſſet, quòd Cæſaris rebus cuperet, parumque abeſſet, quin reliqui eam ob id everterent.* Uticenſes Cæſar ipſe amiciſſimos vocat Comm. de Bell. civ. l. 2. *Uticenſes verò pro quibuſdam Cæſaris in ſe beneficiis illi amiciſſimi.* Et Hirtius de Bell. Afric. devictis Scipione, Juba Rege, & aliis Pompeii fautoribus ait: *Illis gratias egiſſe, circiterque noctem luminibus accenſis Uticam pervenit, atque extra oppidum ea nocte manſit, poſtero die mane oppidum introiit, concioneque advocata, Uticenſes incolas cohortatus, gratias pro eorum ſtudio erga ſe agit.* Nummus Uticam deinde Municipium conſtituiſſe nos docet, ſed ſine ſuffragio, ut videtur, cùm Dio Auguſtum illis, poſtquam Lepido Triumviratus principatum ademiſſet, receptâ Africâ anno U. C. 718. civitatem dediſſe tradat lib. 49. pag. 401. Καὶ τοὺς Οὐτικησίους, πολίτας ἐποιήσατο. *Uticenſibus civitatem dedit.*

A quo Utica Municipii titulum acceperit, magna eſt inter viros eruditione ſingulares Illuſtr. Spanhemium, & P. Noriſium contentio: ille Diſſert. 9. pag. 768. Municipium eam à Julio Cæſare ex *Julii* nomine; hic vero Cenot. Piſ. pag. 23. ab Auguſto conſtitutam tradit, Dionis verbis fretus, *Uticenſibus civitatem dedit.* *Julii* nomen, Julii Municipium indicat. Municipium Utica ſine ſuffragio à Julio conſtituta, ab Auguſto jus civitatis accepit, id eſt, pleno jure Uticenſes, Romani cives cum ſuffragio facti ſunt; ſed cùm urbes de immunitatum antiquitate plerumque diſceptarent, prioris fundatoris nomen conſervare ſolebant. D. D. P. P. *Decuriones poſuere*, de ſtatua Liviæ ſeu Juliæ, de qua mox dicturi, intelligendi ſunt.

Hic nummus minimi moduli in Theſauro Regio, inter rariſſimos adſcribendus.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. IMP. VIII. Caput Tiberii ſine laurea.

C. VIB. MARSO. PR. COS. NE. in aliis NER. CAE. Q. PR. A. M. GEMELLVS. F. C. *Caio Vibio Marſo Proconſule, Nerone Cæſare Quæſtore Provinciali, Aulus Memmius Gemellus fieri curavit.* Figura muliebris velata ſedens, dextrâ pateram, lævâ haſtam, in area D. D. P. P. *Decuriones poſuerunt.*

Ad Uticam pertinet nummus, etſi nomen urbis deſit. Figura ſedens, ſtatua eſt Liviæ ſeu Juliæ, quemadmodum in ſuperiore nummo, ab Uticenſibus decreto Decurionum publicè poſita. Uticenſes, ut Tiberio gratularentur, matris Auguſtæ ſtatuam dedicarunt: plurimi enim illi primis Tiberii imperii temporibus delati ſunt honores, teſte Dione lib. 57. pag. 609. Αἵ τε ἐπιστολαὶ αἱ τοῦ Τιβερίου, καὶ τὸ ἐκείνης ὄνομα χρόνον τινὰ ἔσχον, καὶ ἐγράφετο ἀμφοῖν ὁμοίως. *Quinetiam epiſtolis Tiberii, nomen matris aliquandiu adſcriptum fuit, litteræque ad Tiberium datæ, Liviæ etiam inſcribebantur.* Cùm antè pag. 600. dixiſſet: Προσέθηκα δὲ τὸ τῆς Λιουΐας ὄνομα, ὅτι καὶ αὐτὴ τῶν πραγμάτων, ὡς καὶ αὐταρχοῦσα ἀντεποιεῖτο. *Liviæ porrò nomen addidi, quòd ipſa etiam, quaſi Imperatrix, rebus ſeſe ingeſſit.* Qua de re Uticenſes ſtatuam publicam, C. Vibio Marſo Proconſule, & Nerone Cæſare Quæſtore provinciæ, Juliæ dedicarunt: ſed cùm tres annos Vibium Marſum Africæ ex ſequentibus nummis præfuiſſe docemur, de ipſius in hac provincia Proconſulatu, & Neronis ſub eo Quæſtura inquirendum videtur.

C. Vibius Marſus Germanici Legatus fuit, cùm hic in Syria anno U. C. 771. mortuus eſt, ut innuit Tacitus Annal. lib. 2. *Conſultatum inde inter Legatos, quique alii Senatorum aderant, quiſnam Syriæ præficeretur, & cæteris modicè niſis inter Vibium Marſum & Cn. Sentium diu quæſitum, dein Marſus ſeniori & acriùs tendenti Sentio conceſſit.* L. Apronius in Proconſulatu Africæ jam anno præcedenti M. Furio Camillo, qui Numidas duce Tacfarinate ſubegerat, ex Tacito, ſucceſſit anno U. C. 772. L. Apronius contra Numidas felici prælio pugnavit, & in fugam eos vertit anno 773. Mota rurſus Africa incurſu Tacfarinatis, C. Junius Blæſus Apronio ſucceſſit anno 774. Blæſus prorogatâ ſibi provinciâ Tacfarinatem fratre ejus capto profligavit anno 775. Tiberius Druſo filio mortuo, Neronem & Druſum Senatui hoc ipſomet anno commendavit, apud eundem Hiſtoricum: *Hi vobis, Nero & Druſe, parentum loco, ita nati eſtis, ut bona malaque veſtra ad Rempublicam pertineant.* Anno 776. Dolabella Proconſul Africam ſortitus, bellum Numidicum confecit: illam per tres annos adminiſtraſſe videtur; cùm Vibius Marſus anno 778. in cauſa Smyrnæorum ſententiam in Senatu dixerit, ex eodem Tacito: *Cenſuitque Vibius Marſus, ut Marco Lepido, cui ea provincia obvenerat, ſuper numerum legaretur qui templi curam ſuſciperet.* Anno autem 779. Marſus, ut opinamur, Africam obtinuit, & Quæſtores anno primo Neronem & Druſum Cæſares habuit.

Cùm ſors & conjunctio ejuſdem provinciæ neceſſitudinem quandam afferret, Nero Cæſar Quæſtor Caii Vibii patris Germanici Legati factus eſſe videtur; cujus honoris causâ moti Uticenſes, ejus Quæſturæ in nummis meminerunt, NE. CA. Q. PR. *Nerone Cæſare Quæſtore Provinciali,* Ita Fulv. Urſinus circa Antonii caput in nummo Fam. Valeriæ M. BARBAT. Q. P. *Marco Barbato Quæſtore Provinciali.* Duumvir, cùm per prænominis A. tantùm, & nominis M. initiales litteras inſcribatur, A. *Aulum*, quòd familiarum prænomen peculiare ſit, interpretati ſumus; & M. *Memmium*, quòd hoc cognomen Memmiæ genti vulgare. M. autem Memmius Gemellus Prætor anno U. C. 695. perhibetur; ſi quidem ad aliam revocent familiam per M. inchoatam, nos repugnantes non habebunt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis è muſeo noſtro, inter elegantiores collocandus.



TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VIII. Caput Tiberii nudum.

C. VIB. MARSO. PR. COS. DR. CAE. Q. PR. T. C. RVFVS. F. C. In area, D. D. P. P. *Caio Vibio Marſo Proconſule, Druſo Cæſare Quæſtore Provinciali, Titus Cæcilius Rufus fieri curavit. Decuriones poſuere.* Figura muliebris ſedens ut ſuprà.

Hujus nummi interpretationem Angelonus pag. 28. edit. 2. audacior Patino, qui eam p. 66. præteriit, aggreſſus eſt, *Caio Vibio Marſo Proconſule, Druſo Cæſare Quæſtore Populi Romani,*

Titus

Titus Crispinus Rufus fieri curavit, decreto Decurionum Populi Patrensis. Etsi rem integram V. Cl. non attigerit, laudandus tamen ejus conatus. Drusum Cæsarem *Quæstorem Populi Romani*, pro *Quæstore Provinciali* nominat. Quæstoris dignitas, primus erat honoris gradus, deinde Ædilitas, postea Prætura, denique Consulatus, amplissimus magistratus. Quæstores erant quidem Urbani, & Provinciales; sed Drusus Quæstor erat Marsi Africæ Proconsulis, ideo Quæstor Provincialis in nummo renuntiatur. Utriusque Quæstoris, Urbani & Provincialis, memoria in nummis occurrit, Urbani quidem in gente Neria apud Fulv. Ursinum, NERI. Q. VRB. *Nerius Quæstor Urbanus*: Provincialis verò in Valeria circa caput Antonii, M. BARBAT. Q. P. *Marcus Barbatus Quæstor Provincialis.*

Vibium Marsum Africæ Proconsulem anno U. C. 779. CHrist. 26. obtinuisse, & Neronem Cæsarem ejus Quæstorem factum, ex superiori nummo novimus: hic verò Drusi ejus fratris Quæsturam in primo Vibii Marsi Proconsulatus anno exhibet; sed cur Duo Quæstores sub eodem Proconsule, quod licitum narrat Dio lib. 53. pag. 505. Ἕνα μὲν οἱ ἐστρατηγηκότες καὶ ἐκ τῶν ὁμοίων σφίσιν, ἢ καὶ τῶν ὑποδεεστέρων· τρεῖς δὲ οἱ ὑπατευκότες ἐκ τῶν ὁμοτίμων, οὓς ἂν καὶ ὁ Αὐτοκράτωρ δοκιμάσῃ. *Unicum quidem Prætorius ex sui aut inferioris ordinis hominibus: tres autem Consularis ex ejusdem dignitatis jure accipit, qui ipsi Imperatori probentur.* Eosdem Druso, quos fratri Neroni honores à Senatu decretos tradit Tacitus Annal. lib. 4. *Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit, quæque fratri ejus Neroni decreverat Senatus, addita.* Uticenses autem, ut Neronis Quæsturam honoris causâ per Cæcilium Gemellum in nummis consignarunt, in hoc etiam Drusi fratris dignitatem curante Cæcilio Rufo notaverunt. Obiter verò notandum, quòd Angelonus Titum hunc Rufum, Crispinum pro Cæcilio appellat, non animadvertens V. Cl. Crispinum & Rufum duo esse cognomina.

Litteræ F. C. inscriptionis circa ambitum residuæ, *fieri curavit*, interpretati sumus, ut similes in hoc M. Antonii nummo, M. OPPIVS CAPITO PRAEF. CLAS. F. C. & in altero, L. ATRATINVS PRAEF. CLAS. F. C. Cæteræ in area voces DD. PP. apud Antiquarios, *Decuriones posuere*, explicari solent, quas perperam Angelonus *Decreto Decurionum Populi Patrensis* reddidit; quem sequutus est Sert. Ursatus de Not. Rom. p. 133. Patinus verò p. 66. inquit: *Quid significent duplex* DD. *decreto Decurionum conjiciunt, sed duplici* PP. *nihil tribuunt.*

Hic nummus mediocris moduli inter rariores adscribendus.



M. M. I. V. C. VIB. MARSO PR. COS. II. L. CAECILIVS. PIVS. II. V. *Municipes Municipii Julii Uticensis, Caio Vibio Marso Proconsule secundùm, Lucius Cæcilius Pius Duumvir.* Figura velata sedens ut suprà.

Primus Uticensium nummus hanc M. MVN. IVL. VTICEN. epigraphen præfert, quam *Municipes Municipii Julii Uticensis* interpretati sumus: hic eandem per litteras initiales exhibet, cum eadem Juliæ statua, ut in illo nummo signata; sed hic secundum C. Vibii Marsi Proconsulatus annum denotat, de quo altum est apud historiæ scriptores silentium, præsertim cùm Africa hoc tempore omnino esset pacata. De *Cæcilia* gente dictum est. *Pius* cognomen huic familiæ vulgare fuit, quod obtinuit Q. Metellus Numidici F. teste Val. Maximo lib. 5. cap. 2. quia patrem lacrymis & precibus assiduis ab exilio revocaverat.

Hic nummus mediæ formæ pro raro notandus.



M. M. I. V. C. VIBIO MARSO. PR. COS. II. SEX. TADIVS. FAVSTVS. II. VIR. *Municipes Municipii Julii Uticensis. Caio Vibio Marso Proconsule secundùm, Sextus Tadius Faustus Duumvir.* Figura muliebris velata, ut suprà.

Apud Mediobarbum pag. 70. pro S. IVNIVS FAVSTVS repone SEX. TADIVS FAVSTVS. En alterum Vibii Marsi Proconsulatus anni secundi monumentum; Sextus Tadius Uticæ Duumvir, vel ad Vibii Marsi benevolentiam sibi conciliandam, illius nomen in nummo apposuit, vel ut nummum Proconsulis permissu signatum indicaret: nam Africæ Proconsules ejusmodi facultatem concessisse, ex Apronii & Dolabellæ nummis infrà describendis docemur. Interim observandum, in

in Uticensium nummis Duumvirorum nomina non simul sociata reperiri, sed quemque seorsim nummum percutere. *Sextus*, à numero dictus. *Tadia* gens, an patricia vel plebeia, incertum est. Q. & P. Tadii citantur à Cicerone in Verr. Sex. Tadius, Sex. F. Legatus Propr. Africæ memoratur à Grutero pag. 471. 6. *Faustus*, cognomen à favore dictum scribit Valerius.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter raros asservandus.




C. VIBIO MARSO PR. COS. III. C. CASSIVS FELIX. A. II. VIR. DD. PP. *Caio Vibio Marso Proconsule tertium, Caius Cassius Felix, Augur* vel *Augustalis, Duumvir. Decuriones posuere.* Statua Liviæ sedentis ut suprà.

Nummus Vibio Marso Africæ Proconsulatum ad tertium annum fuisse prorogatum nos edocet; sed an postea Vibius Marsus sub Claudio Syriæ Præses extiterit, aut alius hujus nominis à Tacito memoratus, non omnino liquet. *Vibia* gens, plebeia, sed consularis, in plurimas stirpes distincta; à Vibone Brutiorum oppido nomen accepisse quidam autumant. *Marsus* cognomen à Marsis Italiæ populis, illudque Octaviis & Domitiis commune. Duumvir, sub quo cusus est nummus, Caius Cassius Felix A. appellabatur. *Cassia* gens in patricias & plebeias divisa est. *Felix*, cognomen à fortuna. C. Cassius Felix memoratur à Grutero pag. 240. Littera A. vel *Augur*, vel *Augustalis* explicari potest; uterque in Municipiis & Coloniis perhibetur, ut patet ex sequentibus inscriptionibus: tota autem Colonia, ut placet M. Velsero Rer. Aug. Vindel. lib. 5. Decurionibus, Augustalibus, & Colonicis constabat.

L. OCTAVIO. L. F. CAM.
RVFO. TRIB. MIL. LEG. IIII.
SCYTHICÆ. PRAEF. FAB.
BIS. DVOMVIRO. QVINQ. EX
S. C. ET. D. D. AVGVRI. EX. D. D.
CREATO.
QVI. LAVATIONEM. GRATVITAM
MVNICIP. INCOLEIS.
Grut. p. 444. 7.

FAVSTVS
VI. VIR. ET. AVGVST.
QVI. INTER. PRIMOS
AVGVSTALES
A. DECVRIONIBVS
AVGVSTALIS FACTVS EST
VIRIAE MAXIMAE
VXORI CARISSIMAE.
Grut. p. 419. 5.

Hic nummus mediocris moduli pro raro numeratur.



C. VIBIO MARSO PR. COS. III. C. CAELIVS. TAX. AV. II. VIR. DD. PP. *Caio Vibio Marso Proconsule tertium, Caius Cælius Taxillus Augur* vel *Augustalis, Duumvir. Decuriones posuere.* Figura velata sedens ut suprà.

Cùm Vibius Marsus Africæ Proconsul tertiùm in nummo perhibeatur, nos aliquot dubium movet, an ille forte Africam habuerit, & triennio Senatus auctoritate Proconsulatum gesserit, præsertim cùm nullius belli tunc in Africa sit mentio: illa quidem Consularis erat provincia ab Augusto Senatui Populoque concessa, cujus annua erat Præfectura, & quam ante quintum annum à gesto in Urbe magistratu inire non erat licitum; sed Augusti decreta paulatim imminuta & mutata sunt: Tacitusque Annal. lib. 3. narrat Junium Blæsum Sejani avunculum, Africæ Proconsulem à Tiberio datum fuisse. *Et de Africa decretum ut Cæsar legeret, cui mandata foret.* Et paulò pòst: *M. Lepidum & Junium Blæsum nominavit; ex queis Proconsul Africæ legeretur.* Sed nec ille Blæsus, nec Marsus in Fastis Consules renuntiantur; an verò illi suffecti fuerint, & ideo omissi? Caius Cælius, qui tertio Proconsulatus Vibii Marsi anno, ut in superiori nummo Cassius Felix Duumvir etiam perhibetur, aut ejus collega, aut alter alteri suffectus est. *Cælia* gens, plebeia, sed consularis. *Taxillus* à tali vitio, ut *axilla* ab ala. *Augur* vel *Augustalis* ut superior Duumvir.

Hic nummus secundæ magnitudinis, in Cimelio Ducis Cænomanensium, inter elegantiores numerandus.



M. M. I. V. C. VIBIO MARSO PR. COS. III. C. SALVSTIVS IVSTVS II. VIR. *Municipes Municipii Julii Uticensis, Caio Vibio Marso Proconsule tertium, Caius Salustius Justus Duumvir.* Eadem figura sedens.

Apud Patinum pag. 66. pro C. SALLVS RVSIVS, repone C. SALVSTIVS IVSTVS, ut apud Mediobarbum pag. 70.

Uticenses in nummis modò litteras initiales M. M. I. V. urbem suam indicantes, modò has DD. PP. ad statuam Liviæ spectantes signarunt. De illis cùm ambigeret Patinus, hæc ait : *Quid significent duplex* DD. *decreto Decurionum conjiciunt ; sed duplici* P. P. M. M. *&* I. V. *nihil tribuunt, sicut inscriptionis parti.* P. Harduinus pag. 515. nummi explicationem hoc modo aggressus est : C. VIBIO MARSO PR. COS. III. M. M. I. V. *nummus apud Patinum, cujus ille notas expedire se minimè posse profitetur, nos sic interpretamur, Caio Vibio Marso Proconsule tertium Municipes Juliæ Valentiæ.* Sed nummus ad Municipium Uticense, ut Vir pereruditus alterum Tiberii pag. 519. revocat, & non ad Coloniam Valentiam, pertinet.

Caius Salustius Justus Duumvir etiam in tertio Vibii Marsi Proconsulatus anno nominatur, ita ut tres eodem anno reperiantur ; sed uno ex Duumviris mortuo, alter ipsi videtur suffectus, vel non idem Proconsulatus ac Duumvirorum magistratus initium fuit : Duumviri enim media anni Proconsulatus parte Duumviratum perficere ; & alii duo alterum perficere potuerunt, & sic non modò tres, sed quatuor Duumviri prodibunt. *Salustia* gens, à sale sive à salute derivata. *Justus,* cognomen à probitate.

Hic nummus mediocris moduli pro raro habendus.

INCERTA.



TI. CAESAR. AVG. F. Caput Tiberii sine laurea.

L. A. FAVSTVS. D. C. BASSVS. II. VIR. DD. PP. *Lucius Antistius Faustus, Decimus Cæcilius Bassus Duumviri. Decuriones posuere.* Statua sedens ut suprà.

Uticensibus nummum hunc tribuere nobis non placuit, etsi litteræ DD. PP. in illis exhibeantur, cùm aliis Coloniis convenire possint, & similis Liviæ statua in sequentibus nummis signata sit, adde quod Uticensium Duumviri simul non renunciantur. Ad *Antistiam* gentem priorem Duumvirum revocavimus, licèt pleraque familiarum nomina per litteram A inchoantia, ad alias spectare non negemus, sed id suasit Lucius Antistius Faustus apud Gruterum citatus ex basi Romæ eruta, pag. 241. Alterum vero Duumvirum ad *Cæciliam* retulimus potiùs quàm ad aliam gentem per C incipientem, quia illa in superiori Uticensium nummo inter Duumviros recensetur. *Faustus* cognomen ut Felix à fortuna dictum videtur. *Decimus* autem à numero.

Hic nummus minimæ formæ nec rarus nec obvius est.



Caput Tiberii nudum sine epigraphe.

P. S. S. C. C. LOLLI. M. DOM. II. VIR. *Posuere Suffetes Carthaginenses. Caius Lollius, M. Domitius Duumviri.* Statua Liviæ sedentis velatæ, dextrâ pateram, lævâ hastam puram, ut in superioribus.

Alterum jam nummum sub C. Lollio & M. Domitio Duumviris percussum cum iisdem litteris P. S S. C. & simulacro Augusti supra basim stante, inter incerta Augusti numismata retulimus ; hic verò

verò Liviæ ſedentis ſtatuam exhibet : ſed cùm nulla in his nummis circa caput epigraphe Auguſtum vel Tiberium certò denominet, uterque nummulus forſan Tiberium ob naſi in hoc eminentiam repræſentat, præſertim quia Lollius & Domitius in hoc ſimpliciter Duumviri appellantur, & in altero inter Incerta Auguſti deſcripto, ipſi Duumviri iterum dicti ſunt, ita ut in primo magiſtratu Liviæ ſtatuam, in ſecundo autem Tiberii ſimulacrum publicè poſitum in nummis ſignarint. Notas P. SS. C. *Poſuere Suffetes Carthaginenſes* interpretati ſumus. Suffetes autem, ſummi apud Carthaginem fuere Magiſtratus, non diſſimiles Conſulibus, de quibus loquentem audias Livium Decad. lib. 4. *Senatum itaque Suffetes, quod velut Conſulare imperium apud eos erat, vocaverunt.* Itaque Suffetes, *Sophetim*, id eſt *Judices*, vocantur ab Hebræis ſummi Magiſtratus, quos Judæorum Rempublicam adminiſtraſſe legimus à morte Joſuæ uſque ad Reges electos. *Lollia* & *Domitia* gens, utraque plebeia.

Hic nummulus inter raros & elegantes numeratur.



TI. CAE. DIVI. AVG. F. AVGVST. COS. IIII. Caput Tiberii nudum.
PERMIS. P. DOLABELLAE. PROCOS. C. P....... *Permiſſu Publii Dolabellæ Proconſulis......* Figura muliebris velàta ſedens cum pàtera & haſta, ut ſuprà.

Nùmmus hic in extrema inſcriptionis parte detritus, urbis nomen in qua cuſus erat, forſan gerebat, ſignatum tamen in Africa P Dolabellæ dignitas arguit : ille enim Proconſul ejus provinciæ anno U. C. 776. Junio Blæſo ſucceſſit, ex Tacito Annal. 4. *Quia Cæſar poſt res à Blæſo geſtas, quaſi nullis jam in Africa hoſtibus, reportari nonam Legionem juſſerat, nec Proconſul ejus anni P. Dolabella retinere auſus eſt.* Dolabella ex Corneliorum gente Conſulatum iniit anno U. C. 762. cum Junio Silano ſub Auguſto, apud Tacitum & Dionem; quod confirmat inſcriptio vetus in arcu Tiburtino Aquæductus Cælii montis.

P. CORNELIVS P. F. DOLABELLA COSS.
C. IVNIVS. C. F. SILANVS FLAMEN MARTIALIS
EX S. C.
FACIVNDVM CVRAVERVNT. IDEMQVE PROBAVERVNT.

Is Tiberii Legatus Proprætore fuit in Dalmatia, etiamſi hæc provincia Populo Romano fuiſſet ab Auguſto conceſſa : nam, ut rectè ait Dio lib. 55. pag. 505. Ἐπειδὴ τινὲς αὐτῶν οὐ καλῶς ἦρχον, τῷ αὐτοκράτορι καὶ ἐκεῖνα προσετέθησαν. *Cùm nonnulli eorum malè geſſiſſent magiſtratum ſuum, Imperatori iſtæ quoque provinciæ ſunt adjectæ.* Vetus apud Sponium Inſcriptio pag. 181. Jaderæ in Dalmatia reperta Dolabellam anno U. C. 772. hanc provinciam adminiſtraſſe nos docet, cùm Tiberius eſſet deſignatus Conſul IIII.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F.
AVGVST. IMP. PONTIF. MAX.
TRIB. POTEST. XX. COS. III.
DESIGNAT. IIII. LEG. XI.
P. CORNELIO DOLABELLA
LEG. PROPR.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariſſimos collocandus.

DRUSUS CÆSAR.




RUSUS Tiberii ex Vipſania Agrippina filius, à patre Tribunitiam poteſtatem adeptus, Anagniam & Calagnam Colonias ex Municipiis, teſte Frontino lib. de Coloniis, conſtituit. *Anagnia muro ducta Colonia juſſu Druſi Cæſaris, populus deduxit.* Et paulò pòſt: *Calagna muro ducta Colonia, juſſu Druſi Cæſaris, populus deduxit.* Utraque Italiæ urbs nullos Imperatoribus nummos percuſſit.

DRUSI *nummi primæ magnitudinis non obſervantur; ſecundæ & tertiæ formæ, raritatis eximiæ ſunt & elegantiæ.*

ITALICA.



DRVSVS CAESAR TI. AVG. F. Caput Druſi nudum.

MVNIC. ITALIC. PER. AVG. *Municipium Italica* vel *Italicenſe, permiſſu Auguſti.* Aquila legionaria, & vexillum inter duo ſigna militaria.

Italica, urbs Hiſpaniæ Bæticæ, de qua in Auguſto, Livia & Tiberio dictum eſt, Trajani & Hadriani Imperatorum, ut & Silii Poëtæ natalibus illuſtris, à Scipione pro militibus vulneribus debilibus condita eſt, nomenque tulit *Italicæ* ab Italia, Municipii titulo urbs poſtea donata eſt; ſed cùm ob bella civibus eſſet exhauſta, novis ab Auguſto frequentata videtur, Veteranis Legionum, quarum nomina hactenus ignorantur, in eam tranſmiſſis; cujus rei memores Italicenſes, aram *Providentiæ Auguſti* poſt ejus mortem erexerunt. Duumviri autem qui hunc Druſo nummum percuſſerunt, ſigna hæc militaria ad originem ſuam indicandam cælari curaverunt. Interim obſervandum, cudendæ monetæ facultatem ipſis ab Auguſto conceſſam, in omnibus Italicæ nummis eſſe his notis PER. aut PERM. AVG. deſignatam.

Hic nummus ad ſecundam formam accedens, è muſeo noſtro, eximiæ raritatis & elegantiæ cenſendus.

INCERTA.



DRVSO CAESARI. Caput Druſi nudum.

PERMISSV L. APRONI. PROCOS. III. *Permiſſu Lucii Apronii Proconſulis tertiùm.* Caput Mercurii petaſo ornatum, pone quod caduceus.

Nummum hunc in Africa provincia percuſſum arguit ejus inſcriptio, *Permiſſu L. Apronii Proconſulis*: is enim in Africæ Proconſulatu Marco Camillo ſucceſſit, teſte Tacito Annal. 3. *Quæ poſtquam L. Apronio (nam Camillo ſucceſſerat) comperta.* Sed cùm illum ex nummo per tres annos Africam adminiſtraſſe noſcamus, de illius geſtis inquirendum. L. Apronius ſub Auguſto anno U. C. 760. Conſul ſuffectus cum A. Vibio Habito, à Pighio Ann. lib. 18. ex Tabulæ Capitolinæ fragmento renuntiatur, deinde anno 766. Germanici Cæſaris in Germania Legatus fuit, Vell Paterculo

terculo lib. 2. postea Furio Camillo, qui Tacfarinatem rebellem vicerat, in Proconsulatu anno 770. successit, cui per tres annos, ut docet nummus, præfuit, cùm anno 772. Tacfarinas denuò per latrocinia bellum moveret, eum Apronius prælio vicit, & in deserta compulit. Sed in qua urbe cusus sit nummus, pronunciare difficile videtur: si tamen conjecturæ locus ex simili Mercurii capite in Tiberii nummo apud Leptim magnam signato, ad Leptim parvam spectare suspicamur. Illa in nummis ΛΕΠΤΙΣ inscribitur, hæc Colonia Romana nummos exhibet cum epigraphe COL. VIC. IVL. LEP. utraque Mercurium ob idem urbium nomen, concordiam & situm venerata videtur.

Hic nummus secundi moduli, in Gaza Christinæ Reginæ, raritatis eximiæ & singularis præstantiæ habendus.



DRVSVS CAESAR. Caput Drusi nudum.
Deæ simulacrum instar metæ in templo, ante quod area sine epigraphe.

Nullam quidem adversa hujus nummi pars inscriptionem præfert, sed cùm pars ejus anterior Latinè scripta sit, in aliqua urbe Latii jure donata percussus videtur: si verò rectè opinamur ex templo Veneris Paphiæ in eo insculpto, à Communi Cypriorum signatus est. At reclamat omnis Antiquariorum cœtus; nummi Galbæ, Vespasiani, Sept. Severi & Caracallæ cum simili templo & Græca ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ epigraphe refragantur: quid tum, non-ne numismata argentea, quæ vocant *Maxima*, manibus nostris quotidie teruntur, à Communi Asiæ Latinè scripta, COM. ASIAE. imò insignis Claudii nummus in Thesauro Regio à Cypriis ipsis cusus reconditur, in quo circa caput TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. & in aversa parte circa ambitum ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΤΥΠΑ. in area verò ΚΥΠΡΙΩΝ legitur.

Eques Patinus nummum pag. 80. vulgavit, & de Veneris Paphiæ templo eruditè disseruit; sed cur Cyprii hoc templum in Drusi nummo signaverint, causam indagare nobis liceat, illam verò Tacitus Ann. 3. suppeditare videtur, cùm tradit Cyprios anno U. C. 773. jus asyli defendisse tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri auctor, Ærias: illud enim Cyprii in Drusi nummo, tum ut templi formæ dignitatem indicarent, cùm ut patris ejus benevolentiam sibi conciliarent, percusserunt, Druso præsertim gratulantes, quòd hoc anno à Tiberio Tribunitiam potestatem tanquam ad Imperium designatus recepisset. De Venere in nummo sequenti.

Hic nummus minimi moduli inter rariores collocandus.



DRVSVS CAESAR. Caput Drusi nudum.
Jupiter stans, dextrâ aquilam, sinistrâ baculo innixa, ex adverso templum idem Veneris Paphiæ, sine epigraphe.

Alter prodit nummus à Cypriorum Communi in honorem Drusi Cæsaris signatus, in cujus aversa parte Jupiter & Venus in templo, duo præcipua insulæ numina, & in eorum nummis frequentia: Jupiter enim in Vespasiano & Trajano sæpe occurrit cum epigraphe ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ. Ille videtur *Salaminius* dictus apud Tacitum Annal. 3. cùm narrat Cyprios tribus delubris jus asyli defendisse. *Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneris auctor, Ærias, pòst filius ejus Amathus Veneri Amathusiæ, & Jovi Salaminio, Teucer Telamonis patris irâ profugus posuissent.* De templo Veneris Paphiæ multa jampridem nummorum scriptores Ericius Venetus, Tristanus, Patinus, & P. Harduinus dixerunt. Area Veneris templo addita videtur ad indicandum quoddam, de quo Plinius lib. 2. cap. 6. loquitur, miraculum. *Celebre fanum habet Veneris Paphos; in cujus quandam aream non impluit.* P. Harduinus pro area aram substituit ob verba Taciti lib. 2. Hist. p. 34. Templum Veneris Rex Ærias condidit, ex eodem Tacito. *Conditorem templi Regem Æriam vetus memoria.* Deæ instar metæ in medio templi cernitur simulacrum, de quo idem Historicus. *Simulacrum Deæ non effigie humana*, &c. Ad templi latera in area videntur duo altaria ignita, de quibus forsan Tacitus loco cit. *Precibus & igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus quanquam in aperto madescunt.*

Hic nummus minimæ formæ inter rariores & elegantiores recensendus.

GERMANICUS CÆSAR.



GERMANICI *nummi primæ formæ non observantur; secundæ & minimæ cum sola ejus effigie, rarissimi sunt; at cum Druso ex adverso, faciliùs parantur.*

CÆSARAUGUSTA.



C. C. A. GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. *Colonia Cæsarea Augusta. Germanicus Cæsar Tiberii Augusti filius.* Caput Germanici nudum.
TI. CAESAR AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

Salduba, urbs Hispaniæ Tarraconensis, mutato nomine, ab Augusto *Cæsaraugusta* vocata, & Colonia facta est Immunis, teste Plinio lib. 3. cap. 3. *Cæsaraugusta, Colonia Immunis.* Hæc nummum Tiberio Imperatori simul & Germanico Cæsari ab illo Augusti jussu adoptato, & socio principatus vehementer expetito, dedicavit, ut innuere videtur Suetonius in Tiberio cap. 25. *Simulavit & valetudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem successionem, vel certè societatem principatus, operiretur.* Sed ille Tiberio suspectus, in Syriam missus est, ubi Pisonis & Plancinæ uxoris artibus periit.

Hic nummus secundi moduli, eximiæ raritatis & elegantiæ est.




GERMANICVS CAESAR C. CAESARIS PATER. Caput Germanici nudum.
C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta*, in area: SCIPIONE ET MONTANO II. VIR. *Scipione & Montano Duumviris*, circa ambitum.

Cæsaraugustani nummum hunc in Germanici memoriam, Caligulæ filio adulantes, ad illius imitationem percusserunt, cùm ipse in nummis patris effigiem cælari jussisset. Testes sunt eorum aurei & argentei denarii, in quibus hinc Germanicus, inde Caligula. Ipsius in parentes pietatem extollit Suetonius in ejus vita c. 15. *At in memoriam patris Septembrem mensem, Germanicum appellavit.* Scipio & Montanus Duumviri, Augusti, Agrippæ, Germanici & Agrippinæ effigies in nummis suis Caligulæ gratulantes percusserunt.

Hic nummus mediocris formæ inter rariores collocandus.

CORINTHUS.



GERMANICVS CAESAR. Caput Germanici nudum.

C. HEIO POLLIONE ITER. L. MVSSIDIO PRISCO II. VIR. *Caio Heio Pollione iterum, Lucio Mussidio Prisco Duumviris.* In corona ex apio contexta.

Ad Corinthum pertinet nummus, etsi urbis nomen in eo desit: similis enim sub iisdem Duumviris cum CORINTI epigraphe circa caput Tiberii percussus rem ipsam denotat: hunc autem signavere Corinthii, cùm Germanicus in Syriam proficisceretur. Achaiam autem ille appulit, ubi secundum Consulatum Neapoli accepit anno U. C. 770. CHr. 17. ut tradit Tacitus Annal. 2. *Sequens annus Tiberium tertiò, Germanicum iterùm Consules habuit; sed eum honorem Germanicus inivit apud urbem Achaiæ Neapolim, ubi paucos dies insumpsit reficiendæ classi.* Ideo Corinthii & Tiberio & Germanico eundem typum sub iisdem Duumviris percusserunt. Corona apii hoc anno ludos Isthmicos, de quo in Tiberio abunde in hunc nummum diximus pagg. 73. & 74. forsan celebratos indicat. De Heio Pollione & Mussidio Prisco, ibidem.

Hic nummus minimi moduli à Patino pag. 85. vulgatus inter insigniores recensendus.

ITALICA.



GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. Caput Germanici nudum.

MVNIC. ITALIC. PER. AVG. *Municipium Italica* vel *Italicense, permissu Augusti.* Aquila legionaria, & vexillum inter duo signa militaria.

Signa militaria in nummis Drusi Cæsaris ab Italicensibus in memoriam originis Veteranorum Italicam ab Augusto transmissorum cælata diximus: eundem typum Italicenses Germanico pariter Cæsari proferunt, utrique blandientes; Druso quidem, quòd naturæ jure ipse Tiberii filius, foret Imperii hæres; Germanico verò, quòd is Augusti jussu à Tiberio adoptatus, Druso socius datus sit.

Hic nummus secundæ magnitudinis, ex museo nostro, inter rarissimos collocandus; alter ferè similis à Patino pag. 84. vulgatus.

OSCA.



GERMANICVS CAES. F. C. CAESAR. AVG. GERM. Caput Germanici nudum.

V. V. OSCA. C. TARRACINA. P. PRISCO. II. VIR. *Urbs Victrix Osca, Caio Tarracina, Publio Prisco Duumviris.* Eques decurrens.

Osca, urbs Hispaniæ Tarraconensis, de qua in Augusto fol. 55. dictum, nummum hunc in Germanici memoriam, Caligulæ filio gratulans, percussit, ei dato Imperatoris patris nomine. Exoptatus autem Caius Imperium adeptus est ob Germanici memoriam, si Suetonio fides. Figura equestris, urbis insigne est, ut & quibusdam aliis Hispaniæ oppidis, ob equorum abundantiam, vel equitatus Hispanici præstantiam. C. Tarracina & P. Priscus ex quibus familiis oriundi sint; non facile est pronuntiare; an prior ab urbe Italiæ Tarracina originem traxerit, incertum. *Priscus* is dicebatur, qui natu major esset.

Hic nummus mediocris moduli rarissimus & præstantissimus est.

ROMULEA COLONIA.



GERMANICVS CAESAR. TI. AVG. F. Caput Germanici nudum.
COL. ROM. PERM. AVG. *Colonia Romulea, permiſſu Auguſti.* Clypeus votivus in laureâ.

Colonia Romulea vel *Romulenſis*, eadem quæ *Hiſpalis*, urbs eſt Hiſpaniæ Bæticæ ad Bætim fluvium, in quam Julius Cæſar bellum contra Pompeios gerens ingreſſus eſt, quemadmodum legitur apud Hirtium de Bello Hiſp. *Cæſar cùm à Gadibus ad Hiſpalim ſe recepiſſet, in ſequenti die concione advocata, commemorat.* Illa in veteri Inſcriptione IVLIA ROMVLEA apud Grut. pag. 257. dicitur, unde forſan *Juliam Romanam* à Julio Cæſare nuncupatam ait Iſidorus lib. 15. Orig. cap. 1. ut refert P. Harduinus pag. 198. Clypeus in laurea eſt, & non patera, ut putat Mediobarbus pag. 74. votivus quidem: clypei ſiquidem in Deorum templis ſuſpendebantur & vovebantur. Livius Dec. 4. lib. 5. *Ex ea pecunia clypea inaurata in faſtigio Jovis ædis poſuerunt.* Et ut ex nummis Auguſti argenteis, in quibus clypeus cum his litteris CL. V. id eſt *clypeus votivus*, inter aquilam legionariam & ſigna militaria cum hac epigr. SIGNIS RECEPTIS, conſtat clypeum votivum in templo Martis Ultoris ob recepta à Parthis ſigna militaria conſecratum à Populo Romano fuiſſe: ſic arbitramur clypeum à Colonia Romulenſi cuſum fuiſſe propter aquilam legionariam Varianæ Legionis per Germanicum receptam, ut tradit Tacitus Ann. 2. *Alterius conſecrati memoriam Dux Malovendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defoſſam Varianæ Legionis aquilam modico præſidio ſervari indicat. Miſſa extemplo manus, quæ hoſtem à fronte eliceret, alii qui terga circumgreſſi recluderent humum, & utriſque adfuit fortuna.* Corona laurea ob Germanici victorias addita eſt.

Hic nummus minimæ formæ, raritatis eximiæ eſt & elegantiæ.



DRVSVS CAESAR. GERMANICVS CAESAR. Capita adverſa Druſi & Germanici Cæſarum.
COL. ROM. PERM. DIVI AVG. *Colonia Romulea, permiſſu Divi Auguſti.* Caput Tiberii laureatum.

Romulei hinc Tiberium, inde Druſi & Germanici filiorum capita ad ipſorum concordiam indicandam ſignarunt, cùm ille proprius ſanguinis, hic verò adoptivus eſſet ipſius filius, pro illis aula diſcors, parentes diviſi, & uxores inter ſe diſceptantes, tamen ipſi concordes erant, ut tradit Tacitus lib. 2. *Sed fratres egregiè concordes, & proximorum certaminibus inconcuſſi.*

Hic nummus mediocris magnitudinis inter rariores adſcribitur, à Patino vulgatus pag. 75. ſub Auguſti nomine, quem in Indice eſſe Tiberii agnoſcit: nummum pariter Mediobarbus pag. 52. Auguſto refert, qui Tiberio tribuendus.

GERMANICO
CAESARI. TI. F. AVG. NEP.
Q. AVGVRI. COS. DESIGNAT.
D. D.
Athenis exſcripſi.




AGRIP-

AGRIPPINA.



AGRIPPINÆ *nummi primæ magnitudinis non observantur; secundæ & minimæ, eximiæ raritatis & elegantiæ habendi.*

CÆSARAUGUSTA.



AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS AVGVSTI. Caput Agrippinæ.
C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta* in area. SCIPIONE ET MONTANO II. VIR. circa ambitum.

Cæsaraugustani Caligulæ adulantes, qui nummos ad memoriam parentum renovandam percuti jusserat, eorum etiam effigiem in suis signari curaverunt. Ecce Agrippina Imperatoris mater prodit, ut ante Germanicum ejus patrem sub iisdem viris Scipione & Montano vulgavimus. Caius autem pietatem erga matrem demonstravit; nam Tiberio funerato, inquit Suetonius cap. 15. *confestim Pandateriam & Pontias ad transferendos matris fratrisque cineres festinavit, tempestate turbidâ, quò magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit.* De Duumviris jam egimus.

Hic nummus secundi moduli, à Tristano t. 1. pag. 50. vulgatus, præstantissimus est.

CARTHAGO.



AGRIPPINA. C. CAESARIS AVG. MATER. Caput Agrippinæ.
C. I. C. GENIVM. *Coloniæ Juliæ Carthaginensis Genium.* Fortuna stolata stans, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Has litteras initiales C. I. C. ad Coloniam Juliam Carthaginem in Julii nummis pag. 2. revocavimus. Carthaginenses Agrippinam tanquam Deam colentes, urbem suam sub ejus genii tutela positam denotant, ipsam sub Fortunæ effigie *Genium* appellantes, ut ipsi Antoninum Pium pariter *Genium P. Romani* infrà in nummis vocarunt. Genius, Deus erat loci, sub cujus nempe tutela locus erat. Hic seminudus cum pallio effingebatur, dextrâ pateram, lævâ cornucopiæ. Sæpe etiam Fortuna pro Genio colebatur, cui etiam cornucopiæ datum, ad loci ubertatem procurandam: Fortuna enim idem esse cum Genio videtur; etenim unicuique suus Genius dicitur, ita & unicuique sua Fortuna. Depingebatur quidem Fortuna, teste Lactantio lib. 3. cum cornucopiæ & gubernaculo, tanquam ipsa opes tribuere putaretur, & humanarum rerum regimen obtinere.

Hic nummus minimæ formæ, raritatis eximiæ est & præstantiæ.

OSSA
AGRIPPINAE. F. M. AGRIPPAE
DIVI AVG. NEPTIS. VXORIS
GERMANICI. CAESARIS
MATRIS. C. CAESARIS. AVG.
GERMANICI. PRINCIPIS.

Exscripsi Romæ in area Capitolina.

NERO ET DRUSUS CÆSARES.



NERONIS & DRUSI *fratrum nummi seorsim non reperiuntur, eorum effigies in nummis mediocris formæ à Caligula restitutis, in equis tantùm habentur, sed eorum capita in Coloniis reperiuntur, quæ perrara sunt.*

CÆSARAUGUSTA.



C. C. A. NERO CAESAR. DRVSVS CAESAR. II. VIR. *Coloniæ Cæsareæ Augustæ, Nero Cæsar, Drusus Cæsar, Duumviri.* Capità Neronis & Drusi adversa.

TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS. P. M. Caput Tiberii laureatum.

Cæsaraugustæ Hispaniæ Tarraconensis percussus est hic nummus in honorem Neronis & Drusi fratrum, Germanici filiorum, quos Tiberius mortuo Druso filio Patribus commendavit. De Nerone quidem Tacitus Annal. lib. 4. *Aderantque juveni modestia ac forma Principe viro digna, notis in eum Sejani odiis ob periculum gratiora.* Quem tandem Tiberius Sejani insidiis circumventum in Senatu accusavit, damnatumque in Pontiam insulam relegatum necavit. Drusus verò eosdem quàm fratri honores à Senatu decretos petente Tiberio recepit; sed ejusdem Sejani artibus hostis judicatus, Imperatoris jussu in ima palatii parte occisus est. Ambo tanquam Cæsares & successionis proximi, à Cæsaraugustanis Duumviri honorarii vocati sunt; cujus rei index hic nummus, in quo Coloniæ Cæsaraugustæ Duumviri perhibentur. Hadrianus Imperator apud Spartianum, *per Latina oppida Dictator, Ædilis, & Duumvir fuit.* Hi vero Duumviri ordinarii pro se Præfectos nominabant. Qua de re mox uberiùs.

Hic nummus secundi moduli, eximiæ raritatis & elegantiæ est.

CARTHAGO NOVA.



NERO ET DRVSVS CAESARES. Q. C. V. I. N. C. *Nero & Drusus Cæsares Quinquennales Coloniæ Victricis Juliæ Novæ Carthaginis.* Capita adversa Neronis & Drusi.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. P. M. Caput Tiberii nudum.

Mutilam hanc Neronis & Drusi circa eorum capita epigraphen apud Patinum pag. 77. & Mediobarbum pag. 75. lege ut suprà.

De Carthagine Nova Hispaniensi & ejus cognominibus abunde dictum est in Augusto, quam à Pœnis conditam retulimus, illius expugnationem à Scipione legas apud Livium Decad. 3. lib. 7. ubi situm ejus naturâ tutum fusè describit; eam tamen uno die captam narrat Florus lib. 2. *Eodem quippe quo obsessa est die capta est; omenque Africanæ victoriæ fuit, quòd tam facilè capta est Hispana Carthago.* Hispanæ civitates Germanici memoriam in filiis venerantes, plurimos iis honores detulerunt: nam ut Cæsaraugusta Neronem & Drusum Duumviros urbis suæ nominavit, Carthago Nova

Nova illos Quinquennales fecit. De Quinquennalibus jam diximus. Hæc dignitas Imperatoribus etiam honoris causâ deferebatur, ut de Hadriano Spartianus. *In patria sua Quinquennalis, & item Adriæ Quinquennalis.* Ad quem magistratum suo in loco gerendum ipsimet Quinquennales pro se nominabant aliquem; ille verò qui alteri sufficiebatur, in titulis suis se Quinquennalitatis Imperatoris Præfectum unà cum reliquis dignitatibus appellabat; cujus rei testimonium feliciter apud Gruterum hæc legitur inscriptio pag. 491. quæ Tiberium in quadam Italiæ civitate Quinquennalem, imò Neronem & Drusum Cæsares Quinquennales etiam nominat.

. . . IPO. LIO. L . . .
. . . ARRIO. SALANO . . .
PRAEF. QVINQ. TI. CAESARIS.
PRAEF. QVINQ. NERONIS. ET. DRVSI.
CAESARVM. DESIGNATO. TVB. SAC. PR.
AED. III. AVGVRI. INTERREGI.
TRIB. MILIT. LEG. III. AVGVST.
LEG. X. GEMINAE. PRAEF. EQVIT.
PRAEF. CASTROR. PRAEF. FABR.
OPPIA. VXOR.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores reponendus.

ROMULEA COLONIA.



NERO CAESAR. DRVSVS CAESAR. Capita Neronis & Drusi adversa.
COL. ROM. PERM. DIVI. AVG. Caput Tiberii laureatum.

Romulei Hispaniæ Bæticæ nummos cum Tiberio ex una parte, & ex altera Drusum & Germanicum filios, ut aliis per alios gratularentur, signarunt. His verò Imperii successoribus è vivis sublatis, eundem Tiberium, non autem Augustum, ut putat Mediobarbus pag. 52. & 75. cum Germanici filiis Cæsaribus ab eo nuncupatis in posteriori parte exhibuerunt. Utrique Tiberius honores à Senatu petierat, diem utriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit; sed Tiberius haud unquam domui Germanici mitis cum Pontifices pro incolumitate Principis vota suscepissent, Neronem quoque & Drusum iisdem Diis commendassent, valde commotus est Tiberius, ut tradit Tacitus Annal. lib. 4. *Tum verò æquari adolescentes senectæ suæ impatienter indoluit.* Patefacta ex eo interiore animi sui nota, ut ait Suetonius in ejus vita cap. 54. illos omnium criminationibus obnoxios reddidit, & miseros Principes ad Imperium natos, fame judicatos hostes necavit.

Hic nummus mediocris moduli rarissimus est.

NERONI CAESARI
GERMANICI. F.
TI. AVGVSTI N. DIVI AVG.
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODALI AVGVSTATI. &c.
Grut. p. 237. 1.

DRVSO CAESARI GERMA
NICI CAESARIS F. TI.
AVG. N. DIVI. AVG. PRON.
PRAEFECT. VRBI
AVGVSTALI.
Grut. p. 237. 2.



CALIGULA.



INTURNAM Coloniam à C. Cæſare deductam refert Frontinus; an de Caligula, ambigi poteſt: ipſe Coloniis & Urbibus Hiſpaniæ facultatem cudendæ monetæ ademiſſe videtur, cùm nullos poſt eum nummos per totam Imperatorum ſeriem in Hiſpania percuſſos invenias. Caius quidem provincias Imperii auxit, non bello nec victoriis ſuis, ſed Ptolemæi conſobrini Mauritaniæ Regis cæde, regnum ejus dividens in Cæſarienſem & Tingitanam, ut tradit Plinius lib. 5. cap. 1. *Principio terrarum Mauritaniæ appellantur uſque ad C. Cæſarem Germanici filium regna, ſævitiâ ejus in duas diviſa provincias.*

CALIGULÆ *nummi primæ magnitudinis rariſſimi, ſecundæ & tertiæ non obvii ſunt.*

ACCIS.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.
COLON. ACCI. *Colonia Accitana.* Duæ aquilæ legionariæ inter duo ſigna militaria.

Accitanos Hiſpaniæ Tarraconenſis, *Gemellenſes* apud Plinium vocatos ob veteranos duarum Legionum gemini nominis VI. milites in eorum urbem deductos, in Auguſto diximus: ideo duas aquilas legionarias duarum Legionum ſymbola ad hanc originem denotandam in nummo ſignarunt, quem Caligulæ ut ex Julia familia oriundo blandientes obtulerunt, quòd ipſi à Julio Cæſare Coloni primùm facti, deinde ab Auguſto nova iterum Veteranorum acceſſione aucti eſſent.

Hic nummus ſecundi moduli, ex muſeo noſtro, inter rariores collocandus.

BILBILIS.



C. CAESAR AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.
MVN. AVG. BILBILIS. C. CORN. REFEC. M. HELV. FRONT. *Municipium Auguſta Bilbilis, Caio Cornelio Refecto, M. Helvio Frontone* circa ambitum: II. VIR. in quercea.

Bilbilitani Hiſpaniæ Tarraconenſis Auguſto & Tiberio in nummis coronas tum laureas, tum querceas obtulere; laureas quidem ob victorias, querceas verò ob cives ſervatos. Senatus Caligulæ nummum percuſſit cum quercea, in cujus medio S. P. Q. R. P. P. OB CIVES SERVATOS, quòd exoptatiſſimus Princeps Imperium adeptus, urbi cives reſtituerit apud Suetonium cap. 15. *Pari popularitate damnatos relegatoſque reſtituit; criminumque, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.* Bilbilitani Romanorum exemplum imitati, pariter querceam in Caligulæ nummis adulantes ſignarunt. *Cornelia* gens cognomine *Caldi* jam in Auguſto memorata eſt; hic verò Cornelius Duumvir ex altera forſan ſtirpe, *Refectus* appellatur. *Helvia* gens, an

an patricia, vel plebeia, incertum. M. Helvius ex Hispania citeriore anno U. C. 568. Romam ovans ingressus est. *Fronto* cognomen à fronte.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 93. vulgatus, nec rarus nec obvius est.

CÆSARAUGUSTA.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.
C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta.* Bos mitratus.

Cæsaraugustani Tarraconensis provinciæ bovem in nummis ad denotanda pro Caligulæ salute à se perpetrata sacrificia, cuderunt. Illius morbi meminit Dio lib. 59. pag. 645. Μετὰ δὲ τοῦτο νοσήσας, αὐτὸς μὲν οὐκ ἀπέθανε. *Pòst morbo conflictatus, mortem evasit.* An non potiùs ob gaudium adventus ejus ad Imperium; nam in provinciis remotis, ex morbo convalescentia, potiùs quàm morbus ipse noscitur: Romam autem acclamante & plaudente populo ingressus est, teste Suetonio c. 14. *Tantâ publicâ lætitiâ, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur.*

Hic nummus mediocris formæ, nec rarus nec obvius est.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. IMP. Caput Caligulæ laureatum.
C. C. A. *Colonia Cæsarea Augusta*, in area. LICINIANO ET GERMANO II. VIR. *Liciniano & Germano Duumviris*, circa ambitum.

Nihil exhibet nummus præter Duumvirorum nomina, quorum prior ex Licinia gente in aliam adoptatus, producto Licinii nomine dictus est Licinianus; ut Claudius, qui apud Dionem lib. 55. pag. 567. adoptatus, se nominavit Claudianum: Κλαυδιανὸν ἑαυτὸν ἀντὶ τοῦ Κλαυδίου, διὰ τὴν ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου γένος ἐκποίησιν ὀνομάσας. *Adoptatus enim in familiam Augusti, Claudianum se pro Claudio nuncupabat. Germanus* cognomen est; Cassiæ genti datur ex Inscript. Romæ inventa apud Gruterum pag. 846. 5.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 92. vulgatus, rarus est.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.
C. C. A. LICINIANO ET GERMANO II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta. Liciniano & Germano Duumviris.* Colonus agens boves.

Saldubam, mutato nomine *Cæsaraugustam* ab Augusto, cùm in eam Coloniam deduxisset, vocatam fuisse diximus, in cujus rei memoriam Cæsaraugustani ad originem suam indicandam colonum boves agentem, Coloniæ symbolum, signarunt, sub iisdem Liciniano & Germano Duumviris.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 92. vulgatus, non obvius est.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.

C. C. A. LICINIANO ET GERMANO II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta. Liciniano & Germano Duumviris.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Cæsaraugusta, Colonia ab Augusto deducta, colonos ex trium IV. VI. & X. Legionum Veteranis accepit, ut nos ejus Imperatoris nummi docuerunt; idcirco signa militaria in nummis, ad indicandam Coloniæ originem, percusserunt: sed cùm suprà colonum boves agentem, civium deductorum insigne, signa verò, militum symbolum dixerimus; ideo Duumviri alterutrum typum ad colonorum originem suam denotandam signare solebant. Porrò ex diversis coloni & signorum militarium iconibus, alterum ex Duumviris à civibus deductis, alterum verò à veteranis transmissis genus traxisse suspicamur. *Licinianus* nomen est Liciniæ gentis productum. *Germanus* cognomen, an ex germine deductum, vel ex Germania desumptum.

Hic nummus primæ magnitudinis, ab Ill. Spanhemio differt. 2. pag. 120. ab Eq. Patino pag. 92. & in 2. edit. Angelonii ab erudito viro Jo. Petro Bellori in Emendat. pag. 37. vulgatus, inter rarissimos collocandus.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. IMP. PATER PATRIAE. Caput Caligulæ sine laurea.

C. C. A. TITVLLO ET MONTANO. II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta, Titullo & Montano Duumviris.* Colonus agens boves.

En colonus iterum ad Cæsareæ Coloniæ deductæ originem indicandam sub Titullo & Montano Duumviris percussus; sed cùm tantùm sint cognomina, eorum familias noscere non facile est. *Titullus* cognomen est Munatiæ gentis apud Gruterum pag. 852. 2. & Vibiæ pag. 863. *Montanus* verò Curtiæ, Juliæ, Juniæ, & Vatiniæ apud Glandorpium in Onomast. Julius Montanus Poëta citatur apud Ovidium de Pont. Hi vero Duumviri nummos ad memoriam Agrippæ renovandam cum ejus effigie pag. 140. percusserunt.

Hic nummus mediocris formæ nec rarus nec obvius est.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.

C. C. A. SCIPIONE ET MONTANO II. VIR. *Colonia Cæsarea Augusta, Scipione & Montano Duumviris.* Colonus agit boves.

Montanus in Cæsaraugustæ nummis modò cum Titullo, modò cum Scipione Duumvir conjungitur; ideo Titullus Scipioni, aut Scipio Titullo suffectus videtur. *Scipio* fuit Corneliorum cognomen, cui P. Cornelius initium dedit, quòd patrem luminibus orbum vice scipionis regeret; primus id cognominis est sortitus, & deinceps ad posteros suos transmisit. Cæsaraugustani sub his Duumviris nummos in memoriam Augusti, Agrippæ, Germanici, & Agrippinæ restituerunt, ut Caligulæ blandirentur, qui ex una parte cujusque eorum effigiem, & ex altera suam excepto M. Agrippa avo suo percusserat.

Hic nummus mediocris moduli obvius, à Mediobarbo pag. 79. inter incerta collocatus, Cæsaraugustæ restituendus.

CARTHAGO NOVA.



C. CAES. AVG. GERMANIC. IMP. P. M. TR. P. COS. Caput Caligulæ laureatum.
SAL. AVG. CN. ATEL. FLAC. CN. POMP. FLAC. II. VIR. Q. V. I. N. C. *Salus Augusta. Cneo Atellio Flacco, Cneo Pompeio Flacco Duumviris Quinquennalibus Victricis Juliæ Novæ Carthaginis.* Caput muliebre.

Apud Patinum pag. 90. vocem AT. EL. conjunge, & mutilam lege ut suprà. Apud Mediobarbum pro ATTEI. repone ATEL. & hæ litteræ Q. V. I. N. C. interpungantur.

Juliam Augustam Tiberii matrem sub *Salutis Augustæ* nomine in nummis tùm senatusconsulto percussis, tum in Coloniis signatam vidimus : cùm verò hoc muliebre caput eodem ferè modo capillos habeat, quo his temporibus matronæ Romanæ adornatos gerebant, Caligulæ uxoris effigiem potiùs exhibere putavimus, quàm Salutis Deæ caput, viderint porro eruditi. Carthaginenses Hispaniæ, quò quæsitior esset erga Caligulam eorum adulatio, Cæsoniam in nummis sub *Salutis Augustæ* nomine forsan percusserunt. Suetonius cap. 27. *Cæsoniam ardentiùs & constantiùs amavit, ut sæpe chlamyde peltaque & galea ornatam, & juxtà adæquitantem, militibus ostenderit, amicis verò etiam nudam.* In nummis Goltzii Thesaurii ΚΑΙΣΩΝΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ perhibetur. De *Novæ Carthaginis Victricis* & *Juliæ* cognominibus sæpius dictum; illa aliquando sine Coloniæ titulo, ut in Augusto observatur. Uterque Duumvir Quinquennalis eodem prænomine *Cnei* ornatur, quos ab insigni aliqua re quasi γνωσθεὶς, vel à γίνεσθαι, id est à generatione futura esse dictos; auctores locupletissimi sunt Valerius & Pompeius. Ambo idem *Flacci* cognomen habent; sic vocati, qui aures latas habent, & ob magnitudinem deorsum reflexas. *Atelliæ* gentis meminit Gruterus pag. 961. CN. ATELLI. CN. L. HILARI. *Pomponia*, plebeia est.

Hic nummus secundi moduli, inter rariores numeratur.

ERGAVICA.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS IMP. Caput Caligulæ laureatum.
MV. ERGAVICA. C. TER. SVRA. A. LIC..... II. VIR. *Municipium Ergavica; Caio Terentio Sura, Aulo Licinio..... Duumviris.* Bos.

Ergavica, urbs Celtiberorum in provincia Tarraconensi, inter Latinorum veterum populos recensetur à Plinio lib. 3. cap. 3. *Latinorum veterum Cascantenses, Ergavicenses*, &c. Hi omnes in nummis Municipii titulo insigniuntur; unde Municipia illa Hispanica sine suffragio Reipublicæ tempore facta fuisse suspicamur. Ergavicenses Caligulæ blandientes, nummos suos, ut Augusto & Tiberio, cum bove Municipiorum symbolo percusserunt. *Terentia* gens à *Tereno* voce Sabina, quæ *molle* significat; Varroni dicta; plebeia est, ut & *Licinia*. De *Sura* cognomine passim. Alterum Duumviri Licinii cognomen temporis injuria deletum est.

Hic nummus mediocris formæ inter raros & elegantes numerandus.

OSCA.



C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. COS. Caput Caligulæ laureatum.
V. V. OSCA. *Urbs Victrix Osca.* Eques decurrens, dextrâ hastam.

Epigraphe COS. circa caput Caligulæ, nummum initio ejus Imperii ab Oscensibus percussum arguit: cùm enim ille, ob memoriam Germanici patris exoptatus, Romam profectus, se omnia ex arbitrio Senatus administraturum professus esset, omnium suffragio Consul statim designatus est, & ex Kal. Julii an. U. C. 790. Consulatum iniit cum Claudio avunculo, ut narrat Dio lib. 59. pag. 644. Ἐψηφίσθη μὲν οὖν καὶ παραχρῆμα αὐτὸν ὑπατεύσαι, καταλυθέντων τῶν τε Προκύλου καὶ τοῦ Νιγρίνου τῶν τότε ἀρχόντων... οὕτω δὴ αὐτὸς ὑπάτευσε τὸν Κλαύδιον τὸν θεῖον προσλαβών. *Confestim ei Consulatus abrogatus, Proculo & Nigrino decretus est,... ipse deinde Consulatum iniit, collegâ assumpto Claudio patruo.* Eques decurrens, urbis insigne est, de quo in Augusto & Tiberio dictum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis rarus est.



C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. COS. Caput Caligulæ laureatum.
V. V. OSCA. C. TARRACINA. P. PRISCO. II. VIR. *Urbs Victrix Osca, Caio Tarracina, Publio Prisco Duumviris.* Eques ut suprà decurrens, dextrâ hastam.

Superior urbis Oscæ nummus forsan ut hic sub Caio Tarracina & Publio Prisco Duumviris videtur percussus; eadem enim est in utroque circa ambitum capitis epigraphe, & idem in aversa parte typus: tunc autem temporis Duumviri modò nomina sua, modò sine iis nummos signabant; ipsi sunt C. Tarracina & P. Priscus, quorum nummos Germanici effigiem, ut Caligulæ gratularentur, renovantes jam antè vidimus. De Osca, & de ejus cognominibus in Augusto dictum est. *Urbs* quidem per excellentiam dicebatur, *Victricis* autem nomen à Julio Cæsare accepit. Duumvirorum familiæ ignorantur; prior *Tarracina* forsan ex urbe Italiæ Tarracina originem deduxit; unde cognomen *Priscus* verò datum est ei qui priùs natus esset.

Hic nummus majoris formæ rarissimus est, ab Ant. Augustino dial. 7. vulgatus, & Angeloniæ edit. 2. p. 37. à Jo. Pet. Bellorio. Christinæ Reginæ Antiquario additus est.

SEGOBRIGA.



C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. P. P. Caput Caligulæ laureatum.
SEGOBRIGA. In corona quercea.

Segobrigenses Hispaniæ Tarraconensis coronam querceam jam Tiberio obtulerunt; an mos eorum, ut solebant Bilbilitani, Imperatoribus in nummis coronas dedicare? an verò illi Romanos imitati, qui Caligulæ querceam cum hac epigraphe S. P. Q. R. P. P. OB CIVES SERVATOS percusserunt? Suetonius in ejus vita cap. 15. *Pari popularitate damnatos relegatosque restituit; criminumque, si qua residua ex priori tempore manebant, omnium gratiam fecit.* Dio autem lib. 59. pag. 644. Ἔπειτα τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὄντας ἀπέλυσεν· ὧν εἷς ἦν Λούκιος Πομπώνιος ἑπτὰ ὅλοις ἔτεσιν ἐν τῷ οἰκήματι μεθ' ὑπατείαν κακωθείς, τά τε ἐγκλήματα τῆς ἀσεβείας (οἷσπερ καὶ τὰ μάλιστα πονουμένους σφᾶς ἑώρα) κατέλυσε, καὶ τὰ γράμματα τὰ περὶ αὐτῶν ὅσα ὁ Τιβέριος κατελελοίπει, συνήσας κατέκαυσεν. *Deinde eos qui in carcere erant, dimisit, inter quos Lucius Pomponius septem totos annos à Consulatu suo ibi miserè habitus: actiones læsæ pietatis erga Principem, quibus urbem maximè vexari videbat, sustulit; libellosque de iis à Tiberio relictos, congestos exussit.* Senatus cives à tyrannide æquè ac bello servatos reputans.

Hic nummus secundæ magnitudinis rarus est, minimæ, obvius.

IMP. CAES. CAIVS. PONT.
MAX. TRIB. P. P. . . . . .
. . . . P. P. PROC. . . . .
. . . . ND. . . . . S.
Grut. 188. 7.

CLAU-

CLAUDIUS.





Laudius in omnibus Orbis partibus, Europa, Africa, & Asia Colonias constituit, quas hîc recensere in gratiam Lectoris non injucundum fore putavimus, licèt ex illis unica tantùm in hac nummorum serie designata nobis supersit; alphabetico ordine eas pro more nostro exponimus; *Apron* in Thraciam, *Archelaim Cæsaream* in Cappadociam; *Cæsaream* in Mauritaniam Cæsariensem, *Camalodunum* in Britanniam, *Claudiam Lugdunensem* in Galliam, *Claudiopolim* in Isauriam, *Lixon* in Mauritaniam Tingitanam, *Londinum* in Britanniam, PTOLEMAIDEM in Phœniciam Palæstinam; *Rusucurium* in Mauritaniam Cæsariensem, civitate honoratum, *Sabarum* in Noricum, *Salonam* in Liburniam, *Sæpinum* in Samnium, & *Traductam Juliam* in Mauritaniam Tingitanam deduxit.

CLAUDII *nummi primæ formæ non observantur; secundæ & minimæ, obvii & vulgares.*

BABBA.



TI. CLAVD. CAESAR. AVG. Caput Claudii laureatum.
C. C. I. B. DD. PVBL. *Colonia Campestris Julia Babba, Decreto Decurionum publico*, in corona quercea.

Cùm hunc nummum Eq. Patinus pag. 100. Cibyræ in Lycaonia tribuisset, quam Coloniam nemo dixerit, & cujus sunt nummi cum epigr. ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ, similis Patini nummus cum palma arbore in nostras manus incidit, ejusque litteras initiales C. C. I. B. punctis distinctas observavimus, nummoque tum ex iis litteris, tum ex palma ad Africam revocato, *Coloniam Campestrem Juliam Babbam* sumus interpretati, & Sponio amico nostro benignè communicavimus; uti meminit Com. Mediobarbus pag. 85. *Babba* urbs est Mauritaniæ Tingitanæ, Colonia à J. Cæsare facta, ut indicat *Juliæ* nomen. Cùm verò Plinius lib. 5. cap. 1. eam Augusti Coloniam nominat, *In mediterraneo*, inquit, *altera Augusti Colonia est Babba, Julia Campestris appellata*; intelligendum hoc est de immunitatibus ab Augusto huic urbi concessis, aut de colonis in ipsam iterum deductis, servatâ nempe ad antiquitatem indicandam *Juliæ* appellatione, ut idem evenit in hac provincia apud eundem Plinium, cives Tingis urbis in Juliam Cetrariam Hispaniæ in oppositum littus transmissi, *Julii* nomen habuerunt; ita Tingitani ex Julia Traducta in avitas sedes à Claudio qui Tingim Coloniam deduxit, urbs *Tingis*, non *Claudia*, sed *Julia Traducta*, antiquo nomine conservato, appellata est.

Corona quercea à Babbensibus in nummis ob cives bello Mauritanico à Claudio servatos signata est. Querceam Romani in fastigio Palatinæ domus in Imperatoris honorem suspendebant, qualem jam Claudio in nummis percusserant, & apposuerant, ut narrat Suetonius in ejus vita cap. 17. *Atque inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit.*

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino p. 150. vulgatus, inter rariores locandus.



TI. CLA. GER. CAES. Caput Claudii laureatum.
C. C. I. B. D. D. *Colonia Campestris Julia Babba, decreto Decurionum.* Palma arbor.

Babbæi plurimos Claudio nummos percusserunt, ei gratulantes ob victoriam contra Mauros rebellantes. Mauritania Bogudis regnum, Jubæ filio pro Numidia in provinciam P. Romani redacta, ab Augusto concessa est, eâque potitus est Ptolemæus Jubæ filius: ipso verò Caligulæ jussu occiso, Mauri ob ejus cædem Ædæmone liberto regio duce rebellarunt, quos Claudius tandem per Legatos domuit, & Mauritaniam à Caligula jam divisam, in duas provincias commutavit, ut tradit Dio lib. 60. pag. 671. Πολεμηθέντων δὲ τούτων, ὁ Κλαύδιος διχῆ τοὺς Μαύρους τοὺς ὑπηκόους ἔνειμεν, ἔς τε τὰ περὶ Τίγγιν, καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, (ἀφ' ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται) καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσι προσέταξε. *His actis, Claudius Mauros subditos in duas provincias divisit, unam ad Tingim, alteram ad Cæsaream, unde nomina quoque ambabus indita, duobus iis equitibus præpositis.* Palmam arborem ad Babbensium originem à Tyriis Phœnicibusque deductam revocat P. Harduinus pag. 86. Φοῖνιξ autem Græcè palma est, unde Phœnices dicti ob palmarum in hac regione abundantiam.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 100. vulgatus, inter rariores numeratur.



C. C. I. B. D. D. *Colonia Campestris Julia Babba, decreto Decurionum.* Taurus natans in aquis.

In superiori nummo Babbenses, ut se à Phœnicibus ortos denotarent, palmam arborem in nummis insculpserunt: in hoc verò Jovem sub tauri natantis effigie cùm Europam Agenoris Phœnicum Regis filiam raperet, exhibuerunt, atque inde taurum in aquis pariter à se cultum, ac bovem Apim ab Ægyptiis indicarunt. Hyginus illum inter astra constitutum, cujus priorem tantùm partem apparere narrat Poëm. astron. lib. 2. *Hic dicitur inter astra constitutus, quòd Europam incolumen transvexit Cretam.*

Hic nummus minimæ formæ rarissimus est æstimandus.

BERYTUS.



TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. Caput Claudii laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus* vel *Berytensis.* Colonus agens boves.

Berytus, urbs Phœniciæ littoralis, Colonia à Julio Cæsare constituta, & novis colonis ab Augusto frequentata, unde illi *Juliæ* & *Augustæ* cognomina, Claudio nummos dedicat, ei forsan gratulans, quòd Romanos Ptolemaidem ejusdem provinciæ urbem colonos deduxerit; quam ob rem colonum boves agentem, Coloniæ symbolum, pro typo exhibet, ut se Romanam pariter Coloniam esse demonstret.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores collocandus.



TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. Caput Claudii laureatum.
V. VIII. Duæ aquilæ legionariæ signis militaribus innixæ.

Etsi nummus nullum urbis nomen præferat, ad Berytum tamen pertinere nos docuit alter Augusti nummus pag. 11. cum iisdem aquilis legionariis & earum nominibus V. *Macedonica*, & VIII. *Augusta*, quarum Veteranos ab Augusto Berytum colonos deductos fuisse diximus; quod confirmat Strabo lib. 16. pag. 755. Βηρυτὸς δὲ κατεσπάσθη μὲν ὑπὸ Τρύφωνος, ἀνελήφθη δὲ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων, δεξαμένη δύο τάγματα ἃ ἵδρυσεν Ἀγρίππας ἐν αὐτῇ. *Berytus verò à Tryphone diruta, nunc verò à Romanis instaurata,*

rata, duabus Legionibus ibi ab Agrippa collocatis. Patinus pag. 98. nummum mutilum vulgavit cum epigraphe VII. quem ideo exhibere VII. & XI. Legiones à Senatu *Claudianas*, *fideles*, *Pias* vocatas arbitratus est; nec ille nummus ad Coloniam Patrensem, uti putat Com. Mediobarbus pag. 85. pertinet. Superior quidem nummus cum colono, Claudio dicatus est, ad indicandam à Julio Cæsare Coloniæ deductionem: hic verò Coloniæ ex Veteranis Legionum ab Augusto missis supplementum denotat.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 98. vulgatus, inter rariores reponendus.

CASSANDRIA.



TI. CLAVD. CAES. AVG. GERM. Caput Claudii laureatum.
COL. IVL. AVG. CASSANDREN. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis.* Caput Claudii laureatum.

Cassandria, urbs Macedoniæ, olim *Potidea* à Cassandro Antipatri filio de nomine ejus appellata est, teste Pausania Eliac. 5. pag. 333. Χρόνῳ δὲ ὕστερον Κάσσανδρος κατήγαγε μὲν Ποτιδεάτας ἐπὶ τὰ οἰκεῖα, ὄνομα δὲ οὐ τὸ ἀρχαῖον τῇ πόλει, Κασσάνδρεια δὲ ἐγένετο ἀπὸ τοῦ οἰκιστοῦ. *Restituit quidem Potideatas Cassander, sed quæ Potidea fuit, amisso vetere nomine, Cassandria nuncupata est à conditore.* Hæc in Pallene peninsula sita, Colonia facta est; ut asserit Plinius lib. 4. cap. 10. *In Pallenensi Isthmo quondam Potidea, nunc Cassandria Colonia.* Nomen *Juliæ* illam à Julio Cæsare deductam arguit; *Augustæ* verò appellatio, ab Augusto colonis iterum frequentatam.

Jupiter Ammon in nummo à Cassandrensibus ut præcipuus Peninsulæ Deus exhibetur; de ejus cultu Aphyti Cassandriæ finitima audias Pausaniam Lacon. 3. pag. 195. Λέγεται δὲ καὶ Λυσάνδρῳ Ἄφυτιν τὴν ἐν τῇ Παλλήνῃ νύκτωρ ἐπιφανέντα Ἄμμωνα προαγορεύειν ὡς ἄμεινον ἐκείνῳ τε ἔσοιτο καὶ τῇ Λακεδαίμονι πολέμου πρὸς Ἀφυταίους παυσαμένοις· καὶ οὕτω τὴν πολιορκίαν διέλυσεν ὁ Λύσανδρος, καὶ Λακεδαιμονίοις τὸν θεὸν σέβειν προηγάγετο ἐς πλέον. Ἀφυταῖοι δὲ τιμῶσιν Ἄμμωνα οὐδὲν ἧσσον ἢ οἱ Ἀμμώνιοι Λιβύων. *Quin & Lysandrum Aphytin in Pallene oppidum oppugnantem, per nocturnum visum monitum ab Ammone, meliùs Lacedæmoniis eventurum, si Aphytæos desissent bello vexare, & obsidionem solvisse, & Ammonis religiosiùs colendi auctorem tradunt. Venerantur certè Ammonem Aphytæi cultù nihilò minore, quàm Ammonii ipsi in Libya.*

Cassandrenses Claudio gratulantes, nummum cudisse videntur, quòd provinciam Macedoniam ab Augusto P. Romano adscriptam, sed à Tiberio ablatam ipsi reddidisset, de quo Suetonius in Claudio cap. 25. *Provincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit.*

Hic nummus tertiæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.

CORINTHUS.



TI. CLAVDIVS CAES. AVG. Caput Claudii laureatum.
COR. TI. CLAVD. OPTATO. II. VIR. *Corinthi, Tiberio Claudio Optato Duumviro.* Figura militaris in cippo, dextrâ vexillum.

Corinthus, urbs Achaiæ, de qua sæpiùs, Claudio nummos dedicavit ob ipsius erga suam provinciam benevolentiam, cujus meminit Suetonius in ejus vita cap. 4. *Et in commendanda Patribus conscriptis Achaia, gratam sibi provinciam ait, communi studiorum commercio.* Figura militaris in cippo cum vexillo, fortè in memoriam recuperatæ sub eo aquilæ militaris, quæ ex clade Variana sola adhuc restabat, de qua Dio lib. 60. pag. 670. *Eodem anno Sulpicius Galba Chattos vicit, ac P. Gabinius Gauchos: qui inter alia, quæ laudi ipsi essent, militarem aquilam, quæ solâ clade Varianâ adhuc supererat, recuperavit, quibus utrisque verum Imperatoris nomen Claudio partum est.* Idem ferè typus in plurimis argenteis denariis, ob vota Marti nuncupata pro salute & reditu Augusti, signatus est; forsan etiam pro salute & reditu Claudii ex Britannia redeuntis paria vota suscepta sunt: bis enim jactatus maris procellis, Massiliam appulit, & iter per Galliam fecit; Senatus ei ob res in Britannia gestas, triumphum, ludos annuos, arcum & alia decrevit. Amicus noster ad deductæ Coloniæ symbolum vexillum tanquam aræ impositum existimat.

mat. *Tiberius Claudius Optatus*, an Claudii libertus, Corinthi Duumvir creatus. In Indice Gruteriano TI. CLAVDIVS AVG. LIB. CORINTHVS memoratur.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.



CLAVD. CAES. AVG. Caput Claudii laureatum.

COR. OCTAVIO LVSCINO II. VIR. ITER. *Corinthi, Octavio Luscino Duumviro iterum.* Templum sex columnarum in rupibus.

Rupes supra quam templum visitur, Acrocorinthus est, stadiorum trium & dimidiati altitudine ad perpendiculum, sub cujus radice in plano, instar mensæ, jacet oppidum Corinthus; mons ille mœnibus olim circumdatus, arcis usum præbuit. In ejus aditu templum Veneri dicatum est, ut ex Strabone & Pausania diximus, quod in hoc nummo exhibere videtur Duumvir ille gentis Octaviæ in memoriam, quòd Octavius Julii Cæsaris ex sorore nepos in Juliam familiam adoptatus fuerit. Julia gens enim à Venere originem duxisse gloriabatur, ut Julius Cæsar ipse apud Suetonium cap. 6. *A Venere Julii, cujus gentis familia est nostra. Octavia* gens, antiquissima. *Luscinus* cognomen à lusco videtur diminutivum ab oculi pravitate.

Hic nummus minimi moduli, nec rarus nec obvius, à Jo. Petro Bellorio in 2. edit. Angelonii pag. 43. vulgatus est cum voce CINO, *quam alterius Duumviri nomen fuisse existimat.*



CLAVD. CAES. Caput Claudii laureatum.

COR. OCTAVIO LVSCINO. II. VIR. ITER. *Corinthi, Octavio Luscino Duumviro iterum.* Pegasus supra montem.

Alter ecce nummus sub eodem Octavio Luscino Duumviro percussus, ad Corinthum spectans. Mons ille non Parnassus est, ut ratus est Com. Mediobarbus pag. 85. qui detritam vidit ejus epigraphen, sed Acrocorinthus, ubi Pegasus bibens ad Pirenen fontem, captus est à Bellerophonte, ut narrat Strabo lib. 8. pag. 379. Δι' αὐτῆς ἢ τὸ παλαιὸν ὑπολιπέον τὴν Πειρήνην ἐπιπολάζειν, καὶ κατάῤῥυτον ποιεῖν τὸ ὄρος. Ἐνταῦθα δέ φασι πίνοντα τὸν Πήγασον ἁλῶναι ὑπὸ Βελλεροφόντου πτηνὸν ἵππον ἐκ τοῦ τραχήλου τῆς Μεδούσης ἀναπτάντα κατὰ τὴν Γοργοτομίαν. *Aut antiquitus exundasse Pirenen, & montem irrigasse. Ibi Pegasum, cùm biberet, captum aiunt esse à Bellerophonte, volucrem equum, qui ex collo Medusæ, cùm Gorgo amputaretur, extiterit.* Unde ad urbis antiquitatem in nummis Pegasus signatus est, & monetam olim Corinthiam, *Pullum* apud Jul. Pollucem vocatam, quod insculptum haberet Pegasum, alicubi diximus.

Hic nummulus inter raros & elegantes reponendus.

PATRÆ.



TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. Caput Claudii nudum.

COL. A. A. P. LIBERIS AVG. *Colonia Augusta Aroe Patrensis, liberis Augusti.* Caput pueri inter duo capita muliebria, cornucopiæ hinc & inde imposita.

Colonia Patrensis Achaiæ caput, ut aliquo modo se Imperatori gratam præberet ob singularem erga provinciam affectum, quam Suetonius Patribus conscriptis commendasse narrat, postquam ipsam iis reddidisset, ut liquet ex Dione lib. 60. pag. 680. Τήν τε Ἀχαΐαν καὶ τὴν Μακεδονίαν αἱρετοῖς ἄρχουσιν, ἐξ ὅπερ ὁ Τιβέριος ἦρξε, διδομένας ἀπέδωκεν ὁ Κλαύδιος τότε τῷ κλήρῳ. *Achaiam & Macedoniam jam inde à principatu Tiberii Præsidibus electis administratas, sorti reddidit.* Nummos suos Claudio & ejus liberis dedicavit. Caput puerile, Britannicus est infelix ille Princeps, & à sinistris Octavia ejus soror,

ſoror, quos ex Meſſalina Claudius ſuſtulit; à dextris Antonia eſt, quam ex Ælia Petina antè habuerat: utramque viris traditam anno U. C. 795. narrat Dio in Claudii vita pag. 668. Τὰς γοῦν θυγατέρας ἐν τῷ ἔτει τούτῳ, τὴν μὲν ἐγγυήσας Λουκίῳ Ἰουνίῳ Σιλανῷ, τὴν δὲ ἐκδοὺς Γναίῳ Πομπηΐῳ Μάγνῳ. *Filias duas eodem hoc anno, unam L. Junio Silano, alteram Cn. Pompeio Magno nuptum tradens.* Antonia Cn. Pompeio Magno, deinde Fauſto Syllæ nupſit, quos Claudius interfici juſſit: Octavia verò Silano deſponſata quidem, ſed illo à Vitellio Cenſore è Senatu ob ſororis amores falsò objectos moto, morique poſtea coacto, Neroni anno U. C. 805. uxor data eſt, omnes hi liberi Claudio patri, ex Tacito Annal. lib. 12. ſuperſtites.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, ab Octavio Strada Rudolphi II. Imp. Antiquario pag. 37. ab Ill. Spanhemio diſſert. 7. pag. 647. à Patino pag. 99. & à Jo. Petro Bellorio in Angelonio pag. 42. vulgatus, inter rariſſimos numerandus.



TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERMANICVS. Caput Claudii laureatum.
COL. A. A. PATR. XXII. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis, viceſima-ſecunda,* ſubauditur *Legio.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Patinus pag. 96. narrat Legionem viceſimam ſecundam ab Auguſto in Ægypto conſtitutam, hoc monimentum ſui erga Principem Claudium amoris erexiſſe. Sponius Itin. tom. 2. pag. 17. Claudii ævo hanc Legionem Patris commoratam putat, hæc inquit: *Ce qui m'apprit que la vingt-deuxieme Legion étoit pour lors à Patras.* Sed Patrenſes ad Coloniæ originem ex Veteranis Legionis vigeſimæ-ſecundæ, cognomine *Primigeniæ,* ab Auguſto deductæ indicandam nummum cuderunt. Euſebius in Chronico anno U. C. 740. Corn. Lentulo & Licinio Craſſo Coſſ. Patras conſtitutas tradit. Ἀποικίας εἰς Πάτρας καὶ Βηρυτὸν Ῥωμαῖοι ἐξέπεμψαν. *Colonias Patras & Berytum Romani deduxerunt.* Auguſtus Veteranos vigeſimæ-ſecundæ, quam in Ægypto collocaverat, colonos Patras tranſmiſit: Legio enim in Ægypto uſque ad Veſpaſiani tempora morata eſt, qui ea uſus eſt in bello Judaïco, deinde ab Hadriano, ut videtur, in Germaniam traducta fuit. Spartianus in vita Didii Juliani; *Poſt Præturam Legioni præfuit in Germania vigeſimæ-ſecundæ Primigeniæ.*

Hic nummus mediocris moduli, ab Erizzo pag. 88. & à Patino pag. 99. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.

PHILIPPI.



TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. Caput Claudii nudum.
COL. AVG. IVL. PHILIPP. *Colonia Auguſta Julia Philippenſis.* Duæ figuræ baſi inſiſtentes, altera virilis paludata, dextram elevans, lævâ ad latus; altera muliebris feminuda cum pallio, dextrâ coronam ſupra caput prioris imponens; in baſi DIVVS AVG.

Philippi, urbs & Colonia Macedoniæ ad Pangæi montis radices; priùs *Crenides*; deinde à Philippo Rege de nomine ſuo appellata eſt, teſte Diodoro lib. 16. pag. 413. Μετὰ δὲ ταῦτα παρελθὼν ἐπὶ πόλιν Κρηνίδας, ταύτην μὲν ἐπαυξήσας οἰκητόρων πλήθει, μετωνόμασε Φιλίππους, ἀφ' ἑαυτοῦ προσαγορεύσας. *Hinc ad Crenidas profectus urbem habitatorum frequentiâ amplificatam, de nomine ſuo Philippos nuncupavit.* Nomen *Juliæ*, Coloniam à Julio conſtitutam, ut *Auguſtæ*, ab Auguſto colonis iterum deductam arguit. Dio auctor eſt hunc extorres in eam tranſmiſiſſe l. 51. p. 445. τοὺς γὰρ δήμους ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τοὺς τὰ τοῦ Ἀντωνίου φρονήσαντας, ἐξοικίσας τοῖς μὲν στρατιώταις, τάς τε πόλεις καὶ τὰ χωρία αὐτῶν ἐχαρίσατο, ἐκείνων ἢ δὴ τοῖς μὲν πλείοσι τό, τε Δυρράχιον, καὶ τοὺς Φιλίππους, ἄλλα τε ἐποικεῖν ἀντέδωκε. *Nam eos conventus Italiæ, qui Antonii rebus ſtuduiſſent, extorres egerat, militibuſque agros eorum donaverat: extorrium autem pleriſque Dyrrachium, Philippos, & alia oppida habitanda conceſſit.* Nomen *Juliæ* tantùm ut antiquiùs in veteri lapide præfert apud Sponium Miſcell. 5. pag. 173. Patinus pag. 99. duas figuras paludatas in nummo ſcalpi curavit, Julium Cæſarem & Auguſtum eſſe ex epigraphe baſi impoſita exiſtimans: *Duo illi viri militari habitu non alii mihi videntur, quàm Julius Cæſar & Auguſtus. Conjecturam firmat* DIVVS AVG*uſtus baſi inſcriptus.* Sed conſtanter mulier ſupra figuræ militaris

caput coronam sustinet; titulus verò ad solum Augustum pertinet, & quidem post ejus mortem ipsi concessus: ideo ejus effigiem à Philippensibus ob Coloniæ restaurationem publicè erectam; mulierem verò seminudam ipsum coronantem, urbis Genium arbitramur: in plurimis autem Græcis nummis sæpe Genius Imperatoribus coronam imponit.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habendus, vulgatus ab Ill. Spanhemio cum figura muliebri differt. 2. pag. 57. sed deinde Patini typum pag. 99. in Julian. Cæss. pag. 221. sequutus est.

PTOLEMAIS.



TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. Caput Claudii nudum.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Colonus agens boves, pone quatuor signa militaria, in aliis quinque.

Ptolemais, urbs quatergemina, una Æthiopiæ sub Ægypto, altera Cyrenaica, tertia Ægypti in Thebaide, quarta Phœniciæ littoralis, ad quam pertinet hic nummus. Hæc autem Coloniam accepit à Claudio, teste Plinio lib. 5. cap. 19. *Colonia Claudii Cæsaris Ptolemais, quæ quondam Ace.* Hoc nomen sortita est ab Hercule, si Stephano credendum. Πτολεμαῒς πόλις Φοινίκης, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Ἀκὴ, ἀπὸ τῆς ἰάσεως τοῦ συμβάντος δήγματος Ἡρακλεῖ ὑπὸ ὄφεος. *Ptolemais urbs Phœniciæ, priùs Ace vocabatur, ex curatione morsus inflicti Herculi à serpente.* Colonus agens boves, deductæ à civibus coloniæ symbolum est: sed signa illa circumstantia veteranos Legionum milites in eam simul etiam transmissos arguunt. Patinus nummum cum simili typo vulgavit pag. 100. quem nos etiam vidimus, cui post vocem COL. pro detritis litteris PTOL. substitutæ erant CL. & interpretatus est *Colonia Claudianopolis*, quam Amm. Marcellinus in Isauria locat. P. Harduinus p. 414. Patini inscriptioni COL. CL. addit PTOL. & reddit, *Colonia Claudii Ptolemais.* Interim Lectorem monere debemus, nos Claudii & Neronis nummos Ptolemaide cusos tractasse, in quibus legitur COL. PTOL. & non COL. CL. PTOL.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ inter rariores reponendus.

MESSALINA.





MESSALINÆ nummi ex omni metallo & forma, eximiæ & singularis elegantiæ sunt & raritatis, aurei nec argentei; imò & æris senatusconsulto cusi, non observantur. Senatus auctoritatis suæ adhuc nimiùm studiosus, Imperatorum uxoribus nummos non dedicabat; & si Dioni fides adhibenda, Messalina Augustæ nomen serò habuit lib. 60. pag. 673. Ἡ τὴν Μεσσαλίναν Αὐγοῦσταν ἐπικληθῆναι ἐφῆκεν. *Neque Messalinæ Augustæ nomen dari passus est.* Hunc verò titulum forsan Senatus post Britannicam expeditionem cum aliis honoribus ab ipso ei tributis concessit, quem Coloni ipsi blandientes in ejus nummis imposuerunt.



MESSALINA. AVG. CYTHERONTE. II. VIR. *Messalina Augusta, Cytheronte Duumviro,* Caput Messalinæ.

TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. Caput Claudii sine laurea.

Nummulus Messalinæ in Colonia cusus locum hìc habere debet, præsertim cùm rarissimam ejus effigiem exhibeat, etsi urbis nomen non præferat, solo Duumviri Cytherontis nomine inscripto; hoc verò cognomen in altero Augusti nummo in Colonia signato legitur, cui urbis pariter nomen deest, VICTORIA AVG. CYTHERONTE ET POLLIONE. II. VIR. ITER. circa Victoriam gradientem: forsan occurret aliquando nummus, in quo nomen urbis additum sit, ut nonnunquam in aliis observatum est. Interim si conjecturæ locus est, illum Corinthi cusum suspicamur ob Pollionis cognomen in hac sola Colonia vulgare.

Hic nummus minimæ formæ eximiæ raritatis est.





AGRIPPINA.





Ulia Agrippina, Germanici & Agrippinæ filia, Cn. Domitio nupsit, ex quo Neronem Imp. tulit; deinde Claudii Cæsaris patrui uxor, primum locum inter principes fœminas tenet; nam si ambitionem coërcere potuisset, Imperio digna erat, & hic locum habere debet ut Coloniæ fundatrix; teste Tacito Ann. 12. *Sed Agrippina quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, Veteranos Coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* Vocaturque ex eod. Tacito & Plinio, *Colonia Agrippinensis.*

CORINTHUS.



AGRIPPINA AVGVSTA. Caput Agrippinæ.

COR. MA. ACILIO...... II. VIR. *Corinthi. Manio Acilio...... Duumviro.* Figura togata stans, dextrâ pateram, lævâ scipionem.

Agrippina junior ab Agrippina matre titulo *Augustæ* distinguitur, quem hæc non obtinuit Germanico ejus marito *Cæsare* tantùm vocato, filia verò eo donata est, anno Claudii Imperii 10. & U. C. 802. si Tacito fides Ann. 12. *Augetur & Agrippina cognomento Augustæ.* Corinthii hinc matrem, inde filium togatum, & scipione eburneo Proconsularis Imperii symbolo ornatum exhibent, de quo Tacitus Ann. 16. *Virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reip. habilis videretur, & Cæsar adulationi Senatus libens cessit, ut 20. ætatis anno Consulatum Nero iniret, atque interim designatus, Proconsulare Imperium extra urbem haberet. Manius* dictus est, qui mane est ortus. Cognomen *Acilii* detritum. *Acilia* gens, plebeia.

Hic nummus minimæ formæ inter rarissimos computandus.



AGRIPPINA AVGVSTA. Caput Agrippinæ.

COR. MA. ACILIO...... II. VIR. *Corinthi, Manio Acilio...... Duumviro.* Figura togata stans, dexterâ pateram porrigit figuræ muliebri pariter stanti, & serpentem gerenti.

En alter nummus cum capite Agrippinæ ex una parte & Nerone stante ex altera, sub eodem Duumviro percussus, cui addita est Salutis effigies serpentem præ manibus gerens: cùm autem Neronem morbo lethali laborasse non legamus, existimandum potiùs Duumvirum Acilium, cujus nomen Fulv. Ursinus ab ἀκέομαι, id est *sano*, derivat, ad originem suam indicandam, Salutem Deam in hoc nummo signasse, tanquam salutis Imperatoriæ conservatricem: huic verò Deæ Nero pateram porrigit, ut ei sacra faciens.

Hic nummus tertiæ magnitudinis pro elegantissimo numerandus.

AGRIP-



AGRIPPINA AVGVSTA. Caput Agrippinæ.
COR. Q. FVLVIO. L. ANNIO. II. VIR. *Corinthi, Quinto Fulvio; Lucio Annio Duumviris.* Venus nuda in curru marino, quem Triton concham gerens, & una ex Nereidibus tibiam inflans, ducunt.

Corinthii Agrippinæ, penes quam tota Imperii poteſtas videbatur, adulantes, quaſi alteram Venerem formâ excellentem in curru triumphantem ſignarunt, ut tutelarem urbis Deam, quam in Cenchris altero urbis navali colebant, ut tradit Pauſanias in Corinth. Ἐν δὲ Κεγχρείαις Ἀφροδίτης τέ ἐστι ναὸς, καὶ ἄγαλμα λίθου. *In ipſis Cenchreis Veneris delubrum, & marmoreum ſignum.* Veneris effigies variis modis depingitur, ut illa ſub diverſis nominibus nuncupatur, ſed hæc ex maris ſpuma genita, Aphrodite, Pelagia, & Anadyomenē dicta eſt. *Fulvia* gens & *Annia*, utraque plebeia eſt.

Hic nummus minimi moduli elegantiſſimus eſt.



AGRIPPINA AVGVSTA. Caput Agrippinæ.
COR. Q. FLACCO II. VIR. in aliis, Q. FVL. FLACCO. II. VIR. *Corinthi, Quinto Flacco Duumviro*, in aliis *Quinto Fulvio Flacco Duumviro.* Typus idem.

Q. Fulvius ſuperiorem nummum cum collega L. Annio Duumviro Agrippinæ obtulit, alios verò ſeorſim modò cum *Fulviæ* familiæ ſuæ nomine, modò cum ſolo *Flacci* cognomine eidem conſecravit, in quibus eadem Venus in curru à Tritone & una ex Nereidibus ducitur. Triton Neptuni & Salaciæ marinæ Nymphæ filius eſt, quem fingunt Neptuni tubicinem, Ovid. Met. 2.

Cæruleos habet unda Deos, Tritona canorum.

Nereides ſunt maris Nymphæ, & Doridis filiæ, quarum nomina apud Heſiodum in *Theogonia* enumerantur.

Flaccus cognomen *Fulviæ* genti peculiare: primus hujus nominis Q. Fulvius Flaccus Conſul an. U.C. 489. extitit. Fulviam gentem ab Hercule Tuſculo deductam tradunt, illamque ab eodem jam laboribus perfuncto ſacra accepiſſe, Cicero docet in orat. pro domo ſuo.

Uterque nummus minimæ formæ, rariſſimus eſt, prior à Patino in Sueton. pag 292. vulgatus, ab eodem in Theſ. Mauroceno pag. 94. in poſteriori pro Q. PVB. FLACCO *lege* Q. FVL. FLACCO.



AGRIPPINA AVGVSTA. Caput Agrippinæ.
COR. M. SILANO. II. VIR. *Corinthi, Marco Silano Duumviro.* Typus idem.

Ecce ſub altero Duumviro Silano à Corinthiis iterum ſignatus ille triumphus Veneris Anadyomenes ita cognominatæ, quòd ex mari exiret: an ipſi Agrippinæ adulantes, quòd Nero filius tabulam alteram Veneris exeuntis è mari ſubſtituerit in locum illius eraſæ, quam olim Auguſtus in delubro Divi Julii patris dedicaverat, forſan in matris gratiam, quòd illa Juliæ nomen gereret, ſoretque ex ipſa Juliæ gentis familia; ea namque Germanici filia, ille Tiberii filius adoptivus, Tiberius Auguſti, Auguſtus verò Julii Cæſaris: ſed Plinium audias de hac tabula loquentem lib. 35. *Venerem exeuntem è mari D. Auguſtus dedicavit in delubro patris Cæſaris, quæ Anadyomene vocatur: hujus enim inferiorem partem corruptam qui reficeret, non poterat inveniri, verùm ipſa injuria ceſſit in gloriam artificis, conſenuit hæc tabula carie, aliaque pro ea Nero in principatu ſubſtituit ſuo, Dorothei manu.* Corinthii Venerem quidem Pelagiam illam in nummis triumphali ferè modo è mari exeuntem repræſentarunt.

Silanus cognomen est Juniæ gentis, Claudii tempore satis notæ, familiare: nomen *Silanus* accipitur hîc per *i* latinum & *l* unum, pro *Syllanus*, ut alii proferunt, ut non à *Sylla*, sed à *Silo* derivatum. *Silus* autem appellatur à naso sursùm versus repando, apud Festum.

Hic nummus minimi moduli in Cimelio Barberino, rarissimus est.

PATRÆ.



AGRIPPINA AVGVSTA. Caput Agrippinæ.

COL. A. A. P. GENIVM. *Coloniæ Augustæ Aroæ Patrensis Genium.* Duæ figuræ togatæ dextras sibi jungentes.

Patrensis Colonia memor, quòd Achaia Provincia Claudio olim tam grata esset, nummos Agrippinæ ejus uxori dedicat, in cujus aversa parte ipsum Claudium dextram cum Nerone jungentem in adoptionis monimentum exhibet: ille enim, ut inquit Suetonius in vita Neronis cap. 7. *undecimo ætatis anno à Claudio adoptatus est.* Amicus noster duas illas figuras stantes Neronem & Britannicum esse existimat, sed uterque hîc togatus est, nec Britannicus ex eodem Suetonio togam virilem adhuc acceperat, in Claudio cap. 43. *Sub exitu vitæ obvium sibi Britannicum complexus hortatus est ut cresceret... cumque impubi teneroque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset*, sed frequens est adoptantis & adoptati dextras jungentis typus; sic Nerva cum Trajano, Trajanus cum Hadriano, M. Aurelius cum L. Vero in eorum nummis exhibentur.

Hic nummus tertiæ magnitudinis inter rarissimos & elegantissimos recensendus.

IVLIAI. AVG.
AGRIPPINAI.
GERMANICI.
CÆSARIS F.

TI. CLAVDI. CAISAR.
AVGVSTI.
PATRIS PATRIAE.

Grut. 236. 9.

N E R O.





NERO, ut inquit Suetonius, *cùm augendi propagandique Imperii neque voluntate ulla, neque spe motus unquam fuisset, Ponti modò regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit.* Colonias verò in Italia constituit *Antium* & *Atinam* in Latio, *Beneventum* in Herpiniis, *Capuam* & *Nuceriam* Campaniæ additis Veteranis firmavit; *Puteoli* urbs in Campania jus Coloniæ & cognomentum ab eo adepta est; *Sæpinum* in Samnium deduxit: Legiones etiam tres instituit, *Primam Italicam*, *Primam Classicam*, & *Hispanam*, à Galba postea exauctoratam.

NERONIS *nummi primæ magnitudinis hactenus non observati sunt; secundæ & minimæ formæ, obvii & frequentes.*

B A B B A.



NERO CLAVDIVS CAESAR. Caput Neronis nudum.
C. C. I. B. EX CONS. D. *Colonia Campestris Julia Babba ex consensu Decurionum.* Caput barbatum, ante quod serpens.

Babba, urbs Cæsareæ Tingitanæ, ut plurimos Claudio, à quo beneficium quoddam accepisse videtur, nummos dedicavit, ita Neroni suos consecrat; & cùm hic tantùm Cæsaris nomen præferat cum capite nudo, ac sine corona, nummum in adoptionis ejus monimentum percussum arbitramur. Tacitum audias de illius adoptione loquentem Annal. lib. 22. *L. Domitius adoptione, mox in imperium & cognomentum Neronis adscitus.... verùm inclinatio populi supererat ex memoria Germanici, cujus illa reliqua soboles virilis.* Caput illud barbatum, Æsculapii est, quem serpens Salutis symbolum denotat: is enim in nummo signatus ad indicandum ejus apud Babbenses cultum, uti Jovem sub tauri figura in Claudii nummis illi percusserunt.

Hic nummus minimi moduli inter rariores collocandus, vulgatus ex Museo Sangenovefæo in Seguini edit. 2. pag. 318. nunc in Thesauro Regio asservatur.



NERO CLAVDIVS CAESAR. AVG. Caput Neronis nudum.
C. C. I. B. EX CONS. D. *Colonia Campestris Julia Babba, ex consensu Decurionum.* Pons cum tribus fornicibus.

Babba in Mediterraneis à Lixo littorali oppido remota, teste Plinio lib. 5. cap. 1. *Ab Lixo* XL. M. *in Mediterraneo altera Augusti Colonia est; Babba Julia Campestris appellata*, sita est ad Guarguam amnem, à Baroniso monte, si fides V. Cl. Drapper in Tabulis nuper de Africa editis, exortum, in quo Nero pontem exstruxisse videtur, cujus ectypum Babbenses ad munificentissimi Prin-

cipis memoriam in nummis suis consignarunt. Jam annotavit P. Harduinus pag. 86. Tristanum hunc nummum pag. 216. cum epigraphe mutila EX CON. CC. II. perperam *ex consensu civitatum Campaniæ duarum* interpretatum esse.

Hic nummus minimi moduli, à Tristano tom. I. pag. 216. vulgatus, inter rarissimos adscribendus.



NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. GER. Caput Neronis radiatum.
C. C. I. B. EX CONSENSV D. *Colonia Campestris Julia Babba, ex consensu Decurionum.* Bos cornupeta.

Bos in hoc nummo non quietus, ut Coloniæ symbolum, non infulâ insignis, nec vittis ornatus pro sacrificiis, sed cornupeta, κερύπτυλος, qui cornibus ferire paratus; ideo non sacrificandus, ut putat Patinus pag. 115. sed ludos indicat à Babbensibus in honorem Neronis de se benemeriti Principis ad ejus imitationem editos. Nero quippe, ut indicat Dio lib. 61. pag. 693. Romæ ludos & taurorum spectacula exhibuit: Εν τέ τινι θέᾳ ἄνδρες ταύρους ἀπὸ ἵππων συμπαραθέοντες σφίσι, κατέστρεφον. *Per id tempus editum est spectaculum, in quo homines in equis insidentes, magno cursu atque impetu in tauros facto, eos occiderunt.* Tales typi in argenteis Augusti nummis cum bove cornupeta & epigraphe IMP. X. in aliis IMP. XII. observantur.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 115. vulgatus, inter elegantiores annumeratur.

CARTHAGO Africæ.



NERO CLAVD. CAES. AVG. Caput Neronis laureatum.
C. I. C. A. D. D. *Colonia Julia Carthago Antiqua, decreto Decurionum.* Colonus agens boves.

De Carthagine Africæ in Julio & Agrippina majore dictum est. Illa in nummo *Antiqua* perhibetur, ad distinctionem Carthaginis Hispanicæ, quæ *Nova* appellata est. De illius antiquitate narrat Eusebius in Chron. quam post Romam 70. annis à Didone Tyria conditam, imò ante Romam 72. annis tradit Justinus lib. 18. cap. 6. *Condita est urbs hæc* LXXII. *annis antequam Roma.* Et saltem 50. si credas Appiano in Lybic. unde Virgilius Æneid. I.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago.

Carthaginenses Neroni nummos dicarunt, ipsi forsan gratulantes, quòd edictum de condendis urbibus in Africâ ex finibus Carthaginensis provinciæ in Ægyptum usque promulgaverit, ut vetus apud Gruterum inscriptio nos edocet. Typus coloni boves ducentis, in memoriam Coloniæ à Julio Cæsare deductæ, à quo Nero originem ducebat, signatus videtur.

Hic nummus ad tertiam potiùs quàm ad secundam formam spectans, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

CASSANDRIA.



NERO CLAVDIVS CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. P. P. Caput Neronis radiatum.
COL. IVL. AVG. CASSANDRENS. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis.* Caput Jovis Ammonis.

Titu-

Titulum *Patris Patriæ* Neronem initio Imperii recusaſſe narrat Suetonius cap. 8. *Ex immenſis quibus cumulabatur honoribus, tantùm Patris patriæ nomine recuſato propter ætatem.* Caſſandrenſes Macedoniæ, qui Claudio, ut dictum eſt, ob provinciam Populo Romano redditam gratulantes, nummos dedicarunt, Neroni quoque filio ejus adoptivo & ſucceſſori obſequium pariter his monumentis teſtantur. *Julii* dicuntur ob deductam à Julio Cæſare Coloniam; *Auguſtani* verò, ob colonos ab Auguſto iterum in eam tranſmiſſos, à quo forſan juris Italici facti ſunt, ut eos fuiſſe tradit Paulus lib. 2. de Cenſibus: *In provincia Macedoniæ Dyrracheni, Caſſandrenſes, Philippenſes, Dienſes, Stobenſes, juris Italici ſunt.*

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 115. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.

CORINTUS.



NERO CLAVD. CAESAR. Caput Neronis ſine laurea.
COR. TI. CLAVDIO OPTATO II. VIR. *Corinthi, Tiberio Claudio Optato Duumviro.* Bellerophon capiſtro Pegaſum retinens.

Hic Neronis nummus cum Cæſaris nomine & ſine corona à Corinthiis vivente Claudio percuſſus eſt, præſertim cùm ſub eodem Tiberio Claudio Optato Duumviro alter huic Imperatori dedicatus ſit. Corinthus nummos Neroni adhuc Cæſari dedicavit ob ejus adoptionem, & matrimonium cum Octavia Claudii filia, quorum meminit Dio lib. 60. pag. 686. Ὁπότε δὲ ὁ Κλαύδιος τὸν Νέρωνα τὸν υἱὸν αὐτῆς εἰσεποιήσατο, τότε καὶ γαμβρὸν ἐποιήσατο. *Quo tempore Claudius Neronem Agrippinæ filium adoptavit, generum eum quoque ſibi fecit.* Jure autem hoc civili Imperium ad Neronem ſpectavit. Tiberius Claudius Optatus Claudii libertus fuiſſe videtur: multi enim Tiberii Claudii cognominati ſunt apud Gruterum, Claudii Imperatoris liberti, Optatuſque liberti cognomen apud eum perhibetur pag. 64. 1. Bellerophon cum Pegaſo, ad urbis antiquitatem indicandam, in nummo cælatus eſt. Vide in Julio.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino in Suetonio pag. 299. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.



NERO CLAVD. CAES. Caput Neronis ſine laurea.
COR. C. IVLIO POLYAENO II. VIR. *Corinthi, Caio Julio Polyæno Duumviro.* Bellerophon capiſtro Pegaſum retinens.

Eadem epigraphe, & caput idem Neronis nudum, vivente etiam Claudio nummum Neroni Cæſari percuſſum indicant, & quidem eodem anno U. C. 807. cùm Claudius III. Idus Octobris mortuus ſit, Claudio Optato & Julio Polyæno ſimul Duumviris, ut ex ſequentibus conjicimus nummis. Alii Bellerophontem Glauci filium memorant. Hyginus fab. 157. eum Neptuni ex Eurynome Nyſi filia filium tradit; ſed Palæphatus de Fab. lib. 1. hiſtoriam narrat. *Verùm ergo ita habet, Bellerophontes Phrygius vir erat genere quidem Corinthius, bonus pulcherque ſatis: hic cùm navigium ſibi præparaſſet, maritima circumquaque loca deprædabatur; nomen autem navis Pegaſus erat, ut nunc quoque ſuum cuilibet navigio nomen inditum eſt. Nomen autem id Pegaſi navigio magis quàm equo aptum fuiſſe videtur, &c. quo ex facto fabula conficta eſt.* Corinthii fabularum amatores, Bellerophontem civem ſuum, ſeu Regis ſui filium, ſibi vendicarunt. C. Julius Polyænus Duumvir originem habere videtur à quodam Græco Julii Cæſaris liberto, quod prænomen & nomen Juliæ gentis denotant. *Polyænus* cognomen, id eſt *multa laude dignus.*

Hic nummus minimi moduli nec rarus nec obvius eſt, à Patino in Suetonio pag. 299. in quo legendum jam monuit P. Harduinus POLYAENO *pro* POLYRENO; *ut apud Mediobarbum pag. 95.*



NERO CLAVD. CAES. AVG. Caput Neronis laureatum.

COR. TI. CLAVDIO OPTATO II. VIR. *Corinthi, Tiberio Claudio Optato Duumviro.* Corona ex apio, in qua ISTHMIA.

En alter nummus ſub eodem Ti. Claudio Optato Duumviro Neroni dicatus cum Auguſti nomine, ipſoque laureâ inſigni; unde cùm idem Duumvir Claudio Imperatori & Neroni Cæſari deinde Auguſto nummos percuſſerit, eum Corinthi Duumviratum geſſiſſe anno U. C. 805. conjicimus, quo Claudius regnavit, cùm Nero Cæſar eſſet, Claudio verò III. Idus Octobris mortuo, Nero Imperium adeptus, Auguſtus appellatus eſt. Corona illa ex apio contexta, in cujus area hæc vox ISTHMIA, certamina Iſthmica quinto quoque anno celebrata, hoc anno exhibita arguit, quorum præmium erat ex apio arido, cùm priùs Iſthmionicæ pinu coronarentur; de quo Pindarus Od. 2. Epod. I. Ἰν' ἐν ἀγῶσι βαρυκτύπου θάλησε Κορινθίοις σελίνοις. *Quo pacto in certamine Neptunus decoratus fuerit Corinthiacis apiis.*

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.



NERO CLAVD. CAES. AVG. Caput Neronis laureatum.

COR. C. IVLIO POLYAENO. II. VIR. *Corinthi, Caio Julio Polyæno Duumviro.* Corona ex apio, in qua ISTHMIA.

Ex iiſdem nummis Neroni Cæſari, deinde Auguſto, tum ſub Tib. Claudio Optato & C. Julio Polyæno cum ſimilibus typis percuſſis, illos ſimul eodemque anno Corinthi Duumviratum geſſiſſe arbitramur. *Iſthmia* certamina ſunt appellata, quia in Iſthmo quinque tantùm millium ſpatio, ubi Corinthus erat ſita, in honorem Neptuni celebrabantur; ut Plutarcho videtur in Theſeo; vel in Palæmonis honorem, ut ex Archiæ Poëtæ Græco epigrammate colligitur, quod etiam hodie extat in Anthologia: iſta verò certamina ſub his Duumviris celebrata videntur, cùm Nero in Græciam profectus eſt. *Polyænus* cognomen in Græcia vulgare. Polyænus Sardianus Sophiſta vixit ſub Caligula; alter Orator ſcripſit ſub divis fratribus octo Strategematum libros.

Hic nummus tertiæ magnitudinis inter raros numeratur.



NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. TR. P. IMP. P. P. Caput Neronis laureatum.

COR. P. VINICIO II. VIR. *Corinthi, Publio Vinicio Duumviro.* Nero togatus ſtans, dextram porrigit, lævâ volumen, à dextris mulier ſtolata ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ.

Figura muliebris illa, quæ pateram gerit cum cornucopiæ ante Neronem, videtur eſſe Genius Corinthi, tutelam urbis ipſi committens. Populi Imperatoribus & eorum uxoribus adulantes, illos ſæpe Genios appellabant, ut ex nummis liquet GEN. COL. COR. *Genio Coloniæ Corinthi*, & aliarum urbium teſtimonio; imò apud eos maximum fuit juramentum *per Principis Genium*, ut planè Juriſconſulti & Tertullianus oſtendunt. Genius, Deus erat, qui præpoſitus eſſe ac vim habere omnium rerum gignendarum credebatur; ideo illi cornucopiæ dabant, ad rerum omnium ubertatem indicandam. *Vinicia* gens, plebeia, ſed Conſularis. Vide Fulv. Urſinum in *Vinicia*.

Hic nummus minimi moduli inter rariores locandus.



NERO CLAVD. CAESAR AVG. Caput Neronis laureatum.

GEN. COL. COR. Q. FVL. FLACCO. II. VIR. *Genio Coloniæ Corinthi; Quinto Flacco Duumviro.* Genius ſeminudus ſtans; pallio ad cruris medium circumvoluto; dextrâ pateram; lævâ cornucopiæ.

Nero in hoc nummo; ut Genius Populi Romani depingi ſolet, exhibetur, de quo Martianus lib. 2. de Nuptiis Mercurii & Philolog. *Sed quoniam,* inquit, *unicuique ſuperiorum Deorum ſinguli quique deſerviunt, & illorum arbitrio iſtorumque comitatur; & generalis omnium præſul, & ſpecialis ſingulis mortalibus Genius admovetur, quem etiam præſtitem, quòd præſit gerundis omnibus, vocaverunt: nam & populi Genio, cùm generalis poſcitur, ſupplicant.* Genius pateram gerit ex una manu, & ex altera cornucopiæ, quòd veteres exiſtimarent nihil oportere populum guſtare quàm ſacrificio facto Deo abundantiæ auctori: ideo ut plurimùm in nummis additur ara ſertis ornata, & Genio res ſacra fiebat mero & floribus, unde Horatius in Epiſt.

Floribus & vino Genium memorem brevis horæ.

De Fulvio Flacco Duumviro in Agrippina Neronis matre diximus.

Hic nummus minimæ formæ non obvius eſt.



NERO CLAVD. CAES. AVG. Caput Neronis laureatum.

COR. Q. FVL. FLACCO II. VIR. *Corinthi, Quinto Fulvio Flacco Duumviro.* Sol coronâ radiatâ inſignis quadrigas agit, dextrâ flagrum.

Sol ut Tutelaris Corinthi Deus, aut Nero ſub Solis figura in hoc nummo exhibetur; de Sole Pauſanias in Corinthiacis: Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι Ποσειδῶνα ἐλθεῖν Ἡλίῳ περὶ τῆς γῆς ἐς ἀμφισβήτησιν· Βριαρέων δὲ διαιτητὴν γενέσθαι σφίσιν, Ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ ἄκραν Ἡλίῳ δόντα τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως. *Ipſi quidem Corinthii Neptunum narrant in certamen cum Sole de regione deſcendiſſe; diſceptatorem inter eos Briareum fuiſſe, qui cùm Iſthmum Neptuno, Soli verò promontorium quod urbi imminet, adjudicaſſet.* Corinthii verò forſan adulati ſunt Neroni, quem populi Apollinem vocabant, ut teſtatur Dio lib. 61. p. 699. Καὶ ἦν ἀκούειν πάντων αὐτῶν λεγόντων, Ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος. *Tum licebat audire, qui ita dicerent: Quàm pulcher Cæſar, Apollo, Auguſtus.* Apollinem Græci etiam Φοῖβον, hoc eſt *Solem*, appellant: nam, ut cantabat Nero, ſic etiam aurigabat, ſi Suetonium audias in ejus vitâ cap. 24. *Mox & ipſe aurigare, atque etiam ſpectari voluit.* Et paulò pòſt: *Aurigavit quoque pluriſariam, Olympiis verò decem viginti, quamvis idipſum in Rege Mithridate, carmine quodam ſuo reprehendiſſet.* Plurimi ſunt nummi ſub Fulvio Flacco Duumviro Neroni & ejus familiæ percuſſi.

Hic nummulus inter rariores & elegantiores recenſendus.



NERO CLAVD. CAES. AVG. Caput Neronis laureatum.

COR. Q. FVLV. L. ANNIO II. VIR. *Corinthi, Quinto Fulvio, L. Annio Duumviris.* Venus in curru marino, quem ducit Triton concham gerens, cum una ex Nereidibus tibiam inflante.

Eundem typum in Agrippinæ matris nummis ad ejus honorem à Q. Fulvio & L. Annio Duumviris ſignatum ſuprà diximus. Venus Corinthi culta ab antiquis, Amorum, Gratiarum & Pulchritudinis Dea habita eſt, ita ut ipſi exhibuerint ſub Veneris figura Agrippinam formâ decoram, ut tradit

tradit Dio lib. 60. pag. 686. Καὶ μετ' ὀλίγον τὴν ἀδελφιδῆν Ἀγριππῖναν ἔγημε, τὴν τοῦ Δομιτίου τοῦ Νέρωνος ἐπονομασθέντος μητέρα, καὶ γὰρ καλὴ ἦν. *Pauloque post fratris sui filiam Agrippinam matrem Domitii cognomento Neronis, uxorem duxit, formâ insignem.* Is verò nummus à Corinthiis primis Imperii Neronis temporibus percussus est, cùm is maximè matrem venerabatur, ut narrat Suetonius in Nerone cap. 9. *Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit.* De Fulvio & Annio Duumviris dictum est in Agrippina.

Hic nummus tertiæ magnitudinis inter rariores collocatur.



NERO CAE. GERM. AVG. Caput Neronis radiatum.
COR. TI. CLAVDIO. II. VIR. Q. ADV. AVG. *Corinthi, Tiberio Claudio Duumviro Quinquennali, Adventus Augusti.* Nero togatus stans, dextram extendens, lævâ volumen.

Corinthii Neronis in eorum urbem adventum in nummis ad æternam rei memoriam signarunt his notis, ADV. AVG. *Adventus Augusti.* Suetonius in ejus vita cap. 19. *Peregrinationes duas omnino suscepit, Alexandriam & Achaiam: sed Alexandrina, ipso profectionis die, destitit.* Ideo togatus, & non paludatus in nummo exhibetur, quoniam in pace tantùm togæ usus erat; hæc toga à tegendo, quòd corpus tegat, dicta: superimponebatur autem tunicæ; laxa erat, & in sinum multis crispulis substracta succingebatur. Sic togâ ornatus exhibetur Hadrianus in nummis ob ejus peregrinationes cusis. Nummos jam suprà sub Tib. Claudii Optati Duumviratu percussos vulgavimus; in hoc Duumvir Quinquennalis perhibetur. Duumviralis tandem Censoriam dignitatem accepit, penes quam etiam erat monetæ cudendæ facultas, ut & penes Duumviros; quod confirmat nostram de Neronis statua à Duumviris Quinquennalibus posita sententiam.

Hic nummus minimæ formæ inter elegantiores ponendus.



NERO CLAVD. CAESAR AVG. GERM. IMP. Caput Neronis laureatum.
COR. ADVENTVS AVG. *Corinthi, Adventus Augusti.* Navis prætoria.

Corinthii navem, supra quam Nero ad eorum urbem appulerat, ad æternam rei memoriam in nummis cum epigraphe ADVENTVS AVG. insculpere voluerunt. Opinari quidam possent navem ab illis ideo depictam esse, quia triremium inventio ipsis potissimum adscribitur, juxta Thucydidem; sed falsam eorum opinionem inde conjicimus, quòd Patrenses eundem typum cum simili epigraphe percusserint. Triremis prætoria esse videtur, etiamsi tres ejus remorum ordines propter scalptoris negligentiam signati in nummis non observentur. Naves quibus Imperatores vehebantur, utplurimum, ut in Hadriani & Gordiani Pii nummis, ex tribus remorum ordinibus erant compositæ, easque nostris utiliores asserit vir cl. Raph. Fabrettus, qui de iis eruditè disseruit de Col. Trajan. cap. 5. Prætoria navis, ut classis princeps ignem cæteris præfert, à qua discedere etiam in tempestate, nisi data facultate, nuspiam licet.

Hic nummulus frequens est & obvius.



NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. Caput Neronis laureatum.
COR. C. IVLIO POLYAENO II. VIR. *Corinthi, Caio Julio Polyæno Duumviro.* Navis prætoria cum remigantibus.

Hic nummus Neronis in urbem adventum, dum ille portum ingreditur, exhibet. Remigantes in triremi prætoria conspiciuntur, & ut loquitur Virgilius Æneidos lib. 5.

Triplici consurgunt ordine remi.

De

De Neronis in Græciam peregrinatione audias Dionem lib. 63. pag. 719. Τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ κατασκόπους ἑκατέρωσε ἐπεμψεν· ἐς ἣ δὴ τὴν Ἑλλάδα ἐπεραιώθη, οὔ τί γε ὡς Φλαμινῖνος, οὐδ' ὡς Μόμμιος, ἢ καὶ Ἀγρίππας καὶ Αὔγουστος οἱ πρόγονοι αὐτοῦ, ἀλλ' ἐπί τε ἡνιοχήσει καὶ κιθαρῳδήσει, κηρύξει τε καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει. *Sed missis utroque exploratoribus, in Græciam transiit, non ut majores ejus fecerant, Flamininus, Mummius, Agrippa, Augustus; sed ut currus agitaret, citharâ caneret, præconis officio fungeretur, & tragœdias ageret.* Julium Polyænum Corinthi Duumviratum gessisse ex superioribus nummis annotavimus, & quidem cum Claudio Optato collega, ut ex iisdem typis ab utroque percussis opinamur.

Hic nummus minimæ formæ, apud Patinum in Suetonio pag. 299. vulgatus, inter rariores collocandus.



COR. L. CAN. AGRIPPA. AED. *Corinthi; Lucius Caninius Agrippa Ædilis.* Templum quatuor columnis suffultum.

L. Caninius Agrippa in Ædilitatis munere, quo Corinthi functus, nummos etiam in Neronis honorem percussit. De Ædilium officio, & iis permissa cudendæ monetæ facultate, in Calaguritanis Tiberii nummis abunde dictum est: licèt verò ipsi Ædiles magistratus minores ordinarii quotannis crearentur, quo quidem anno cusum fuisse hunc nummum, affirmare difficile videtur. Tacitus anno U. C. 808. potestatem Ædilium à Nerone cohibitam ac diminutam tradit Annal. lib. 13. *Cohibita arctiùs & Ædilium potestas, statutumque quantum Curules, quantum Plebei pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent.* Cùm verò circumventos fraude ab Ædilibus mulctatos fuisse, pecuniamque mulctatitiam operibus publicis faciundis applicatam, ex Livio & aliis colligamus, hoc templum à Caninio Ædili mulctatitiâ pecuniâ restauratum, ob superius Neronis in Ædiles statutum, in hoc nummo conjecturæ locus est. De *Caninia* gente dictum est in Augusto, de qua consule Fulv. Ursinum. *Agrippa* cognomen datum est ei qui cum labore matris natus sit; ex prænomine quidem in cognomen transiit.

Hic nummus minimi moduli inter rarissimos & elegantissimos computandus.

PATRÆ.



NERO CLAVDIVS CAESAR. Caput Neronis nudum.
COL. A. A. PATR. XXII. *Colonia Augusta Aroe Patrensis vigesima-secunda.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Patrensis Colonia Achaiæ provinciæ Neroni gratulans ob ejus à Claudio adoptionem, eundem typum ac Claudio patri adoptivo percussit, aquilam scilicet legionariam inter duo signa militaria, ad Veteranorum Legionis vigesimæ secundæ primigeniæ in urbem ab Augusto traductorum originem indicandam. Legiones nomina & cognomina à variis eventibus indita habuerunt, ut videtur Onuphrio in Imp. Rom. ut *Prima, Secunda,* & deinceps, ab iis qui eas instituerunt, ut *Augusta* & *Claudiana*, &c. vel à provinciis devictis, ut *Gallica* & *Macedonica*; vel à locis in quibus primò institutæ sunt, ut *Italica* & *Fretensis*; aut à Diis, ut *Apollinaris* & *Minervia*; vel postremò ab aliis eventibus, ut *Gemina*, *Victrix* & *Primigenia*. Fortunæ primigeniæ templum in Colle Quirinali fuisse refert Livius Decad. 5. lib. 5.

Hic nummus secundæ magnitudinis rarus est.



NERO CAESAR. AVG. GERM. Caput Neronis laureatum.

C. P. ADVENTVS AVGVSTI. *Colonia Patrensis, Adventus Augusti.* In aliis, C. P. ADVEN. AVG. CLEANDER..... *Colonia Patrensis, Adventus Augusti, Cleander.* Navis cum remigantibus.

Triremis prætoria cum epigraphe ADVEN. AVG. à Colonia Patrensi in memoriam adventus Neronis in urbem, in nummo percussa est. Dio Neronem in omnibus Græciæ urbibus, exceptis Athenis & Lacedæmone, certasse tradit lib. 163. pag. 721. Ἠγωνίσατο δὲ ἐν πάσι ὁμοίως πόλει ἀγῶνα ἐχούσῃ πλὴν Ἀθηνῶν καὶ Λακεδαιμονίων· ταύτας γὰρ μόνας οὐδὲ ἐπεφοίτησε τὴν ἀρχήν. *Certavit in omnibus urbibus in quibus fiebant certamina, Athenas & Lacedæmonem excipio, quas urbes prorsus non adiit.* Nero in illa peregrinatione pro armis milites, quos Neronianos vocavit, citharas, plectra & personas ferre jussit: nam ille vocem exercere, meditari cantilenas, & alia ejusmodi facere consueverat, ut in certamine citharœdorum victor, in Cæsarum certamine victus discederet. De magnificentia Patrarum Odei (quod est ac si Cantilenarium dixeris) Pausaniam audias in Achaicis. Κεκόσμηται δὲ ἐς ἄλλα τὸ ᾠδεῖον ἀξιολογώτατα τῶν ἐν Ἕλλησι, πλήν γε δὴ τοῦ Ἀθήνησι· τοῦτο γὰρ μεγέθει τε καὶ ἐς τὴν πᾶσαν ὑπερῆρκε κατασκευήν. *Exornatum Odeum illud est omnium, quæ in Græcia sunt, magnificentissimum, excepto duntaxat eo quod Athenis est: illud enim & magnitudine, & ornamentorum insignibus facile superat quorumvis operum splendorem.* Cleander in nummo inscriptus, magistratum obtinere videtur sub quo percussus est nummus; sed cùm Patrenses Duumviros & alios magistratus in nummis exhibuisse nondum viderimus, nummus integrior expectandus.

Uterque nummus secundi & minimi moduli, rarus est.

NERO CAESAR AVG. GERM. IMP. Caput Neronis laureatum.

C. P. CLEANDRO. P. Q. CO... DO... *Colonia Patrensis, Cleandro.* Detritæ sunt litteræ. Nero togatus supra basim columnæ, dextrâ extensâ, lævâ cartam involutam.

Statua hæc basi imposita, à Patrensibus Neroni videtur locata ob libertatem universæ Græciæ ab illo concessam, teste Suetonio in ejus vita cap. 24. *Provinciam universam libertate donavit; simulque judices civitate Romana & pecunia grandi: quæ beneficia è medio stadio Isthmiorum sua ipsa voce pronuntiavit.* Quem magistratum gesserit Cleander ille, sub quo hic & superior nummus cusi sint, ex epigraphe exesa pronuntiare non potuimus. *Cleander* cognomen, idem sonare videtur quod *celebris vir.* Cognomina Græca sæpe sæpius composita observantur; Latina verò simplicia, præter *Agricola* & *Publicola.*

Hic nummus minimæ formæ, olim juris nostri, inter rariores reponendus.

NERO CAESAR. AVG. GERM. Caput Neronis radiatum.

GEN. COL. NER. PAT. *Genius*, vel *Genio Coloniæ Neronianæ Patrensis.* Genius seminudus cum pallio stans, dextrâ pateram super arulam, sinistrâ cornucopiæ.

Hic nummus Coloniæ ut & Romæ adulationis erga Neronem monumentum est. Senatus Genio Augusti nummos dedicaverat; Patrenses Neronem *Coloniæ Genium* appellarunt, quem *Tutelarem* seu *Topicum Deum* Veteres vocasse diximus: ita Imperatorem ut Deum colentes; siquidem templum Genio Augusti dicatum narrat Suetonius in ejus vita cap. 60. *Et cuncti simul ædem Jovis Olympii Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicavere.* Patrenses ab Augusto inter cæteros Græcos libertate donatos narrat Pausanias in Achaicis pag. 432. Καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν εἶναι. *Et solis certè Patrensibus, ex Achæis omnibus, ut sua liberalitate uterentur, concessit.* At verò tanti beneficii quasi obliti, pro Augustæ Coloniæ nomine Neronianam appellarunt, plus videlicet Neroni, qui totam provinciam; quàm Augusto, qui solam eorum urbem liberam pronunciaverat, debere se profitentes. De Genio, vide in Agrippina seniore.

Hic nummus secundi moduli, ab Illustrissimo Episcopo Pamiensi Thesauro Regio utpote eximiæ raritatis additus est.



C. P. IVPITER LIBERATOR. *Colonia Patrensis, Jupiter Liberator.* Jupiter nudus ſtans, dextrâ aquilam, lævâ haſtam.

Patrenſes hanc Jovi Liberatori ſtatuam poſuerunt ob provinciæ libertatem Neronis beneficio recuperatam, quam ideo in ejus nummis ſignarunt. Sic Ζεὺς ἐλευθέριος ab Athenienſibus cultus eſt, quòd eos à Medis liberaſſet: ſic Platenſes, quòd Græci Perſas deleviſſent, Jovi Eleutherio templum conſtruxerunt. De libertate Græciæ à Nerone conceſſâ loquentem audias Pauſaniam in Achaicis pag.428. Χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐς Νέρωνα ἡ βασιλεία περιῆλθε ἡ Ῥωμαίων, καὶ ἐλεύθερον ὁ Νέρων ἀφίησιν ἁπάντων, ἀλλὰ γῆν πρὸς δῆμον ποιησάμενος τῶν Ῥωμαίων, Σαρδὼ γὰρ τὴν νῆσον ἐς τὰ μάλιστα εὐδαίμονα ἀντὶ Ἑλλάδος σφίσιν ἀντέδωκεν. *Multis poſt ætatibus cùm ad Neronem Romanorum Imperium perveniſſet, is Græciæ, ſine Romani Imperii detrimento, ſuam reddidit libertatem: pro ea enim Sardiniam prædivitem inſulam in provinciæ formam redegit.* Jupiter variè depingitur, modò nudus, modò pallio tectus, modò veſte ornatus, juxta varia ejus attributa & nomina.

Hic nummus mediocris magnitudinis, à Morellio in Specim. pag. 53. vulgatus; inter rariores collocatur.



NERO CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. Caput Neronis laureatum.
C. P. HERCVLI AVGVSTO. *Colonia Patrenſis, Herculi Auguſto.* Hercules ſtans, dextrâ innixus clavâ, lævâ ſpolia leonis.

Nero in nummis ſenatuſconſulto percuſſis ut Apollo citharam pulſans ſignatur: in hoc Patrenſi ut Hercules quaſi omnium certaminum victor. Hic verò nummus Dionis locum de pompa Neronis triumphali percelebrem non parum illuſtrat, cùm ille è Græcia reverſus, in Capitolium totâ urbe coronatâ, lychniſque ac ſuffimentis plenâ aſcenderet. Πάντων δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτῶν τῶν βουλευτῶν, ὅτι μάλιστα συμβοώντων, Ὀλυμπιονῖκα οὐᾶ, Πυθιονῖκα οὐᾶ, Αὔγουστε, Αὔγουστε, Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ, Νέρωνι τῷ Ἀπόλλωνι. *Acclamabant omnes & Senatores primis, Ova Olympionica, Ova Pythionica, Auguſte, Auguſte, Neroni Herculi, Neroni Apollini.* Hercules autem certaminum Olympiorum inſtitutor perhibetur, etſi variæ ſint de iis ſententiæ, magis tamen recepta in eum refertur: qua de re in Commentariis in Pindari Olympia copioſè agitur, & ab Iſaacio in Lycophronem. Quidam Philoſophum Herculem putavere, & idcirco illi clavam aſſignant, per quam Philoſophia ſignificatur; & leonis pellem, per quam prudentia; quibus rebus Hercules animi monſtra edomuit, & vanas cogitationes.

Hic nummus mediocris formæ inter elegantiſſimos reponendus.



IMP. NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum.
DIANA LAPHRIA. Diana venatrix ſtans, ſiniſtrâ innixa arcu.

Etſi nummus urbis nomen non præferat, ad Patrenſes tamen illum pertinere Dianæ Laphriæ nomen arguit, à Laphrio viro Phocenſi, qui illam in Calydone erexerat, ei inditum. Sunt qui vocatam malint Laphriam, quòd ipſius deæ ira adversùs Ceneum ſingulis annis ἐλαφροτέρα fieret, id eſt levior ac facilior: alii non à Laphrio denominatam tradunt, ſed per ſyncopen, quaſi λαφυρίαν, quòd illa ferat capita & ferarum ſpolia. Diana Laphria Patris in arce fanum habebat, in quo ejus ſignum Ætolis ereptum, ab Auguſto cùm Patrenſem coloniam ille deduxit, conceſſum, ut tradit Pauſa-

Pauſanias in Achaic. pag. 432. Καλυδῶνος γὰρ καὶ Αἰτωλίας τῆς ἄλλης ὑπὸ Αὐγούστου βασιλέως ἐρημωθείσης, καὶ τὸ Αἰτωλικὸν οὕτω τὸ ἄγαλμα τῆς Λαφρίας οἱ Πατρεῖς ἔσχον. *Calidonem enim atque adeò cæteram Ætoliam cùm pervaſtaſſet Auguſtus, Ætolicum hoc Laphriæ ſimulacrum Patrenſibus datum.* Patrenſes Neroni blandientes, abavi Auguſti munus in nummis cælari curaverunt. Sic Auguſtum nominat Tacitus Annal. 13. *Divo Auguſto abavo Neronis.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Morellio in Specim. pag. 65. inter rariſſimos collocatur.

PTOLEMAIS.



NERO CLAVD. CAESAR GERM. Caput Neronis laureatum.

COL. PTOL. DIVOS. CLAVD. *Colonia Ptolemais, Divos Claudius.* Colonus agens boves, cum quatuor ſignis militaribus.

Ptolemais, urbs Phœniciæ, à Claudio Cæſare Colonia deducta, nummos ſuos fundatori cum colono & ſignis militaribus Coloniæ conſtitutæ ſymbolis memor percuſſit, eundem typum Neroni ſucceſſori in Claudiam familiam adoptato, ut ejus ſibi benevolentiam conciliet, dedicat, appoſito in imo ad majorem adulationem, DIVOS CLAVD. titulo, ut ſignificarent Claudium inter Deos Neronis curâ relatum. Ejus conſecrationis meminit Suetonius in vita Claudii cap. 45. *Funeratus eſt ſolemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus.* Et Tacitus Ann. 12. *Cæleſteſque honores Claudio decernuntur, & funeris ſollenne perinde ac divo Auguſto celebratur.* Privignus Nero filio Britannico prælatus, Imperator in caſtris ſalutatus eſt; ſententiam militum ſecuta ſunt Patrum conſulta: & addit idem Hiſtoricus loco laudato: *Nec dubitatum eſt apud provincias.* Ideo Ptolemaidenſes nummos Neroni proferunt.

Hic nummus minimæ & mediæ formæ, inter rariores enumerandus.

IMP. NERO CL. CAESAR AVGVST. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT. V. IMP. IV. P. P.
PVBLICO EDICTO IN EXITV MAVRITANIAE NVMIOLAE
PROVINCIAE CARTHAGINENSIS IN AEGYPTVM VSQVE
EMISSO CADVCEATORE ET PRAECONE MANDATVM NO
STRVM EXEQVENTE IN MARMOREIS POSTEA COLVM
NIS VBIQVE SCVLPTO EDICTO IMPERO ET VOLO OM
NES POPVLOS REGIONIS DESERTAE VAGOS ET ERRA
BVNDOS QVI LATISSIMMO TERRARVM CARDINE A MON
TE ATHLANTE IN AETHIOPIAM VSQVE SE PROTENDVNT
ET LONGISSIMO AB OCEANO PATRIAE DESERTAE AD
ERYTHRAEVM MARE SPATIO SE EFFVNDVNT PAGOS VI
COS OPPIDA ET VRBES RITV AFRICAE ET LYBIAE CONDERE
MORE CIVIVM AGERE, ALIOQVIN EOS CVM CONIVGIBVS
LIBERIS AC OMNI PATRIAE FORTVNA PRO CAPTIVIS VBIQVE
HABERI VILIA VELVTI MANCIPIA COMMVTARI ET DISTRA
HI PER TOTVM LATE ORBEM ROMANVM MANDO ET IVBEO.

Ex Geraldini Itiner. an. 1631. edito.



OCTAVIA.



OCTAVIÆ *nummi eximiæ ſingularitatis & præſtantiæ ſunt, præſertim cum ſola ejus effigie; unicus minimi moduli hactenus in Theſauro Regio obſervatus eſt.*

CORINTHUS.



OCTAVIAE NERONIS AVG. Caput Octaviæ.

GEN. COL. COR. Q. FVL. FLACCO. II. VIR. *Genius Coloniæ Corinthi, Quinto Fulvio Flacco Duumviro.* Figura muliebris ſtolata ſtans, dextrâ pateram, lævâ cornucopiæ.

Apud P. Harduinum pag. 124. pro IVL. FLACCO II. VIR. repone Q. FVL. FLACCO II. VIR.

Corinthii ſub Fulvio Flacco Duumviro nummos Neroni & Agrippinæ matri, ſed rariſſimum ſignarunt Octaviæ ejus uxori ipſi à Claudio collocatæ, ut ait Suetonius in Claudio cap. 27. *Octaviam Neroni privigno ſuo collocavit.* Hanc Nero poſt Claudii mortem ſpernere cœpit, ut refert idem Hiſtoricus in ejus vita cap. 35. *Octaviæ conſuetudinem citò aſpernatur.* Eique Acten ſervam prætulit, teſte Dione lib. 61. pag. 692. Ἡ δὲ δὴ Ἀκτὴ ἐπέπρατο μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας, ἀγαπηθεῖσα δὲ ὑπὸ τοῦ Νέρωνος, ἔς τε τὸ τοῦ Ἀττάλου γένος ἐσήχθη, καὶ πολὺ καὶ ὑπὲρ τὴν Ὀκταουΐαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἠγαπήθη. *Fuerat autem Acte empta ex Aſia, cujus amore Nero ita captus erat, ut eam retulerit in familiam Attali, & Octavia uxore multò cariorem habuerit.* Deinde mortuâ Agrippinâ, ut ſterilem Octaviam dimiſit, & Poppææ nupſit, teſte Tacito Annal. 14. *Igitur accepto Patrum conſulto exturbat Octaviam, ſterilem dictitans. Exin Poppææ conjungitur.* Duodecimo die poſt divortium Octaviæ, adſerente Suetonio, illa in Pandatariam inſulam relegata, paulò pòſt anno ætatis 20. mori jubetur, ejuſque caput amputatum Poppæam vidiſſe narrant. Muliebris figura in averſa nummi parte, ipſa Octavia eſt, pro urbis Genio poſita. De Fulvio Duumviro dictum eſt.

Hic nummus minimæ formæ, à Cl. V. Camellio Chriſtinæ Reginæ Antiquario dono datus Seguino noſtro, nobis Romæ præſentibus, ſingularitatis eximiæ eſt.

INCERTA.



NERO CLAVD. CAESAR. IMP. OCTAVIA AVGVSTI. Capita Neronis & Octaviæ adverſa. Nero Solem ſub capite, Octavia Lunam creſcentem habet.

NERO CLAVD. CAES. AVG. IMP. VOLVMNIO LVRINO II. V. in aliis, LVRINO VOLVMNIO. Caput Neronis nudum cum ſceptro per tranſverſum.

Nummum Octaviæ cum Neronis effigie Colonia quædam, non appoſito ſuo ſed Duumvirorum nomine, percuſſit; illa ſunt, *Lurinus* & *Volumnius*, pro quibus Triſtanus tom. 1. pag. 239. ex Occonis nummo neſcio quid de Urano & Volumno Diis quibuſdam ariolatus eſt. Patinus nummum

vidit, & tamen Triſtani ſententiam pag. 114. ſequutus eſt: ſed Spanhemius veram nummi epigraphen Diſſert. 7. pag. 619. explanavit. *Lurinus* cognomen eſt, parum notum. *Volumnia* gens, plebeia, ſed Conſularis & Cenſoria. Viſitur alter nummus in Cimeliis ſub iiſdem Duumviris ſignatus, ex una parte caput Claudii nudum cum inſcriptione, DIVVS CLAVDIVS VOLVMNIO LVRINO II. VIR. ex altera parte caput Neronis juvenile ſine laurea, cum hac epigraphe, NERO CLAV. CAESAR. LVRINO VOLVMNIO. II. VIR. unde auguramur utrumque nummum primis Imperii Neronis temporibus percuſſum, hunc quidem in memoriam Claudii conſecrationis privigno curante decretæ, illum verò in concordiæ Auguſti & Auguſtæ monumentum, quos ut præcipua mundi lumina tanquam Imperio neceſſaria, appoſito ſub capite Neronis Sole, & Lunâ ſub Octaviæ effigie exhibuerunt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores collocandus.

POPPÆA.

POPPÆÆ *Neronis ſecundæ uxoris numiſmata quidem Græca reperiantur; ſed in Coloniis percuſſa, hactenus non obſervata ſunt.*



G A L B A.





Alba Legiones duas instituit, unam cognomine *Victricem*, quæ Romæ pro Othone contra Vitellium stetit; alteram VII. nomine *Galbianam*, ab eo in Pannonia collocatam: sed ob breve Imperii tempus, verisimile est ipsum Colonias non deduxisse. Exauctoravit quidem in Africa Legionem III. Augustam, sed totam ob rebellionem.

Galbæ nummi, eximiæ raritatis sunt & elegantiæ, præsertim ex ære medio; ex majori, hactenus non observati sunt.

B A B B A.



IMP. GALBA CAESAR. Caput Galbæ.
C. C. I. B. EX CONS. DEC. *Colonia Campestris Julia Babba, ex consensu Decurionum.* Victoria gradiens, dextrâ lauream, lævâ palmam.

Mors Neronis omnibus grata varios animorum motus pro Galba excitavit, præcipuè apud Legiones & apud populos, evulgato Imperii arcano: posse Principem alibi quàm Romæ fieri, ingens novis rebus materia. In Africa Clodius Macer, in Germania Fonteius Capito aliquid moliti sunt. Tacitus de aliis provinciis loquens, Histor. lib. 1. *Duæ*, inquit, *Mauretaniæ, Rhetia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ Procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur.* Tandem utraque Mauretania Galbam electum probavit, si quidem ille uni L. Albino eas provincias regendas dederit, eodem Historico teste hist. lib. 2. *Albinus à Nerone Mauretaniæ Cæsariensi præpositus, additâ per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat.* Babbenses Numidiæ Tingitanæ Neronis studiosi, tandem ipsius extorsiones & rapinas experti, Galbæ partes secuti sunt, Victoriamque coronam dextrâ gestantem ob Clodium Macrum in Africa per Garucianum Procuratorem interemptum, in ejus nummis percusserunt.

Hic nummulus Rhegii, in Museo P. Cattanei asservatus, singularis elegantiæ & raritatis est.

C O R I N T H U S.



SVL. GAL. CAESAR. AVG. Caput Galbæ sine laurea.
COR. L. CAN. AGRIPPAE. II. VIR. *Corinthi, Lucio Caninio Agrippæ Duumviro.* Templum quatuor columnarum, & plurimis aliis circumdatum, gradibusque ornatum.

Nil mirum si Corinthus, quæ ob libertatem Græciæ concessam nummos, ut vidimus, Neroni consecravit, alios Galbæ in ejus locum electo devoveat, cùm ille provinciam rapinis & sacrilegiis vexaverit, si Tacito fides Annal. 15. *Enimverò per Asiam atque Achaiam non dona tantùm, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo Carrinate.* Corinthii Galbæ

Galbæ benevolentiam præcipuè ſibi conciliare ſtudebant, cùm ipſe ab Iſthmiorum ludorum Judicibus pecuniam quam dederat Nero repeteret, ut tradit Dio lib. 63. pag. 721. Καὶ τοῖς Ἑλλανοδίκαις τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, ἃς ὕστερον Γάλβας παρ' αὐτῶν ἀπῄτησεν, ἔδωκε. *Quamobrem dedit Hellanodicis decies ſextercium, quam ſummam ab eis Galba poſtea repetivit.* L. Caninius Agrippa templum hoc curâ ſuâ reſtitutum cùm Ædilis eſſet, Neroni dedicavit; idem Duumvir, ſeu ut Corinthi ſuperbiſſimum, ſeu ut Tutelari urbis Numini conſecratum, in Galbæ nummis iterum cælavit.

Hic nummus minimi moduli, apud Patinum pag. 127. vulgatus, inter rariſſimos & elegantiſſimos collocatur.

PATRÆ.



IMP. GALBA. Caput Galbæ nudum.

COL. A. A. PATR. XXII. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis, vigeſima-ſecunda*, ſubauditur *Legio.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Colonia Patrenſis, quæ ſe *Neronianam* pro *Auguſtæ* nomine ob beneficia à Nerone accepta vocaverat, priſtina cognomina ſub Galba recepit. Nero enim quamvis Græciam liberam pronunciaſſet, ipſam tamen expilavit, ſi Dioni fides lib. 53. pag. 720. Πᾶσαν μὲν τὴν Ἑλλάδα ἐλεηλάτησε, καίπερ ἐλευθέραν ἀφείς. *Græciam depopulatus eſt, licèt eam liberam reliquerit.* Legas apud Pauſaniam quæ omnibus ſingulis urbibus abſtulit, & inter ejus ſacrilegia, Delphici templi ſpolia ex eodem diſcas lib. Phocic. pag. 620. Ἔμελλε δὲ ἄρα οὐδὲ τὸ Νέρωνος ἐς πάντα ὀλιγωρίας ἀπειράτως ἕξειν ὃς τὸν Ἀπόλλωνα πεντακοσίας θεῶν τε ἀναμὶξ ἀφείλετο, καὶ ἀνθρώπων εἰκόνας χαλκᾶς. *Non poſtremò Neronis impietatem Apollinis donaria effugere potuerunt: is enim quingentas æneas partim deorum, partim verò hominum ſuſtulit imagines.* Patrenſes, Nerone mortuo, ſucceſſori Galbæ gratulabundi, nummos ſuos conſecrarunt. De Legionum ſignis & epigraphe XXII. Veteranos Legionis vigeſimæ-ſecundæ Patras tranſmiſſos indicantibus, in Claudio dictum eſt.

Hic nummus minimæ formæ, apud Patinum pag. 127. vulgatus, inter rariſſimos & elegantiſſimos reponendus.

IMAGINVM DOMVS
AVG. CVLTORIBVS SIGNVM
LIBERTATIS RESTITVTAE
SER. GALBAE IMPERATORIS AVG.
CVRATORES ANNI SECVNDI
C. TVRRIANVS POLYBIVS
L. CALPVRNIVS ZENA
C. MVRDIVS LALVS
C TVRRANIVS FLORVS
C. MVRDIVS DEMOSTHENES.

In ſiniſtro latere.

DEDIC. IDIB. OCTOBR.
C. BELLICO NATALE COS.
P. CORNELIO SCIPIONE.

Apud Grut. p. 238. 12.

OTHO.

O T H O.



Vix Otho Imperium arripuit, quin alter Imperator Vitellius in Germania à Legionibus electus sit. Provinciis itaque & Legionibus in utriusque partes divisis; cùm sors pro Vitellio steterit, Otho post tres menses potiùs Imperio ostensus quàm datus est.

OTHONIS *nummi eximiæ raritatis & elegantiæ habentur.*

INCERTA.



IMP. M. OTHO CAES. AVG. Caput Othonis laureatum.
S. C. id est, *Senatusconsulto*, in laurea.

Hæc nota S. C. nummorum symbolum est Romanorum: hic tamen omnium Antiquariorum consensu extra urbem percussus est, licèt nec Coloniæ, nec Municipii nomen præferat; hic tamen locum habere debet, præsertim cùm Latina epigraphe gaudeat, quam sine concesso cudendæ monetæ jure gerere profectò non posset. Sed in qua urbe, seu in qua provincia cusus sit, inquirendum.

Nummi in omnibus ferè Imperatoribus usque ad Gallienum cum S. C. in laurea observantur, extra Romam signati: ab Augusto quidem usque ad Trajanum cum epigraphe Latina circa caput: à Trajano verò usque ad Gallienum cum inscriptione Græca, quos in Syria ex ipsorum forma, & incredibili copia quæ in hac regione ad hanc usque diem è terræ visceribus eruitur, percussos augurati sumus; nostram verò sententiam confirmant similes ferè Macrini & Diadumeniani cum iisdem vocibus S. C. & Δ. E. Huic provinciæ facultas cudendæ monetæ, quam sub Regibus suis habebat, tum relicta videtur, cùm Pompeius illam redegit in provinciam; sed ut à Senatu id juris concessum Syriæ fuerat, in nummis S. C. notam posuit, & quidem in laurea, ut Populum Romanum omnium gentium victorem denuntiaret. Quis nescit Syriam pro Othone contra Vitellium stetisse, & Mucianum ipsius provinciæ Rectorem Legiones in ea collocatas sacramento illius Imperatoris adegisse? accedat testis luculentus Tacitus hist. lib. I. *Judaicum exercitum Vespasianus, Syriæ Legiones Mucianus sacramento Othonis adegere: simul Ægyptus omnesque versæ in Orientem provinciæ nomine ejus tenebantur.* Unde nummi Othonis in Ægypto cum epigraphe ATT. MAPK. ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. & L. A. id est, anno primo, percussi in Cimeliis asservantur.

Sed Amicus instat; quid indicent litteræ Græcæ in ejusmodi nummis Imperatorum, qui S. C. in laurea notam exhibent, aliquando observatæ; illas modò esse Monetarii notas, modò Imperii annos designare, modò litteras nominis urbium initiales indicare autumant. Si verò nobis conjicere liceat, meras esse Monetariorum notas, & nummos illos cum S. C. in laurea Antiochiæ percussos suspicamur, in qua duæ nummorum cudendorum officinæ fuisse videntur, una pro Syriæ Præside, quæ nummos Græcos pro totius provinciæ usu signaret; altera urbis, quæ Latinam epigraphen usque ad Trajanum, & postea Græcam propter rationes nobis ignotas cum S. C. nota sibi à Senatu concessa: cui sententiæ suffragari videntur omnes Antiochiæ nummi à tempore quo illa deducta est à Caracalla Colonia usque ad Gallienum, qui semper hanc S. C. notam in area ad antiquam cudendæ monetæ facultatem sibi à Senatu con-

cessam indicandam cælavere; ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. S. C. id est, Αντιοχέων μητροπόλεω[s] κολωνίας *senatusconsulto.*

Hic nummus mediæ formæ, apud Octavium de Strada pag. 43. Patinum pag. 134. in Num[m]. præstant. Impp. Rom. à nobis edito pag. 25. eximiæ raritatis est, & inter majores sæpe collo[-]catur.

VITELLIUS.

VITELLII *nummi in Coloniis, Municipiis, & aliis exteris urbibus percussi, hactenus non observati sunt, licèt ille per sex menses imperaverit; sed civile bellum forsan obstitit.*

A. VITELLIVS. L. F.
IMPERATOR
COS. PERP.
Grut. pag. 239. 1.



VESPASIANUS.



Vespasianvs ad Imperium evectus, ejus jura augere studens, Colonias deduxit *Abellam* Municipium in Campaniam, *Cæsaream* in Palæstinam, *Deultum* & *Flaviopolim* in Thraciam, *Icosium*, quod Latii jure donavit ex Plinio, in Mauretaniam Cæsariensem, *Nolam* in Campaniam ex Frontino, *Panormitanæ* Coloniæ territorium Veteranis & familiæ suæ assignavit. Eusebius in Chronico an. CHr. 69. ait, *Colonias deduxit.* Achaiam, Lyciam, Rhodum & Samnium insulas, & Byzantium libertate privavit; Thraciam, Ciliciam & Commagenam ditionis Antiochi Regis in provinciarum formam redegit; non autem Thraciam, ut ex Suetonio legitur cap. 8. sicut ex Regis Commagenæ nummis in secundo tomo de Syriæ Præsidibus aliquando sumus demonstraturi. Vespasianus tres Legiones instituit, II. *Auxiliariam* in Germania, IV. *Flaviam Felicem* in Syria, XVI. *Flaviam Felicem Fidelem* in Germania inferiore.

Vespasiani *Coloniarum nummi secundæ & minimæ formæ hactenus observati, inter rariores collocantur.*

ANTIOCHIA Syriæ.



IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. Caput Vespasiani laureatum.
ANTIOCHIA. Caput muliebre turritum.

Ad Antiochiam Syriæ Tristanus & Patinus hunc nummum revocant; P. verò Harduinus illum ad Antiochiam Pisidiæ Coloniam ex ejus epigraphe Latina pertinere contendit, sed hæc in nummis *Colonia Antiochensis* in omnibus suis nummis inscribitur; illa verò Latii jure tantùm, ut in Othonis nummo diximus, nomen urbis nudum apponit, ut & Abdera, Ebora, Osca, & aliæ urbes hac immunitate gaudentes. Antiochenses inter primos Vespasiano à Legionibus Imperatori electo adhæsere, ut ex Tacito histor. lib. 2. eruitur. *Ante Idus Jul. Syria omnis in eodem sacramento.* Et ut apud eos duæ, ut diximus, monetæ cudendæ erant officinæ, pecunia ad bellum contra Vitellium gerendum in urbe sua signata est, ex eodem Historico: *Prima belli cura, agere delectus, revocare veteranos, destinantur validæ civitates exercendis armorum officinis: apud Antiochenses aurum argentumque signatur.* Nil mirum si Antiochia pro solita s. c. nota, quam ad indicandam facultatem sibi à Senatu cudendæ monetæ concessam apponebat, urbis nomen in moneta novi Imperatoris percusserit. Caput muliebre turritum, urbium principum symbolum est, eas fortissimis mœnibus cinctas indicans.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 142. vulgatus, tritus & obvius est.

CASSANDRIA.



IMP. CAES. VESPASIANO. Caput Vespasiani laureatum.

COL. IVL. AVG. CASSANDRENS. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis.* Caput Jovis Ammonis cornutum.

Cassandria urbs Macedoniæ, Colonia à Julio Cæsare constituta, ab Augusto Colonis iterum seu Veteranis frequentata, de qua in Nerone dictum est, Ammonem Tutelarem Deum, cujus ab Ægypto cultum receperunt, exhibet. Jupiter sic appellatus est, qui in desertis Libyæ sub arietis forma colebatur, ideo cornu arietino insignis est, cujus appellationis ratio hæc fuisse traditur. Cùm Liber Pater per desertum Libyæ exercitum duceret, universa jam Asia devicta & siti admodum laboraret, implorasse à Patre auxilium dicitur: quo facto, apparuisse ei extemplò arietem, quem dum fugientem prosequitur, pervenisse illo duce ad fontem amœnissimum; quapropter voti compotem, existimasse arietem illum fuisse Jovem, eique templum miræ magnitudinis in arena constituisse, & Deum vocasse Ammonem, hoc est, Jovem Arenarium.

Hic nummus minimæ molis inter rariores adscribendus.

PHILIPPI.



IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. Caput Vespasiani laureatum.

COL. AVG. IVL. PHILIPP. *Colonia Augusta Julia Philippensis.* Duæ statuæ stantes, basi impositæ, una muliebris coronam alteri militari super caput imponens, DIVVS AVG. in basi.

Philippi, urbs est Macedoniæ, quam Philippus Alexandri M. pater condere jussit, ut innuit Pausanias in Eliacis pag. 352. Πατρὶς δὲ ἦν αὐτῷ νεωτάτη τῶν ἐν Μακεδονίᾳ πόλεων, καλουμένη δὲ ἀπὸ τοῦ οἰκιστοῦ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου. *Patria ei Macedoniæ civitatum recentissima, cui à Philippo Amyntæ filio nomen.* Sed cur Macedoniæ Coloniæ Vespasiano nummos suos potissimùm dedicarint, nulla videtur causa, nisi forsan quòd illi provinciæ non auxerit tributa, ut aliis auxisse narrat Suetonius in ejus vita cap. 16. *Non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova & gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis & duplicasse.* Macedones enim liberi à Populo Romano fuerant facti, si Livium audias Decad. 5. lib. 5. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem, agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes Magistratus, tributum dimidium ejus, quod pependissent Regibus, pendere Populo Romano.* Duas illas figuras supra basim, cui DIVVS AVG. inscriptum est, positas, in Claudio Genium urbis coronam Augusti capiti imponere diximus. Holstenius nummum perperam ad Philippopolim Macedoniæ revocat not. in Stephan. pag. 346.

Hic nummus secundæ magnitudinis, ab Ill. Spanhemio in Cæss. Julian. pag. 221. *vulgatus, inter elegantiores ponendus.*

STOBI.



IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. IIII. CENS. Caput Vespasiani laureatum.

MVNIC. STOBENS. *Municipium Stobensium.* Templum quatuor columnarum, in quo figura paludata stans, dextrâ extensâ, lævâ hastam.

Stobi, aliàs Stobos, urbs Macedoniæ vetus, teste Livio Decad. 4. lib. 10. *Haud procul Stobis vetere urbe.* A Plinio civium Romanorum dicitur lib. 4. cap. 10. *Oppidum Stobi civium Rom.* quo nomine sæpe Municipia ille describit. Sic autem Stobi in nummis appellatur: perperam igitur apud Stephanum, Στόβος πόλις Μακεδονίας Ῥωμαίων ἔποικος. *Stobos urbs Macedoniæ, Romanorum Colonia.* Quis verò Municipes fecit Stobenses? An Augustus, qui plurimas in Macedoniam, ut patet ex nummis, Colonias deduxit? an potiùs Vespasianus, cui & filiis Macedonia ipsa nummos dedicavit? Sed si mihi conjicere liceat, templum in Augusti honorem exstructum auguror, quòd plurima in provinciis ipsi dicata fuerint, ut narrat Aur. Victor de Cæsar. *Huicque uti Deo Romæ provinciisque*

vinciisque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, sacerdotes & collegia sacravere. Macedonia per urbium suarum erga Imperatorem studium Vespasiano gratulari videtur, quòd ademptâ Achaiæ conterminæ libertate, ipsi servaverit. Suetonium audias loquentem in ejus vita cap. 8. *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samnium libertate ademptâ, item Tracheam Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit.*

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 142. vulgatus, rarus est.



MVNICIP. STOBENS. *Municipium Stobensium.* Mulier succincta capite turrito stans, dextrâ victoriam, lævâ cornucopiæ, hinc & inde armorum spolia.

Mulier hæc succincta & turrita, Genius Stoborum videtur; corona ex turribus conflata, urbis symbolum, ut cornucopiæ, Genii præsertim urbani insigne est. Victoriam illa gerit ob Judæam devictam, cujus armorum spolia hinc & inde indices sunt de Judæa subacta. Xiphilinus pag. 318. Καὶ ἐπ' αὐτοῖς τὸ μὲν τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα ἀμφότεροι ἔλαβον, τὸ δὲ δὴ τοῦ Ἰουδαϊκοῦ οὐδ' ἕτερος ἔσχε, καί τοι τά τε ἄλλα αὐτοῖς, ὅσα ἐπὶ τηλικαύτῃ νίκῃ εἰκὸς ἦν, καὶ ἁψῖδες τροπαιοφόροι ἐψηφίσθησαν. *His de causis uterque Imperatoris nomen obtinuit; neuter tamen Judaïcus cognominatus est, licèt alia multa, ut par erat tam magna parta victoria, atque imprimis arcus triumphales eis decreti sint.* Stobenses Imperatori gratulantes, Judæorum victoriæ monumenta in nummis percusserunt.

Hic nummus mediocris formæ rarissimus est.

IMP. CAESAR VESPASIANVS
AVG. PONTIF. MAX. TRIB.
POT. VI. IMP. XIII. COS. VI.
DESIG. VII. CENSOR. VIAS
FACIENDAS CVRAVIT.

Thyatiræ in Asia minori supra columnam exscripsi.



T I T U S.



TITUS cum patre omnium Imperii curarum particeps fuit, communicatâ ipsi à Vespasiano Tribunitiâ potestate, cùm ille ex Judæa victor anno Imperii ejus secundo rediisset; Coloniæ verò *Flaviæ* gentis nomine deductæ sunt. Solus ille duos annos tantùm regnavit, quo tempore etiam Colonias constituit, ex Dione lib. 66. pag. 756. Ὁ δ' οὖν Τίτος τοῖς μὲν Καμπανοῖς δύο ἄνδρας ἐκ τῶν ὑπατευκότων οἰκιστὰς ἔπεμψε. *Titus ad Campanos misit duos viros Consulares, qui Colonias eò deducerent.* Solum CÆSARIENSIUM Palæstinæ, quos Vespasianus pater Colonos fecerat, immune interpretatus est.

TITI *nummi primæ magnitudinis hactenus non reperiuntur; secundæ, rarissimi; minimæ, inter elegantiores habendi, exceptis Antiochiæ Syriæ numismatibus.*

ANTIOCHIA Syriæ.

T. CAES. IMP. TR. P. Caput Titi laureatum.
ANTIOCHIA. Caput muliebre turritum.

Antiochenses Syriæ nummos suos Tito dedicant, ipsi gratulantes, quòd Vespasianus pater illum Imperii consortem Tribunitiâ potestate ei communicatâ fecerit; cujus rei meminit Suetonius in Tito cap. 6. *Eidem collega & in Tribunitia potestate, & in septem Consulatibus fuit.* Memores erant adhuc ejus in urbem suam adventus, quo die magnam lætitiam testati sunt, si Josepho fides de Bello Jud. lib. 7. cap. 14. Ὁ δὲ τῶν Ἀντιοχέων δῆμος, ἐπεὶ πλησίον ὄντα Τίτον ἐπυνθάνοντο μένειν μὲν ἐντὸς τειχῶν ὑπὸ χαρᾶς οὐχ ὑπέμενον. *Civitatis autem Antiochensium populus, postquam Titum adventare cognovit, manere quidem intra mœnia præ gaudio non sustinebat.* Caput turritum, urbium celebrium vulgò symbolum est, de quo dictum in Vespasiano.

Hic nummus minimi moduli, à Tristano tom. 1. pag. 300. & à Patino pag. 150. vulgatus, obvius & tritus est.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



T. CAES. IMP. PONT. Caput Titi laureatum.
COL. ANT. *Colonia Antiochensis.* Colonus agens boves, dextrâ vexillum gerit, in vertice nummi crescens Luna.

Antiochia, urbs multiplex, sed nulla alia præter Antiochiam Pisidiæ Coloniæ Titi tempore deducta erat, de qua Plinius lib. 5. cap. 27. *Insidens verticem Pisidæ, quondam Solymi appellati, quorum Colonia Cæsarea, eadem Antiochia.* Nomen *Cæsareæ* eam vel à Julio, vel ab Augusto constitutam denotare videtur. Colonus agens boves, & vexillum gerens, cives ex Urbe & ex Veteranis in eam transmissos indicat. Luna crescens in nummi vertice spectat ad Deum Lunum, cujus

erat

erat ſummus Antiochiæ Piſidiæ cultus, de quo Strabo lib. 12. p. 577. Ἦν δὲ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τις Μηνὸς Ἀρκαίου, πλῆθος ἔχουσα ἱεροδούλων καὶ χωρίων ἱερῶν. *Fuit ibi etiam ſacerdotium Menſis Arcæi, multitudinem hierodulorum habens & ſacrorum locorum.* Non audiendus ergò P. Harduinus pag. 55. qui hunc nummum ad Antium Latii Coloniam revocat. Colonus ad originem indicandam ſignatur, dextrâ vexillum gerit, quod aræ imponebatur poſt ſacrificium, in quo vexillum Legionis deducendæ imponebatur, ita ut rectè Hyginus. *Multis Legionibus contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agriculturæ requiem, primo tyrocinii gradu pervenire: nam cum ſignis & aquilis, & primis ordinibus ac Tribunis deducebantur.*

Hic nummus minimæ formæ inter elegantiores reponendus.

C Æ S A R E A *Palæſtinæ.*



TITO FLAVIO VESPASIANO. Caput Titi laureatum.
COL. CAESARIA. LIB. ΦΛΑ. *Colonia Cæſaria Libera Flavia.* Caput muliebre turribus ornatum.

Cæſarea, urbs Palæſtinæ maritima, olim *Apollonia* Plinio, poſtea *Stratonis Pyrgos* Joſepho; tandem mutato nomine *Cæſarea* in honorem Auguſti ab Herode Judæorum Rege appellata eſt, ex eodem Hiſtorico Antiq. lib. 15. cap. 13. Τὸ πάλαι μὲν καλούμενον Στράτωνος Πύργον, Καισάρειαν δ' ὑπ' αὐτοῦ προσαγορευθέν. *Olim Stratonis Turrim dictam, ipſe Cæſaream appellavit.* Colonia facta eſt à Veſpaſiano, teſte Paulo lib. 2. de Cenſib. *Divus Veſpaſianus Cæſarienſes Colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici eſſent, ſed tributum hic remiſit capitis. Sed Divus Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.* Unde Cæſarea beneficii memor, *Flaviæ* nomen accepit, & *Liberam* ſe in nummis inſcripſit. Caput muliebre, principum urbium ſymbolum eſt.

De litteris ΦΛΑ. quædam apud Antiquarios videtur controverſia. Ill. Spanhemius Diſſ. 9. pag. 784. noſtrum Titi ex Gaza Chriſtinæ Reginæ, quem contrectavimus, nummum vulgavit, & ad Cæſaream Palæſtinæ, liberam à Flaviis pronuntiatam, utroque cognomento hac epigraphe inſignem, pertinere retulit: at P. Harduinus pag. 48. ſupra Caracallæ nummum à Triſtano tom. 2. p. 168. prolatum, in quo corruptè legitur, COL. CAESAREA. EIN. ΑΛΦ. vocem EIN. interpretatus eſt, ANT. & nummum ad Cæſaream Antiochiam Piſidiæ revocavit; has verò litteras ΑΛΦ. ad æræ urbis an. 531. ob idque Spanhemium reprehendit, quòd in Titi nummo voces ΦΛΑ. *Flavia* reddiderit. *Sed*, inquit, *neque illud* ΑΛΦ. *de Alphæa Diana accipi oportet, ut ipſe putat, nec de Flaviæ prænomine, ut alii volunt.* P. Harduini æra 531. in Titi nummo haud ſtare poteſt; anteverteret enim Alexandri M. in illas provincias expeditionem: adde quòd idem æræ annus in Tito, qui in Caracalla, eſſe nequit; ſed ad rem aliquo modo componendam, litteras ΦΛΑ. etſi idiomatis diverſi, in Tito *Flavia* interpretandas cum Ill. Spanhemio arbitramur. In Caracalla verò, ſeu potiùs in Elagabalo, ut annotavit P. Harduinus, æræ Cæſareæ Palæſtinæ, Aradiis, & Tripolitis ſimul convenire poteſt, ſed non Cæſareæ Antiochiæ Piſidiæ, cui perperam nummum, ut ſuo loco dicemus, tribuit.

Hic nummus minimi moduli, pro rariſſimo & elegantiſſimo habendus eſt.

S T O B I.



T. IMPER. TR. POT. COS. VI. Caput Titi laureatum.
MVNIC. STOBENS. *Municipium Stobenſium.* Templum quatuor columnarum, in quo figura paludata ſtans, dextrâ extenſâ, lævâ haſtam.

Stobenſes Macedoniæ nummos ut Veſpaſiano, ita & Tito filio dedicarunt: hic verò in ejus Conſulatu VI. ſignatus eſt, quem ille cum patre VIII. geſſit, de quo Suetonius. *Eidem collega & in Tribunitia poteſtate & in ſeptem Conſulatibus fuit.* Hoc verò U. C. anno 830. nummi argentei & aurei tum patris Coſ. VIII. tum Titi Coſ. VI. cum colono boves agente, Colonias à Veſpaſiano & filio deductas arguunt. De Stobis & hoc templo in Veſpaſiano dictum eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, pro raro & eleganti recenſendus.



T. CAESAR. IMP. DOMITIANVS CAESAR. Capita Titi laureati, & Domitiani sine laurea, adversa.
MVNICIP. STOBEN. *Municipium Stobensium.* Templum cum figura, ut suprà.

T. VESPAS. DOM. CAES. Eadem capita adversa.
MVN. STOB. *Municipium Stobensium.* Templum idem sine figura.

Stobenses Flaviæ genti devoti, in his nummis Titum & Domitianum fratres exhibent, prior vivo patre, alter imperante Tito videtur signatus, uterque ad æternitatem Imperii, seu ad fratrum concordiam indicandam, etsi Suetonius Domitianum à struendis Tito insidiis nunquam desistere tradiderit, ipse nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore illum habere sustinuit; sed ait in ejus vita cap. 9. *Nonnunquam secretò lacrymis & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.* Templum in quo nulla figura, idem videtur ac alterum, cùm ejusdem fabricæ & idem columnarum ordo sit.

Prior nummus secundi moduli, posterior minimi, in museo nostro uterque, inter elegantissimos computandus.

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AVG. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P.
PRINCIPI. SVO. S. P. Q. R.
QVOD. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQVE. ET
AVSPICIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET
VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE
DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVSQVE. AVT. FRVSTRA
PETITAM. AVT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT.

DOMI-

DOMITIANUS.




UAMVIS Domitianus Imperium per quindecim annos tenuerit, nullas tamen Colonias ſeu ex plebe ſeu ex Veteranis ab eo deductas legimus; an revera nullæ ſint, an Hiſtoricorum incuriâ neglectæ, non conſtat: nummi verò, *Corinthum* ob accepta à Domitiano beneficia *Flaviæ* nomen ſumpſiſſe, nos edocent. Legionem unam nomine *Minerviam* ab eo conſtitutam auctor eſt Dio.

DOMITIANI *nummi primæ magnitudinis inter elegantiſſimos reponendi; ſecundæ & minimæ formæ, obvii & vulgares.*

ANTIOCHIA Syriæ.



CAESAR DOMIT. COS. II. Caput Domitiani laureatum.
ANTIOCHIA. Caput muliebre turritum.

Antiochenſes Flaviæ gentis ſtudioſiſſimi, tum Veſpaſiano, qui urbem, ex Chronico Alexandrino, *collapſam reſtituit*; tum Tito, qui, ex eodem, *in ea poſuit Cherubim ex ære, Seraphimque, Salomonis donum, quos in templo Hieroſolymitano ceperat*, nummos percuſſere: hunc verò Domitiano ipſi gratulantes ſignarunt, ob adeptum ſecundum Conſulatum, quem ille Veſpaſiani imperii anno quarto, & U. C. 826. cum Valerio Meſſalino geſſit. Caput turritum, ut in patre & fratre, ad indicandam urbem primariam validis mœnibus eſſe munitam.

Hic nummus minimi moduli inter raros adſcribitur.

BERYTUS.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.
COL. FEL. BER. *Colonia Felix Berytus.* In aliis, COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Colonus agens boves.

Apud Berytum Phœniciæ convenerunt ii, qui Veſpaſianum Imperatorem contra Vitellium appellarunt; ibi de bello contra ipſum gerendo à Legionum Syriacarum Ducibus, & Judaïci exercitus Legatis actum eſt, ut tradit Tacitus Hiſtor. II. *Conſilium de ſumma rerum Beryti habitum, illuc Mucianus cum Legatis Tribuniſque, & ſplendidiſſimo quoque Centurionum ac militum venit.* Berytenſes ideo Flaviæ genti devoti nummum Domitiano ob expeditionem ejuſdem Germanicam, de qua Suetonius cap. 2. inquit: *Expeditionem quoque in Galliam Germaniaſque neque neceſſariam, & diſſuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantùm ut fratri ſe & operibus & dignatione*

adæquaret. Ob id *Germanici* nomen in nummo præfert. Colonus agens boves, ad deductæ Coloniæ originem ſpectat.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro raro numeratur.

CÆSAREA Palæſtinæ.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.
COL. PR. FL. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea.* Caput Serapidis cum calatho inſigne.

Ad Cæſaream Palæſtinæ pertinet nummus, quam Veſpaſianum Coloniam deduxiſſe in Tito diximus, unde illi *Flaviæ* cognomen. Sed cur *Prima* vocitetur P. Harduinus in Notis ad Plinium lib. 5. pag. 567. habet: *Prima vocatur, quòd primæ Legionis milites Colonos haberet.* Sed cùm Legio prima in Germania inferiore ab Auguſto conſtituta, in Italiam bello civili Vitelliano contra Othonem veniſſet, eadem deinde à Veſpaſiano devicta, per Illyricum diſperſa eſt; proindeque credibile non eſt, Veteranos illius à Veſpaſiano in Coloniam fuiſſe deductos, ſed potiùs Emeritos Legionum quæ in bello Judaïco cum eo militaverunt. Prima ergo *Cæſarea* dicta videtur; quòd illa metropolis ſeu caput Palæſtinæ ſit, ut innuit Tacitus hiſtor. lib. 2. *Haud dubia deſtinatione diſceſſere, Mucianus Antiochiam, Veſpaſianus Cæſaream; illa Syriæ, hæc Judææ caput eſt.*
Caput Serapidis in plurimis Cæſareæ nummis ipſius in ea cultum ab Ægyptiis conterminis acceptum forſan denotat; Serapidem verò Sinope Alexandriam Ptolemæi Soteris curâ advectum narrant Tacitus & Plutarchus. De illius autem calatho loquitur Macrobius Saturn. cap. 20. ubi Serapin non alium eſſe quàm Solem tradit. *Cujus*, inquit, *vertex inſignitus calatho, & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſtentat; quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore recipiuntur.*

Hic nummus ſecundi & minimi moduli, nec rarus nec obvius eſt.

CORINTHUS.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GER. Caput Domitiani laureatum.
COL. IVL. AVG. COR. *Colonia Julia Auguſta Corinthus.* Pegaſus.

Nullos Corinthiorum nummos Veſpaſiano vel Tito percuſſos obſervavimus; an illi, quòd Achaiæ libertatem à Nerone conceſſam ipſe ſuſtulerit, indignati, Pauſanias in Achaicis pag. 429. Οὐεσπασιανοῦ γὰρ μετὰ Νέρωνα ἄρξαντος, ἐς ἐμφύλιον στάσιν προήχθησαν, καὶ σφᾶς ὑποτελεῖς τε αὖθις ὁ Οὐεσπασιανὸς εἶναι φόρων καὶ ἀκούειν ἐκέλευσεν ἡγεμόνος, ἀπομεμαθηκέναι φήσας τὴν ἐλευθερίαν τὸ Ἑλληνικόν. *Nam cùm Imperii gubernacula poſt Neronem Veſpaſianus teneret, is Græcos quaſi patrio morbo ſeditione laborantes, coërcuit, & annuo vectigali impoſito, Romanis Magiſtratibus parere juſſit, quòd diceret, libertate uti Græcos jam didiciſſe.* Magnus verò nummorum numerus Domitiano percuſſus, libertatis reſtitutæ, aut vectigalis remiſſionis videtur index. De Pegaſo in Auguſti nummis dictum eſt; ille ad antiquitatem urbis indicandam ſignatus, utpote ad Bellerophontis filii Glauci Ephyræ quondam Regis tempora ſpectans.

Hic nummus minimæ formæ obvius eſt.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GER. Caput Domitiani laureatum.
COL. IVL. AVG. COR. *Colonia Julia Auguſta Corinthus.* Chimæra.

Chimæ-

Chimæram in memoriam Bellerophontis herois sui in nummo, ad indicandam pariter urbis suæ antiquitatem, cuderunt Corinthii. Ille monstrum hoc ex triplici forma Pegaso insidens interfecit. De Chimæra Lucretius de rerum natura lib. 5.

Qui fieri potuit, triplici cum corpore, ut una,
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra?

Chimæra verò, mons est Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine leones habitant; in medio, ubi pascuis abundat, capræ; in radicibus autem serpentes: hinc factus est locus fabulæ. Et quoniam Bellerophontes Glauci Ephyræ, seu Corinthi Regis filius, montem hunc habitabilem reddidit, Chimæram fingitur occidisse. Servius in Virgil. Æneid. 6.

Hic nummus minimi moduli inter raros collocatur.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. Caput Domitiani laureatum.
COR. PERM. IMP. *Corinthi permissu Imperatoris.* In corona quercea.

Cudendæ monetæ facultas Corinthiis cum libertate provinciæ à Vespasiano videtur ablata, siquidem eam ipsis à Domitiano filio restitutam nummi significent, & quidem ad ampliorem ipsorum nummorum magnitudinem, si conjecturæ locus, cùm pauci primæ magnitudinis antea percussi sint: an sub ipsius tantùm imperio concessa permissio sit, Antiquariorum disquisitioni relinquimus, cùm in sequentibus Augustis ad Gallienum usque, etsi obvii sint, non ampliùs observentur. Corona quercea ob cives à Domitiano servatos à Corinthiis dedicata est.

Hic nummus majoris formæ rarissimus est.



IMP. CAESAR. DOMITIAN. AVG. GERM. P. M. Caput Domitiani laureatum.
PERM. IMP. GERM. *Permissu Imperatoris Germanici.* In corona spicea.

Corona spicea in nummo Domitiani à Corinthiis cusa est, ipsi gratulantes, quòd summopere annonæ providerit: frequentes enim hujus Imperatoris nummi senatusconsulto percussi cum epigraphe, ANNONA AVGVST. sub diversis typis, ille patrem imitatus, de quo narrat Tacitus hist. 4. *Tum celerrimas navium frumento onustas sævo adhuc mari committit: quippe tanto discrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cùm à Vespasiano commeatus subvenere.* Cujus rei memor Domitianus, vites exscindere jusserat, ut frumentum ubique sereretur; ut innuit Suetonius in ejus vita cap. 6. *Ob summam quondam ubertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, Ne quis in Italia novellaret.*

Hic nummus primæ magnitudinis eximiæ raritatis habendus.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. Caput Domitiani laureatum.
PERM. IMP. *Permissu Imperatoris.* Neptunus insidet scopulis, quibus dexterâ innixus, pedibus Delphinum calcat, lævam extendens versus mulierem ulnis puerulum complectentem.

Neptunus ut tutelare Corinthi numen in eorum nummis exhibetur; in hoc Ino Athamantis infelix uxor, ulnis natum gestans, & opem Neptuni implorans. Ad rem. Naso, 4. Metam.

Sparsisque fugit malè sana capillis,
Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis.

Et, paucis interjectis:

Imminet æquoribus scopulus; pars ima cavatur
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas;
Summa rigent, frontemque in apertum porrigit æquor:
Occupat hunc (vires insania fecerat) Ino,
Seque super pontum, nullo tardante timore,
Mittit, onusque suum.

Scopulus ille, uti dictum, petra Moluris est, juxta Pausaniam, pag. 87. qui & ibi delphinis, Melicertam excipientis, meminit; præter Nonnum, 10. Dionysiac. & Lucianum, in dialogis Marinis.

Hic nummus, majoris moduli, singularis est elegantiæ.



IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. GERM. P. P. Caput Domitiani laureatum.
C. L. I. COR. PERM. IMP. *Colonia Laus Julia Corinthus, permissu Imperatoris.* Imperator in quadrigis, dextrâ ramum oleæ, sinistrâ sceptrum gerit.

Corinthii Domitianum triumphantem in nummis percusserunt; ad imitationem Senatus, qui ejusmodi nummos ob duos triumphos ipsi decretos signavit. Illorum meminit Suetonius in ejus vita cap. 6. *De Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit.* Ad quem eorum pertineat hic nummus, incertum est: Romæ verò percussi priorem in ejus Consulatu XI. anno Imperii 5. U. C. 839. alterum in XV. Consulatu, Imperii 9. U. C. 843. assignant.

Hic nummus primæ & secundæ formæ rarissimus est, secundæ à Patino in Suetonio pag. 431. vulgatus est.



IMP. CAES. DOMITIANVS AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.
COL. IVL. FLAVIA. AVG. COR. *Colonia Julia Flavia Augusta Corinthus.* Neptunus sedens, dextrâ delphinum, sin. tridentem.

Corinthus plurimis à Domitiano adstricta beneficiis, assumpto *Flaviæ* cognomine, *Juliæ* nomen, quod à Julio Coloniæ fundatore acceperat, adjunxit, sicque *Colonia Flavia Augusta Corinthus* vocata est. Figura sedens in aversa parte, Neptunus est, Tutelaris Corinthi Deus, non autem Jupiter, ut Com. Mediobarbus pag. 140. refert. Delphinus quem lævâ gerit, solemne Neptuni symbolum est, de quo Hyginus Poët. Astron. lib. 2. *Qui Neptuno simulacrum faciunt, delphinum aut in manu, aut sub pede ejus constituere videmus; quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur.* Qua verò de causa Delphinus inter astra sit collocatus, Eratosthenes apud eundem Hyginum narrat.

Hic nummus minimi moduli inter rarissimos numerandus.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.
COL. FLAV. AVG. COR. *Colonia Flavia Augusta Corinthus.* Bellerophon in Pegaso decertans contra Chimæram.

Summæ Corinthiorum erga Domitianum adulationis est hic nummus: illi enim sublato *Juliæ* fundatoris Coloniæ nomine, urbem suam à Domitiano privilegiis, immunitatibus & libertate donata, *Coloniam Flaviam Augustam* à Flavio Domitiano tanquam altero ejus fundatore nuncuparunt. Bellerophon ad antiquitatem urbis indicandam in nummo signatus est: idque observandum in Corinthiorum nummis, à Domitiano ad Gallienum usque non ampliùs Duumvirorum nomina signari.

Hic nummus minimæ formæ inter elegantissimos reponendus.

PATRÆ.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GER. TR. P. V. Caput Domitiani laureatum.
COL. A. A. PATRENS. *Colonia Aroe Augusta Patrensis.* In aliis voces LEG. XXII. additæ. Colonus agens boves.

Nulli Coloniæ Patrensis Achaicæ urbis primariæ nummi Vespasiano & Tito ejus filio dicati, hactenus observati sunt; an quòd Vespasianus Græciæ libertatem ademerit, ut narrat Suetonius in ejus vita cap. 8. *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samnium libertate ademptâ.... in provinciarum formam redegit.* Sed plurimi cum Domitiani effigie occurrunt, an quòd provinciæ libertatem restituerit, aut plurima contulerit in urbem beneficia, quam Augustus libertate & plurimis præterea jam decoraverat honoribus, teste Pausania in Achaicis pag. 432. Καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν εἶναι. *Et solis certè Patrensibus ex Achæis omnibus, ut sua libertate uterentur concessit.* Unde illa memor, *Augustæ* nomen accepit. Colonus in hoc nummo, ad originem Coloniæ indicandam cusus est; in aliis verò epigraphe LEG. XXII. Veteranos Legionis vigesimæ secundæ, cognomine *Primigeniæ*, cum Colonis Romanis & aliarum urbium in eam transmissos arguit.

Hic nummus secundæ formæ, à Patino pag. 163. vulgatus, frequens est; alii in quibus voces LEG. XXII. *rarissimi sunt.*



IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. TR. P. V. Caput Domitiani laureatum.
COL. A. A. PATR. XXII. *Colonia Augusta Aroe Patrensis, vigesima-secunda*, subauditur *Legio.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Hic nummus anno quinto Imperii Domitiani à Patrensi Colonia percussus est, cùm de Cattis & Germanis triumphavit, in cujus victoriæ memoriam signa militaria Veteranorum symbolum potiùs quàm alium typum cælavit. Sed quia quamplurimi reperiuntur in Consulatu v. nummi Domitiano dedicati, num ob libertatem toti Græciæ ab ipso hoc anno restitutam, aut immunitates Coloniæ concessas, id factum fuerit, suspicari quis posset. De Legione vigesima-secunda in Claudio dictum est. Illa ab Augusto in Ægypto collocata est, cujus veterani milites Patras Coloni deducti sunt. In veteribus inscriptionibus *Augusta Pia Fidelis* nominatur, à Vespasiano ad bellum Judaïcum ducta; ideo Coloni ab ea originem ducentes, Domitiano forsan gratulati sunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Columna Cochlidis, supra quam figura paludata colossica, dextrâ demissâ scipionem, sinistrâ hastam.

Adeò frequentes Achaiæ Coloniarum nummi in Domitiani honorem occurrunt, cùm nec ejus patri nec fratri, ob libertatem forsan ab ipsis Græciæ ademptam, percussi ulli reperiantur, ut eandem à Domitiano ipsi redditam existimemus, in cujus beneficii perenne monumentum Patrenses columnam hanc egregia Domitiani in Germanos & Dacos facinora exhibentem erexerint. Amicus noster illam Augusto Coloniæ fundatori potiùs dicatam existimat: verùm si res ita foret, idem certè columnæ typus vel in Claudii vel Neronis nummis hujus Coloniæ frequentissimis observaretur; Antiquariorum tamen disquisitioni sententiam nostram de restituta Achaiæ à Domitiano libertate submittimus, plurima enim nummi, de quibus silent Historici, nos edocent.

Hic nummus mediæ formæ, à me ter observatus, & in Itiner. Cl. Weheler Eq. Angli vulgatus, inter elegantissimos reponendus.



IMP. CAES. DOM. AVG. GER..... Caput Domitiani laureatum.
GEN. COL. A. A. PATREN. *Genio Coloniæ Augustæ Aroe Patrensis.* Genius nudus stans cum strophio, dextrâ pateram super ara, lævâ cornucopiæ.

Genius, ex Varrone & Festo, ab antiquis pro Deo qui vim haberet omnium rerum gignendarum, colebatur; ideò illi cornucopiæ datur, ipsique sacra fiebat mero, quare ille ex patera vinum supra aram effundens depingitur. Alii Genium esse putaverunt uniuscujusque loci Deum: ita Patrenses Genium in nummis exhibuerunt, eum ut Tutelarem Coloniæ Deum colentes, forsan Domitiano de Colonia benemerito adulantes, eum Coloniæ Genium appellarunt, ut alterum Deum Tutelarem, cùm jam ille apud Suetonium in ejus vita cap. 13. Deus appellari vellet. *Pari arrogantiâ cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet.*

Hic nummus secundæ magnitudinis, mutilus à Patino pag. 163. sub Genio Col. Antiochensis vulgatus, inter raros adscribitur.



IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.
COL. PATR. NEPTVNO. *Colonia Patrensis, Neptuno.* Neptunus stans nudus, pede saxo imposito, dextrâ delphinum, lævâ tridentem gerit.

Urbes maritimæ Neptunum ut maris Deum præcipuè coluerunt, quem idcirco Patrenses apud Pausaniam, Πελαγαῖον & Ἀσφαλιαῖον, *Pelagæum & Asphaliæum* seu Tutelarem appellarunt. Huic templum erexerunt juxta portum, ut ipse tradit in Achaicis pag. 438. Πρὸς δὲ τῷ λιμένι Ποσειδῶνός τε ναὸς καὶ ἄγαλμά ἐστιν ὀρθὸν λίθου. *Proximè ad portum Neptuni ædes est, cum signo marmoreo, cujus rectus est status.* Tridentem pro sceptro gerit, & delphinus ipsi gratus, ejus est, ut Jovi aquila, symbolum. Populi præcipua in nummis exhibere numina soliti erant, ideo Patrenses Neptunum in suis percusserunt.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 163. vulgatus, inter raros collocatur.



IMP. CAES. DOMIT. GERM. AVG. Caput Domitiani laureatum.

DIANA LAPHR. *Diana Laphria.* Diana venatricis habitu ſtans, dextrâ ad latus oppoſitâ, ſiniſtrâ arcui innixa; in aliis canis & arula.

Dianam cognomine Laphriam, à Patrenſibus cultam, in Nerone diximus; ſignum ejus erat venatricis habitu, ut refert Pauſanias in Achaicis pag. 433. Τὸ μὲν δὴ σχῆμα τοῦ ἀγάλματος, θηρέμοσά ἐστιν, ἐλέφαντος δὲ καὶ χρυσοῦ πεποιημένη. *Præfert ſignum venatricis habitum, ex ebore verò & auro eſt fabricatum.* Dianæ anniverſarium ſacrum patrio ritu, cujus deſcriptionem loco citato videre eſt, Patrenſes faciebant. Illa ſub diverſo cognomine eadem quæ Venatrix Smyrnæ, ut in nummis viſitur, ut ait idem Pauſanias in Meſſenicis pag. 275. Τὸ μὲν δὴ τῆς Λαφρίας ἀφίκετο ὄνομα ἔς τε Μεσσηνίους καὶ ἐς Πατρεῖς Ἀχαιῶν μόνους. Ἐφεσίαν δὲ Ἄρτεμιν πόλεις τε ὀνομάζουσιν αἱ πᾶσαι. *Et tùnc quidem Meſſenii; & ex Achæis Patrenſes duntaxat Laphriæ nomen uſurparunt: Epheſiam quidem Dianam urbes propè cunctæ eodem celebrant cognomine.*

Hic nummus ſecundi moduli inter raros adſcribendus.

PHILIPPI.



IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIII. Caput Domitiani laureatum.

COL. IVL. AVG. PHILIPP. *Colonia Julia Auguſta Philippenſis.* Duæ figuræ baſi impoſitæ, quarum altera muliebris, virili alteri paludatæ coronam imponit.

Philippenſes Macedoniæ nummos ut Veſpaſiano, ſic Domitiano cum eodem typo percuſſerunt, cùm ille Conſulatum XIII. & Tribunitiam poteſtatem V. ageret, in qua de Cattis & Germanis triumphavit; ipſi haud dubiè eam ob rem gratulantes; ſed Auguſti Principis erga ſe munificentiſſimi ſtatuam ut rem aliis Imperatoribus qui ab illo Auguſti nomen acceperunt, gratam exhibere videntur: ab Auguſto enim Philippenſis Colonia juris Italici facta eſt, cujus meminit Celſus lib. 25. Digeſt. *Colonia Philippenſis juris Italici eſt.*

Hic nummus mediocris, à Patino pag. 163. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.

STOBI.



IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. Caput Domitiani laureatum.

MVNICIP. STOBENS. *Municipium Stobenſium.* Templum quatuor columnarum, in cujus medio figura paludata ſtans.

Stobi, urbs Pelagoniæ regionis in Macedonia eſt, cujus meminit Livius Decad. 4. lib. 3. *Circa Stobos Pelagoniæ improvisò hoſtes oppreſſit.* Stobenſes verò Flaviæ genti ſtudioſiſſimi videntur, quippe Veſpaſiano patri, Tito, & Domitiano nummos percuſſerunt. Templum Auguſto dicatum potiùs quàm Veſpaſiano arbitramur, cùm plurimæ illi per omnes provincias erectæ ſint ædes, apud Hiſtoricos; huic verò ſeu Flaviæ genti à Domitiano, apud Suetonium in ejus vita cap. 5. Romæ unicum exſtructum ſit: *Novam autem excitavit ædem in Capitolio, Cuſtodi Jovi, & Forum quod nunc Nerva vocatur. Item Flaviæ templum gentis.*

Hic nummus mediæ formæ inter rariores collocandus.

IMP. DOMITIANVS VESP.
CAES. AVG. GERM. P. M.
OPVS. PATERN. NEQVITIA
PVBLICANOR. INFECTVM
EA. GENTE. MALE. MVLCTATA
ET. OMNI. IN. POSTERVM
MVNERE. PVBLICO. PRIV.
CONFICI. IVSSIT.

Emeritæ apud Grut. 155. 1.

N E R V A.



BREVE Imperii Nervæ tempus, & quidem procellosum, ad Colonias deducendas haud opportunum fuisse videtur; illum tamen narrat Frontinus Verulæ in Latio Coloniæ agrum limitibus Gracchanis in nominibus assignatum, Colonis reddidisse.

NERVÆ *nummi eximiæ raritatis & elegantiæ sunt; primæ formæ, hactenus non observantur.*

B E R Y T U S.



NERVA. CAES. AVG. Caput Nervæ laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Colonus agens boves.

Berytenses Phœniciæ inter Colonos Romani Imperii Nervæ primi nummos dedicarunt, ipsi gratulantes, quòd extincto crudeli Imperatore, bonus gubernacula susceperit: nam, ut inquit Eutropius lib. 8. *Respublica ad prosperrimum statum rediit, bonis Principibus ingenti felicitate commissa: Domitiano enim exitiali tyranno Nerva successit; vir in privata vita moderatus & strenuus, nobilitatis mediæ, qui senex Imperator factus, æquissimum se præbuit; magis adhuc populis Trajani adoptione gratus.* Colonus, ad originem deductæ Coloniæ indicandam signatus est.

Hic nummus mediæ formæ inter rarissimos reponendus.

C A S S A N D R I A.



IMP. NER. CAES. AVG. Caput Nervæ laureatum.

COL. IVL. AVG. CASSANDREN. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis.* Caput Jovis Ammonis.

Cassandria Macedoniæ urbs est, de qua in Claudio, Nerone, & Vespasiano dictum est, ejus etiam meminit Justinus lib. 24. *ultrò virum in urbem suam Cassandream invitat.* Cassandrenses Nervæ gratulabundi, nummos percusserunt, quòd Imperator esset electus Domitiano occiso, qui, ut refert Eutropius lib. 7. *Ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, avaritiæ, tantum in se odium concitavit, ut merita & patris & fratris aboleret.* Frequens est in Cassandrensium nummo Ammonis caput, cujus ex Ægypto cultus in Græciam allatus est; ille enim pro Jove in Libya habebatur, de quo Lucanus l. 3.

Pro Jove te Libyci coluerunt corniger Ammon.

Monendus interim Lector, ne nummum Nervæ apud Erizzum pag. 170. cum epigraphe COL. IVL. COSSA, & Ammonis capite, ad Cossam Hetruriæ revocet, ille est noster Cassandrensis, in quo vox AVG. exæsa est, & COSSA pro CASSANDR. perperam legit Antiquarius, quem errorem hausit Occo pag. 189. & ab eo Tristanus tom. 1. pag. 365. ab hoc Comes Mediobarbus pag. 146. ut & nuper P. Harduinus pag. 127.

Hic nummus minimi moduli inter elegantiores numeratur.

PA-

PATRÆ.



IMP. NERVA AVGVST. Caput Nervæ laureatum.


COL. A. A. PATRENS. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Colonus agens bovem & vaccam; lævâ vexillum.

De Colonia Patrensi ab Augusto deducta nobis frequens est mentio, cui multa ille beneficia contulit, teste Pausania in Achaicis pag. 432. Καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν εἶναι, ἔδωκε δὲ καὶ ἐς τὰ ἄλλα γέρας σφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ῥωμαῖοι νομίζουσι. *Et solis certe Patrensibus ex Achæis omnibus, ut sua libertate uterentur concessit; atque alia in eam civitatem beneficia contulit, quibus à se deductas Colonias Romani afficere consueverunt.* Coloniæ autem Romanæ sub initium cujusque Imperatoris, ut eorum benevolentiam sibi conciliarent, ipsis nummos immunitatum suarum conservandarum gratiâ offerre solebant, quam ob rem Cassandrenses Nervæ suos cum deductionis symbolo exhibent.

Hic nummus secundæ magnitudinis, eximiæ raritatis est.

IMP. NERVAE. CAESARI. AVG.
PONTIFICI.
MAX. TRIBVNIC. POTEST. COS. III.
P. P. FORO. CL. CENTRON.

Ex Sponio Miscell. pag. 185.



TRAJANUS.





LICET nulli Coloniarum quas deduxit Trajanus, nummi in tota hac Imperatorum serie hactenus reperti sint; quia tamen ex terræ visceribus plurimi quotidie eruuntur, occurrere poterunt nonnulli, qui Colonias aut ab Historicis aut in marmoribus expressas, ab ipso constitutas exhibeant, en earum, quæ nobis supersunt, nomina, *Apulensis*, Ciernensium, *Napocensis*, & *Paralisensium* in Dacia, *Ulpia Tamucas* in Numidia, *Ulpia Trajana* in Gallia Belgica, *Ulpia Trajana Hadrumetina* in Byzacena Africæ provinciæ, *Ulpia Trajana Zarmis-Ægethusa* in Dacia. Duas etiam Legiones instituit, II. *Trajanam Fortem* in Ægypto hiemantem, alteram XXX. *Ulpiam* in Germania: Trajanus enim inter cæteros Imperatores Romani Imperii limites longissimè propagavit.

TRAJANI *nummi primæ magnitudinis, rarissimi & elegantissimi habendi sunt; mediæ & minimæ, obvii & frequentes.*

BERYTUS.



IMP. CAES. NER. TRAIAN. AVG. GERM. Caput Trajani laureatum.

COL. BER. *Colonia Berytus* aut *Berytensis*. Neptunus stans hîc nudus, in aliis cum strophio, dextrâ delphinum, lævâ tridentem gerit, pede supra proram, in aliis supra saxum imposito.

Berytenses Phœniciæ Trajano nummos paulò post ejus adoptionem, & ante Dacicam expeditionem, cùm Germanici tantùm nomen haberet, gratulantes percusserunt. Neptunus, de quo in Augusto pag. 11. dictum est, ut Tutelare Coloniæ Numen in eo signatum est; ille tridentem pro sceptro gerit, unde apud Ovid. Met. 11.

Quumque tridentigero humidi genitore profundi.

Palæphatus de fab. narrat. ait illum tridentem ferre, quòd aquarum natura triplici virtute fungatur, id est liquida, fœcunda, & potabili.

Hic nummus minimi moduli, frequens & obvius est.



IMP. CAES. NER. TRAIAN. AVG. GERM. DAC. COS. VI. Caput Trajani laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus*. In aliis, COL. BER. diversæ sunt epigraphæ. Colonus agens boves.

Hic nummus in Consulatu VI. Trajani à Berytensibus percussus est, cùm ille in Syriam bellum contra Parthos gesturus venit; hunc verò Consulatum iniit anno U. C. 867. CHr. 114. cum Vergiliano Pedone, qui Antiochiæ, postquam Trajanus ex Armenia victor rediisset, terræ motu extinctus est, ut ex Dione novimus lib. 68. pag. ὧν ἐς ϗ ὁ Πέδων ὁ ὕπατος ἐγένετο, ϗ εὐθύς τε ἀπέθανε. *In eorum numero fuit Pedo Consul, qui statim mortuus est.* Berytenses Trajano de Armenia capta gratulan-

gratulantes, nummos ei dedicarunt: ipsi verò cùm se primis Imperii temporibus Colonos fuisse deductos gloriarentur, Coloniæ constitutæ typum in nummis plerumque exhibuerunt.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ, à Patino pag. 179. vulgatus, obvius est.



IMP. CAES. TRAIANO. AVG. COS. VI. Caput Trajani laureatum.
COL. BER. *Colonia Berytus.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea.

En alter Coloniæ Berytensis deductionis seu potiùs supplementi typus, ut in Augusto pag. 11. diximus, eodem Consulatus Trajani VI. tempore quo superior nummus, in ejus honorem cusus est: nam cùm Berytenses à Julio Cæsare Coloni constituti fuissent, in eorum urbem Legionum V. Macedonicæ & VIII. Augustæ Veterani ad Coloniæ supplementum ab Augusto transmissi sunt, in cujus rei memoriam ipsi duas aquilas legionarias, ad indicandas duas illas Legiones, in nummis exhibent. Sed cur in illis modò colonus, modò aquilæ signantur, id auctoritate Magistratuum, qui à civibus in Coloniam deductis, aut qui ab illis Veteranis in supplementum traductis originem trahunt, fieri existimamus.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 179. nec rarus nec obvius est.



IMP. CAES. NER. TRAIANO. OP. AVG. GER. DAC. ..... Caput Trajani laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Mulier seminuda & turrita in templo tetrastylo, dextrâ baculum in crucem efformatum, lævâ cornucopiæ, ad sinistras icuncula alata columnæ imposita ei coronam porrigit.

Berytenses in superioribus Trajani nummis typos ad Coloniæ fundationem spectantes exhibuerunt; in hoc tutelarem Deam Astarten sub Genii figura ex templo ipsi condito signant: caput ejus, quale urbis Genio familiare, turritum est, cui cornucopiæ, ut gignendarum rerum vim habenti tribuunt. Astarten verò Syrorum Deam (nam alii Atergatim, alii Decerto nominatam volunt) Cicero 3. de nat. Deor. fuisse existimat, cui hæc figura satis convenire videtur, cui an Cupido alatus, vel Victoria, coronam porrigit, videant Antiquarii.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.

CÆSAREA Palæstinæ.



IMP. CAE. NER. TRA. AVG. GER. P. M. TR. P. COS. II. P. P. Caput Trajani laureatum.
COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAREN. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarensis.* Victoria stans, dextrâ coronam, sinistrâ palmam.

Cæsarea Palæstinæ, priùs Stratonis Pyrgos, ab Herode Judæorum Rege in Augusti honorem dicta est, qui eam ædificiis plurimis ornavit, quasi eam condidisset, ut innuere videtur Amm. Marcellinus l. 14. *Cæsaream, quam ad honorem Octaviani Principis exædificavit Herodes.* Illa nummum Trajano cum victoriæ signo percussit ob Germaniæ victorias, propterea quòd ei Germa-

nici nomen delatum eſt, cum Romam anno Imperii ſui 2. rediiſſet. Victoriæ pennas addunt & palmam, ut ex Claudiano de laudibus Stiliconis liquet.

Ipſa duci ſacras victoria panderet alas.
Et palma viridi gaudens.

Hic nummus minimi moduli pro raro numeratur.



IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. DAC. Caput Trajani laureatum.
COL. PRIMA. FL. AVG. CAESARENSIS. *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarenſis.* Figura togata ſtans ſacrificat ſuper tripodem, lævâ cornucopiæ.

Alter eſt Cæſareæ Palæſtinæ nummus in Trajani honorem, ſed diverſo tempore cuſus, ſi verò conjecturæ locus, cùm ille in Syriam venit, quod indicat *Dacici* cognomen, & ſacrificantis habitus; nam etſi aperto capite ſacra faciat, rectè id tanquam Imperator & non Pontifex Maximus exequi potuit, ut notat Cl. Raph. Fabrettus de Col. Traj. cap. 6. pag. 169. imò à Cæſarenſibus tanquam urbis Genius depictus eſt. Cornucopiæ ejus Dei ſymbolum gerit. De vana urbium erga Imperatores adulatione, aliàs dictum eſt, qui eos urbis ſuæ Genios tanquam tutelares Deos pro vel minimo beneficio nominabant.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, mihi dono datus à D. Ricaut Juniore cive Maſſilienſi, inter rariores adſcribendus.

DEULTON.



IMP. CAE. NER. TRA. AVG. GER. P. M. TR. P. COS. III. P. P. Caput Trajani laureatum.
C. F. P. D. *Colonia Flavia Pacenſis Deulton.* Caput bovis.

Deulton urbs Traciæ, Colonia à Veſpaſiano deducta eſt, ut Flaviæ & Pacenſis nomina illi ab eo indita arguunt, illud nomen gentis ſuæ, alterum ob ſingularem erga Deam Pacem ejus cultum: Pax enim Græcis εἰρήνη, Dea ab antiquis habita eſt, teſte Juvenali.

Ut colitur Pax, atque Fides.

Veſpaſianus Romæ templum Pacis magnificentiſſimum, foro proximum, à Claudio inchoatum conſtruxit. Ab eo Veteranos Deulton deductos innuit Plin. lib. 4. cap. 11. *Deulton, cum ſtagno quod nunc Deulton, Veteranorum.* Huic nomen Pacenſis, non *Paciferæ*, nec *Pacificæ*, ut quidam putarunt Antiquarii, eſſe monuit P. Harduinus pag. 137. Caput bovis, ſacrificium aut votum pro Trajano indicat: in templis enim boum capita appendere ſolebant. Vide Patinum p. 222. forſan pro ejus in Dacos expeditione, quam in hoc tertio Conſulatu aſſignat Com. Mediobarbus pag. 140. eam tamen quarto tantùm Conſulatu ſuſcepiſſe videtur.

Hic nummus tertii moduli pro raro notandus.

PTOLEMAIS.



IMP. CAES. NER. TRAIANVS AVG. GERM. in aliis IMP. CAES. TRAIAN. AVG. COS. VI. Caput laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Mulier velata & turrita, montibus inſidens, dextrâ ſpicas, pro pedibus fluvium brachiis expanſis.

Pto-

Ptolemaidenſes Phœniciæ, de quibus in Claudio & in Nerone dictum eſt, nummos Trajano, cùm Imperium eſſet adeptus, quòd *Germanici* nomen arguit, modò in Syria ad bellum Parthicum properanti, quod Coſ. VI. denotat, percuſſerunt. In utroque Genius urbis eſt; turri ornatur, ut hæc muris fortibus cincta; ſcopulis inſidet, ut montibus ex parte terræ undique circumdata; dextrâ ſpicas gerit, ut iis abundans: in magno enim campo ſita eſt; pede fluvium Beleum calcat, ut ipſi proxima, quæ omnia apud Joſephum lib. de bell. Jud. 2. cap. 17. videre eſt. Πρόσεστι ἡ πόλις αὕτη τῆς Γαλιλαίας παράλιος καὶ τὸ μέγα πεδίον ἐκπεσμένη, περιέχεται δὲ ὄρεσιν..... δὲ ἄστεως ἀπὸ δύο σταδίων ὁ καλούμενος Βήλεος ποταμὸς παραρρέει παντάπασιν ὀλίγος. *Eſt autem hæc civitas Galilææ littoralis in magno campo ſita, circumdatur autem montibus.... Ab ea autem urbe diſtans duobus ſtadiis præterlabitur fluvius; quem vocant Beleum, exiguus prorſus.*

Uterque nummus ſecundæ magnitudinis inter raros adſcribendus.

S T O B I.



IMP. NERVA TRAIAN. AVG. GERM...... Caput Trajani laureatum.

MVNICIP. STOBENSIVM. Templum quatuor columnarum, in quo figura paludata ſtans, ſiniſtra haſtam.

Stobenſes Pelagiæ regionis in Macedonia, de quibus in Veſpaſiano, Tito & Domitiano dictum eſt, nummos Trajano in obſequii monumentum dedicant. Is Princeps ab omnibus deſideratus eſt, &, ut narrat Eutropius lib. 8 *Per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit & vivus & mortuus.* Stobenſes in averſa nummi parte templum Auguſto dicatum cuderunt, forſan ut duos Imperatores, quorum memoria apud poſteros grata erat futura, exhiberent; quippe idem auctor ſub Imp. Valente refert loco laudato. *Hujus tantum memoriæ delatum eſt, ut uſque ad noſtram ætatem non aliud in Senatu Principibus acclametur: Niſi felicior Auguſto, melior Trajano.* Adolphus Occo figuram paludatam, Palladem eſſe exiſtimavit, ſed conſtanter hæc figura ſine galea, ſed paludata, in Veſpaſiano cum eodem templo, ut in hoc nummo, conſpicitur. Ille in detrito nummo pag. 194. SIDOBENSIVM aut SIOBENSIVM legit, Triſtanus ex eo tom. I. pag. 401. SINOPENSIVM auguratus eſt, Comes Mediobarbus pag. 163. & Triſtani SINOPENSIVM, & veram STOBENSIVM epigraphen profert.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro raro ponendus.

T R O A S.



IMP. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. DAC. Caput Trajani laureatum.

COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Caput turritum, pone quod vexillum.

Troas urbs Phrygiæ minoris, Helleſponto adjacens, paucis milliaribus à Trojæ antiquæ ruderibus extructa, ab Alexandro M. dicta *Alexandria*, ab Auguſto Colonia deducta eſt, ut ex Strabone liquet lib. 13. pag. 593. Καὶ δὴ Ἀλεξάνδρεια καὶ διαμένει, καὶ ηὔξηται, νῦν δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται. *Et quidem hæc Alexandrea duravit & crevit, nunc etiam Romanorum Coloniam excepit.* Nomen *Dacici* nummum à Troadenſibus Trajano, ob Daciam Imperio Romano acquiſitam gratulantibus percuſſum indicat. Caput turritum, urbem mœnibus circundatam arguit; vexillum ad Legionis Veteranos in eam tranſmiſſos ſpectat. In Goltzii Theſauro vigeſima prima eſt; ſed cùm nulla hujus nominis in provinciis ab Auguſto conſtituta ſit, ideo non omnino huic Antiquario fides adhibenda.

Hic nummus minimæ formæ inter raros computatur.



IMP. NER. TRAIAN. GERM. DAC. Caput Trajani laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troadensis.* Lupa cum puerulis.

Cùm plurimos Troadensium nummos Trojano dicatos observemus, sicut & plurimarum Asiæ Minoris urbium, nobis conjecturæ locus est, ipsum urbem Troadem in memoriam Trojæ antiquæ, ex qua Romanos originem habere decantatum est, in Syriam profecturum adiisse, cùm Asiam eum peragrasse novimus apud Dionem lib. 68. pag. 778. Καὶ διὰ τοῦτ' ἐπειδὰν εἰς τὴν Συρίαν ἔλθῃ πάντα τὰ προσήκοντα ποιήσει. Καὶ οὕτω διανοίας ὤν, ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ ἐπὶ Κιλικίας, τῶν τε ἐχομένων ἐθνῶν, ἐς Σελεύκειαν ἐκομίσθη. *Ideoque se postquam in Syriam venisset, facturum omnia, cùm fieri par esset. In hac sententia persistens, Asiam Ciliciamque finitimis cum provinciis peragravit, ad Seleuciam adpulit.* Lupa cum puerulis plerumque in Coloniarum Romanarum nummis signatur, tanquam ad Romæ originem spectans.

Hic nummus minimi moduli pro raro computatur.

PLOTINAE. AVG. CONIVGI. AVG.	IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. MERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GERMANIC. DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVIII. IMP. VIII. COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO PRINCIPI SENATVS. P. Q. R. QVOD ACCESSVM ITALIAE. HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECVNIA. SVA PORTV. TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. REDDIDERIT.	DIVAE MARCIANAE AVG. SORORI. AVG.

Exscripsi Anconæ in portu ad arcum Trajani.

PLOTINA.



PLOTINÆ nummi ex minima forma hactenus observati, eximiæ raritatis sunt.

CASSANDRIA.



PLOTINA AVGVSTA. Caput Plotinæ.

COL. IVL. AVG. CASSANDREN. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis.* Caput Jovis Ammonis.

Cassandria, urbs Macedoniæ, de qua sæpius dictum est, Plotinam venerata, ei nummos suos dedicat. De Plotina hæc habet Dio lib 68. p. 771. Καὶ ἔτω γε ἑαυτὴν διὰ πάσης τῆς ἀρχῆς διήγαγεν, ὥστε μηδεμίαν ἐπηρεῖαν σχεῖν. *Ea quidem sic se gessit in principatu, ut justa reprehensione caruerit.* Cur Jupiter Ammon in Cassandriæ nummis percussus sit, à nobis dictum. Illius Dei cultum in Macedonia ob Alexandrum Magnum receptum fuisse suspicari quis posset. Macedones eum Jovis Ammonis filium prædicabant: cùm enim adeundi Ammonis Libyci oraculum cupido ipsum incessisset, ut quæ ad genus fortunamque suam pertinerent, certiùs cognosceret, aut saltem se novisse jactaret, ingredientem Ammonis templum, statim Antistes ut Jovis Ammonis filium salutavit. Ille lætus Dei adoptione, hocce patre natum censeri jussit.

Hic nummus minimi moduli, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

CORINTHUS.



PLOTINA AVGVSTA. Caput Plotinæ.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Isis faria utraque manu velum explicat.

Corinthii Plotinæ ad expeditionem Parthicam cum Trajano proficiscenti nummos dedicant: ut enim Trajanus in Syriam iter faciens Athenas invisit, teste Dione lib. 68. p. 778. Στρατεύσαντος δ' αὐτοῦ ἐπὶ Πάρθους, καὶ ἐς Ἀθήνας ἀφικομένου. *Hac verò expeditione contra Parthos institutâ cùm Athenas adpelleret.* Mihi liceat illum cùm oram legeret, Corinthum etiam profectum, suspicari. Isidis cultum apud Corinthios receptum, ex ejus templis in illorum urbe conditis novimus ex Pausania lib. 2. Κατὰ δὲ τὸ ἕτερον πέρας τοῦ λιμένος Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἴσιδος ἱερά. *In altero verò portus cornu, Æsculapii & Isidis fana.* Imò duo alia in Acrocorintho memorat ibid. Ες δὴ τὸν Ἀκροκόρινθον τοῦτον ἀνιοῦσιν, ἔστιν Ἴσιδος τεμένη, ὧν τὴν μὲν Πελαγίαν, τὴν δὲ Αἰγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζουσιν. *Qui in Acrocorinthum ascendunt, fana duo Isidis videant, alterum Pelagiæ, alterum verò Ægyptiæ cognomento.* Isis velum explicat, quòd velorum navium inventrix perhibeatur.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

INCERTA.



TRAIANVS AVG. Caput Trajani laureatum.

PLOTINA. AVG. MARCIANA. AVG. Capita Plotinæ & Marcianæ adverſa.

Præſtantiſſimus eſt hic nummulus, à nobis Theſauro Regio additus, in aliqua Colonia, cùm nullam S. C. notam præferat, percuſſus Plotinæ Trajani uxoris, & Marcianæ ejus ſororis effigies repræſentat, quarum nummi inter ſingulariſſimos collocantur, ita ut utriuſque ex media forma nulli Senatuſconſulto ſignati, imò primæ magnitudinis, Marcianæ tantùm poſt ejus apotheoſim reperiantur.

Hic nummus minimæ formæ, raritatis eximiæ eſt.



HADRIA-

HADRIANUS.





SPARTIANUS, qui Hadriani vitam accuratè ſcripſit, multas civitates nomine *Adrianopolis* illum appellaſſe narrat; ſed Colonias deduxiſſe non meminit licet Euſebius in Chron. eum in Libyam plurimas miſiſſe v. imperii ſui anno, tradat. En quæ nobis tum à nummis, tum à marmoribus ſuppeditantur AELIA CAPITOLINA in Palæſtina; Municipium *Ælium Cœlium* in Numidia. *Hadriana Juvavienſis* in Norico, *Ælia Hadriana Gemellina* in Numidia, ex Ligorii nummis, ſed ſuſpectus admodum ille Antiquarius, *Ælia Thenitis*, & *Aelia Hadriana Zama* in eadem provincia. Hadrianus in Spartiano; *multum beneficiorum in provinciis Africanis attribuit*.

HADRIANI *nummi primæ magnitudinis rari ſunt; cæteri frequentes & obvii.*

ÆLIA CAPITOLINA.



IMP. CAES. TRAI. HADRIAN. AVG. Caput Hrdriani laureatum.

COL. AEL. CAP. *Colonia Aelia Capitolina.* Templum diſtylum, in quo tres figuræ. Jupiter ſedet inter Palladem & urbis Genium ſtantes.

Apud Seb. Erizzum pag. 218. pro COL. APO. repone COL. AEL. CAP. nulla eſt Colonia Apollonia, hæc pariter delenda in Mediobarbo, apud quem pag. 185. pro COL. HEL. CAP. lege COL. AEL. CAP. & in ſuperiore, Hadriano perperam attributo reſtitue COL. AEL. CAP. COMM.

Hadrianus Judæos res novas molientes compreſſit. Apud Spartianum: *Lycia denique ac Palæſtina rebelles animos efferebant.* Et paulò pòſt, *Marcio Turbone Judæis compreſſis.* Hadrianus eos Jeſorolyma expulit, & in illam Coloniam deduxit, quam de nomine ſuæ gentis Æliam appellavit, vide Jornandem lib. 1. de regn. & temp. ſucc. *Hieroſolymam propriis reparavit expenſis... Si quidem ſuo de nomine Æliam appellans, nulli Judæorum ingredi permiſit.* Templum, Jovis eſt Capitolini, in quo ſedet ille; hoc Jeroſolymæ ædificari juſſit Hadrianus; teſte Xiphylino in ejus vita pag. 356. Ες δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα πόλιν αὐτὸς ἀντὶ τῆς κατασκαφείσης οἰκίσαντος, ἣν καὶ Αἰλίαν Καπιτωλῖναν ὠνόμασε, καὶ ἐς τὸν τοῦ ναοῦ τοῦ θεοῦ τόπον, ναὸν τῷ Διὶ ἕτερον ἀντεγείραντος. *Cùm autem in urbem Hieroſolymam, quæ everſa fuerat, quamque* AELIAM CAPITOLINAM *appellavit, Coloniam deduxiſſet, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curaviſſet.* Pallas & urbis Genius Jovi adſtant.

Hic nummus mediæ formæ; à Patino vulgatus pag. 195. inter rariores collocandus.



IMP. CAES. HADRIAN. AVG. Caput Hadriani laureatum.

COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Caput Solis radiatum.

Judæis Jeroſolyma expulſis, & ipsâ Coloniâ Romanorum conſtitutâ, plerique eorum Dii in eam recepti ſunt, ut innuere videtur Xiphylinus in vita Hadriani pag. 356. Ἰουδαῖοι γὰρ δεινόν τι ποιούμενοι, τὸ ἀλλοφύλους τινὰς ἐς τὴν πόλιν σφῶν οἰκισθῆναι, καὶ τὸ ἱερὰ ἀλλότρια ἐν αὐτῇ ἱδρυθῆναι. *Judæis graviter ferentibus, quòd exteræ nationes in urbem ſuam habitatum veniſſent, quòdque in ea fieri externa ſacra viderentur.* Solis caput, Æliæ cultum ut in Syria indicat. Coloni Hadriano fundatori & patrono nummos ſuos beneficiorum memores dedicarunt.

Hic nummulus inter elegantiores numerandus.



IMP. CAES. HADRIAN. AVG. Caput Hadriani laureatum.
COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Aquila legionaria.

Hadrianus Jeroſolymam evertit, & mutato nomine, de gente ſua *Æliam* appellavit, ut refert Suidas in Except. Cæſ. vit. Ὁ γὰρ Ἀδριανὸς καθεῖλε τὴν πόλιν ἄρδην.... καὶ τὸ ἑαυτοῦ ὄνομα ἐπέθηκε τοῖς λειψάνοις τῆς πόλεως, Αἰλίαν αὐτὴν προσαγορεύσας. *Hadrianus enim urbem Hieroſolymam funditus evertit ..... Imperator autem urbis reliquias de nomine ſuo appellavit.* Aquila legionaria Veteranos cujuſdam Legionis Jeroſolymam cum civibus Romanis in Coloniæ ſupplementum unà traductos arguit. Legionis nomen forſan aliquando alter amplior nummus ſuppeditabit.

Hic nummus infimi moduli pro rariſſimo habendus.

BERYTUS.



IMP. TRA. HADRIANVS AVG. P. P. Caput Hadriani laureatum.
COL. BER. *Colonia Berytus* aut *Berytenſis.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea.

Berytenſes Phœniciæ Hadriano nummos percuſſerunt, non primis imperii ipſius temporibus; cùm ille in Syria Imperator ſalutatus eſt, quia ille in hoc *Pater patriæ* renuntiatur; quod nomen in aliud tempus diſtuliſſe narrat Spartianus. *Patris patriæ nomen delatum ſibi ſtatim, & interim poſtea, diſtulit: quod hoc nomen Auguſtus ſerò meruiſſet.* Illud Euſebius anno tantùm imperii ſui undecimo recepiſſe tradit in Chron. *Imperator Hadrianus Pater patriæ appellatur, & ejus uxor, Auguſta.* Anno verò inſequenti Syriam luſtravit. Duæ aquilæ legionariæ ad denotandos ex Quintæ Macedonicæ & Octavæ Auguſtæ Legionum Veteranis Colonos, ut in Auguſto diximus, Berytum tranſmiſſos.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 195. vulgatus, obvius & tritus eſt.



COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Mulier turrita ſeminuda ſtans in templo quatuor columnarum, dextrâ baculum, lævâ cornucopiæ, ad ſiniſtras icuncula alata, columnæ impoſita, ei coronam porrigit.

Aſtarte Dea in Trajani nummis exhibetur, eandem in templo Berytenſium nummi Hadriano percuſſi repræſentant. Hæc ſub variis nominibus colebatur in Syria viciniſque provinciis, etiam in Parthia, modò Decerto, modò Atergatis, modò Venus appellata, ut indicat Iſidorus Characenus in Parthiæ Periegeſi. Ἔνθεν Βεσηχάνα πόλις, ἐν ᾗ ἱερὸν Ἀταργάτη. *Tum Beſechana urbs, in qua templum Atergati.* Illam Aſcalonitarum nummi in ſuperiore parte mulier cum infima piſcis exhibent, ut & narrat Manilius in Aſtron. lib. 4.


Piſcibus Euphrates datus eſt, ubi piſcis amator,
Cùm fugeret Typhona Venus, ſubſedit in undis.

Hyginus

Hyginus fabulam narrat Aſtron. 2. *Diogenites Erithracus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem veniſſe, & eodem repente Typhona giganta apparuiſſe, Venerem autem cum filio in flumen ſe projeciſſe.* Forſan ille eſt aliger columnæ impoſitus, qui matri coronam porrigens depingitur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis nec rarus nec obvius eſt.

CÆSAREA Palæſtinæ.



IMP. TRAIA. HADRIANO. CA. AV. Caput Hadriani laureatum.

C. P. F. AV. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea* vel *Cæſarenſis.* Figura muliebris ſuccincta & turrita ſtans, dextrâ caput humanum, lævâ baculum oblongum, pede ſupra fluvii figuram impoſito.

Cæſarea Palæſtinæ nummum hunc Hadriano primis imperii ejus temporibus, ob Trajani nomen quod tunc aſſumebat, percuſſiſſe videtur; in averſa ejus parte Aſtarte ſeu Venus eſt, paululùm veſtitu à Berytenſi, de qua ſuprà dictum eſt, diverſa, turribus quidem ornata, ut ipſa tanquam urbis tutelaris Dea, ſed caput dextrâ ſuſtinet, & pedem fluvii figuræ imponit. Nullus eſt Cæſareæ fluvius proximus, urbis enim ſitum apud Joſ. l. 3. de Bell. Jud. c. 14. videre eſt. Cùm autem Cæſarea Veneris cultum à Byblo Phœniciæ accepiſſet, Deam hanc cum iiſdem inſignibus quæ gerit, in hac urbe percuſſit: itaque fluvius ille Adonis eſt Byblo proximus, & caput illud papyraceum eſt, cujus hiſtoriam narrat Lucianus de Dea Syria. Κεφαλὴ ἑκάστου ἔτεος ἐξ Αἰγύπτου ἐς τὴν Βύβλον ἀπικνέεται, πλώουσα τὸν μεταξὺ πλόον; ἑπτὰ ἡμερέων, καὶ μιν οἱ ἄνεμοι φέρουσι θείῃ ναυτιλίῃ, τρέπεται δὲ οὐδαμᾶ, ἀλλ᾽ ἐς μούνην τὴν Βύβλον ἀπικνέεται, καὶ ἔστι τὸ σύμπαν θῶυμα. *Caput unoquoque anno ex Ægypto Byblum defertur, ſeptem diebus, quantum ſpatii ex illa in hanc eſt, enatans: ipſumque venti divina quadam navigatione ferunt: nec uſquam aliò vertitur, ſed ſolam Byblum perfertur, totaque res ea eſt admiranda.* Illud caput cùm Byblum appulit, anniverſaria Adonidis celebrantur, in quibus plangitur ille mortuus, & poſtea reviviſcens canitur; de quo idem Lucianus. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο θῶυμα ἐν τῇ χώρῃ τῇ Βυβλίῃ, ποταμὸς ἐκ τοῦ Λιβάνου τοῦ οὔρεος, ἐς τὴν ἅλα ἐκδιδοῖ, οὔνομα τῷ ποταμῷ Ἄδωνις ἐπικέαται. ὁ δὲ ποταμὸς ἑκάστου ἔτεος αἱμάσσεται, καὶ τὴν χροιὴν ὀλέσας, ἐσπίπτει ἐς τὴν ἅλα φοινίσσων, καὶ σημαίνει τοῖς Βυβλίοις τὰ πένθεα. *Porro etiam alia res admiranda eſt in terra Bybliorum, fluvius quidam ex Libano monte in mare defertur: fluvio nomen eſt Adonis. Hic quotannis cruore inficitur, amiſſoque colore in mare dilabitur, tempuſque lugendi Bybliis indicat.* Hæc omnia in gratiam Veneris, quæ Adonin amaſium fleviſſe perhibetur; ideo illa ut tutelaris Dea, turrita depingitur; caput tenet, fluviumque premit, in Adonionum memoriam. Gratius Poeta lib. de Venatione.

Flet adhuc, & porro flebit Adonin
Victa Venus.

Hic nummus infimæ molis, nec rarus nec obvius, à Patino vulgatus pag. 195. eſt, cujus epigraphe; COL. FLAVI. CAESAR. *ut in Theſauro Mauroceno pag.* 98. C. I. F. CAESAR. *repone* C. P. F. AV. CAESAR.



IMP. TRAIAN. HADRIANO. CAES. AVG. Caput Hadriani laureatum.

COL. P. FL. AVG. CAESAREN. *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarenſis.* Colonus agit boves, Victoria per aërem volitans coronam & lauream gerit.

Nummus hic Cæſareæ eodem quo ſuperior tempore cuſus ob adoptivum Trajani nomen. Colonus ad originem Coloniæ indicandam ſignatus eſt: Victoria coronam ferens levis cujuſdam victoriæ contra Parthos monumentum videtur; alter enim occurrit Hadriani Conſulis cum VICTORIA AVGVSTI S. C. & Victoria ſtante, utraque manu trophæum: ſed ille, ut ait Spartianus in ejus vita, *Adeptus Imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit, & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit. Nam deficientibus his nationibus, quas Trajanus ſubegerat.... omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit.*

Detritum hoc numiſma Com. Mediobarbus ob mutilam epigraphen ad incerta revocavit COL T. FLAV. Eques verò Urſatus de Nob. Rom. pag. 105. COL. T. ELAVI. interpretatus eſt, *Colonia Trajana Elavia*, Siciliæ Caſtellum. In utroque reponendum COL. P. FL. AVG. CAESAREN.

Hic nummus primæ magnitudinis inter raros locum habet.

CORINTHUS.



IMP. CAES. TRAI. HADRIAN. AVG. Caput Hadriani laureatum.
C. L. IVL. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Caput Jovis Capitolini laureatum.

Corinthii ob beneficia ab Hadriano in urbem ſuam collata plurimos ipſi nummos percuſſerunt; primas tenet hic cum capite Jovis Olympii, cujus erat apud illos cultus & templum, de quo Pauſanias lib. Corinth. pag. 92. Ὑπὲρ δὲ τὸ θέατρόν ἐστιν ἱερὸν Διὸς Καπετωλίου φωνῇ τῇ Ῥωμαίων, κατὰ Ἑλλάδα δὲ γλῶσσαν, Κορυφαῖος ὀνομάζοιτ' ἄν. *Supra theatrum, templum eſt Jovis, quem Capitolinum Romanorum voce, Græcâ linguâ Coryphæum rectè appellaris.* Κορυφαῖος, id eſt ſupremus, quem Cicero appellat Optimum Maximum. *Quo circa*, inquit, *te Capitoline, quem propter beneficia Pop. Romanus Optimum, propter vim, Maximum appellavit.*

Hic nummus mediocris moduli in rariorum numero collocandus.



IMP. CAES. TRAIANVS AVG. Caput Hadriani laureatum.
COL. L. IVL. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Caput Solis radiatum.

Sol alter tutelaris Corinthi Deus perhibetur, cui ex Briarei ſententia Acrocorinthus adjudicatus eſt, apud Pauſaniam in Corinth. pag. 86. Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι Ποσειδῶνα ἐλθεῖν Ἡλίῳ περὶ τῆς γῆς ἐς ἀμφισβήτησιν. Βριάρεων δὲ διαλλακτὴν γενέσθαι σφίσιν, Ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ, δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ ἄκραν Ἡλίῳ δόντος τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως. *Ipſi quidem Corinthii Neptunum narrant in certamen cum Sole de regione deſcendiſſe: diſceptatorem inter eos Briareum fuiſſe, qui cum Iſthmum Neptuno, Soli verò promontorium quod urbi imminet, adjudicaſſet.* In Acrocorintho ideo colebatur, & ipſi aræ erant erectæ, eodem Hiſtorico teſte pag. 93. Μετὰ δὲ αὐτὰ Ἡλίῳ πεποίηνται βωμοί. *Sunt deinceps Solis aræ.* Coronatur radiis, unde illi nomen apud Heſychium, Αφήτωρ, id eſt Emiſſor, ab emittendis radiis quaſi ſagittis.

Hic nummulus nec rarus nec obvius eſt.



IMP. TRAI. HADRIAN. AVG. Caput Hadriani laureatum.
COL. IVL. AVG. COR. *Colonia Julia Auguſta Corinthus.* Bellerophon in Pegaſo contra Chimæram decertans.

Bellerophon Glauci Corinthi Regis filius in ejus urbis nummis frequens occurrit; quem patri ſucceſſiſſe ſibi perſuadere nequit Pauſanias lib. 2. pag. 91. Βελλεροφόντην δὲ οὐκ αὐτοκράτορα ὄντα βασιλεύειν, εἶναι δὲ ἐπὶ Προίτῳ καὶ Ἀργείοις ἐγώ τε πείθομαι. *Neque verò Bellerophontem regnum Corinthiorum unquam poſſediſſe, ſed in Prœti Argivorum Regis poteſtate fuiſſe, & ut ipſe credam facilè adduci poſſum.* Illum tamen in exilium miſſum fuiſſe agnoſcit in eodem lib. pag. 145. Βελλεροφόντην δὲ ἐλθεῖν ἐς Τροιζῆνα γυναῖκα αἰτήσοντα Αἴθραν παρὰ Πιτθέως, πρὶν δὲ γῆμαι, συμβῆναι οἱ φυγεῖν ἐκ Κορίνθου. *Addunt Trœzenem veniſſe Bellerophontem, cùm uxorem ſibi à Pittheo Æthran popoſciſſet: verùm ita accidiſſe, ut ante nuptias Corintho in exilium mitteretur.* Bellerophon in Iſthmicis Corinthi ludis apud Hyginum fab. 373.

fab. 373. equo vicit, ideo equum volantem conſcendiſſe dixerunt, & Pegaſo eum donarunt. Summo autem honore Corinthi colebatur, cùm in ea, teſte eodem Pauſania loco citato, templum haberet pag. 88. Ενταῦθα Βελλεροφόντε τέ ἐςι τέμενος. *In eo Bellerophontis fanum eſt.*

Hic nummus tertiæ magnitudinis obvius & frequens.



HADRIANVS AVGVSTVS. Caput Hadriani laureatum.

COL. IVL. AVG. COR. *Colonia Julia Auguſta Corinthus.* Diana Venatrix ſuccincta ſtans; Lunam creſcentem in capite habet, dextrâ cervo admotâ; & lævo cubito columnæ impoſito haſtam gerit.

An Corinthii Hadriano adulantes in ejus nummis Dianam venatricem percuſſerint, quod ille venationibus magnopere delectaretur; aut quòd ipſi Dianam colerent, videant eruditi. Corinthi duo ejus ſigna conſpiciebantur, referente Pauſania lib. 2. in foro unum. Εςιν ἐν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς (ἐνταῦθα γὰρ πλεῖςά ἐςι τῶν ἱερῶν) Αρτεμις τε ἐπίκλησιν Εφεσία, καὶ Διονύσε ξόανα ἐπίχρυσα πλὴν τῶν προσώπων. *In foro, ubi plurima ſunt templa, Diana eſt Epheſia cognomento, & Liberi Patris ſigna duo lignea, inaurata.* Alterum in via qua ad Lechæum rectà iter eſt. Εν ἀριςερᾷ δὲ τῆς εἰσόδε Ποσειδῶν, καὶ μετ᾽ αὐτὸν Αρτεμις θηρεύεσα ἕςηκε. *Ad lævam aditus Neptunus, ſecundùm eum venatricis habitu Diana ſtat.* Plurimis Diana nominibus à venatione deſumptis donatur à Græcis, quia ipſi præeſſe creditur. Θηροφόνος & Θηρόκτονος, Fericida, Αγροτέρα, Venatrix, Ορεία, Montana, & Φιλόθηρος, Sectatrix ferarum. Dianæ cervus erat ſacer, de quo Servius comm. Æn. 6. *Agamemnon Dianæ cervum occidit ignarus; unde irata Dea, flatus ventorum removit.*

Hic nummus infimæ magnitudinis, in rariorum numero collocatur.



IMP. CAES. HADRIAN. AVG. Caput Hadriani laureatum.

COL. LAVS. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Fortuna ſtolata ſtans, dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ gerit.

Fortunam Deam antiqui credidere; hinc illud Juvenalis Sat. 10.

Sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Quot illa habuerit ſub variis cognominibus Romæ templa, vide apud P. Victorem de Reg. urbis. Corinthi etiam unum ipſi ædificatum narrat Pauſanias lib. 2. Εςι δὲ καὶ Τύχης ναὸς, ἄγαλμα ὀρθὸν Παρίε λίθε. *Eſt præterea Fortunæ ædes, cujus ſignum recto ſtatu, è Pario lapide.* Fortuna teſte Lactantio lib. 3. effingebatur cum cornucopiæ & gubernaculo, tanquam opes tribuere, & humanarum rerum regimen obtinere putaretur.

Hic nummus minimæ formæ, pro raro ſervandus.



IMP. CAES. TRAI. HADRIANO. Caput Hadriani laureatum.

COL. L. IVL. COR. In aliis COL. LAVS. IVL. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Templum exaſtylum in vertice montis.

Nummum hunc cum mutila epigraphe COL. V. IVL. C. pro COL. LAVS. IVL. COR. vulgavit Triſtanus tom. 1. pag. 483. quem *Colonia victrix Julia Calaguris*, deinde dubius, *Colonia victrix Julia Conſtantia* etiam interpretatur. P. Harduinus pag. 119. Triſtanum arguens, illum ad *Coloniam Victricem Juliam Celſam* revocat; Mediobarbus eum pag. 185. rectè Corintho tribuit. Templum in vertice montis, Veneris eſt, quod in Acrocorintho collocat Pauſanias in Corinthiacis

rinthiacis pag. 93. Ἀνελθοῦσι δὲ ἐς τὸν Ἀκροκόρινθον, ναός ἐστιν Ἀφροδίτης. *Jam in ipſo ad Acrocorinthum aditu, delubrum eſt Veneris.* Corinthii autem quidquid memoria dignum haberent, in nummis ſignarunt.

Hic nummus minimæ formæ, obvius & tritus eſt.



IMP. CAES. HADR. AVG. Caput Hadriani laureatum.

COL. LAVS. IVL. AVG. COR. *Colonia Laus Julia Auguſta Corinthus.* Arcus ſupra quem Imperator in quadrigis, hinc & inde trophæum.

Triſtanus tom. 1. pag. 184. nummum hunc deſcripſit, in cujus averſa parte porticum, vel anteriorem templi partem, vel fortè arcum triumphalem Corinthi in Hadriani honorem erectum, ineſſe dubius protulit. Patinus pag. 195. templum exiſtimat; an num potiùs balnearum fontem ſuſpicari debeamus, quas Imperator impenſis ſuis Corinthi fieri curavit, teſte Pauſania lib. 2. p. 96. Λουτρὰ δὲ ἔστι μὲν πολλαχοῦ Κορινθίοις, καὶ ἄλλα, τὰ μὲν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, τὸ δὲ βασιλέως Ἀδριανοῦ κατασκευάσαντος. *Balneæ verò paſſim Corinthiis, & aliæ è publica pecunia extructæ, & quas impenſa ſua Hadrianus Imperator exædificavit.* Sæpe enim ædificia Imperatorum munificentiâ condita in nummis repræſentabantur.

Hic nummus infimi moduli, in rariorum ſerie computandus.

HELIOPOLIS.



IMP. CAES. HADRIANVS AV. Caput Hadriani laureatum.

COL. H. LEG. H. *Colonia Heliopolis. Legio Heliopolis.* Duæ Fortunæ ſtantes, ſeſe brachiis amplexantes, illa dextrâ temonem, hæc alterum lævâ tenet.

Ad Heliopolim Cœleſyriæ Coloniam pertinet hic nummus; nec audiendi Triſtanus & Patinus, qui nummos cum ſimili epigraphe COL. HEL. de Colonia Helvia in Picenum à Pertinace deducta interpretantur. Heliopolis à Julio Colonia conſtituta eſt, & ab Auguſto in eam tranſmiſſi ſunt ad Coloniæ ſupplementum Veterani eodem tempore quo Berytum V. Macedonicæ & VIII. Legionum milites traducti fuere, ut indicat perrarus noſter Philippi ſenioris nummus, de quo infrà: ideò ad originem Coloniæ demonſtrandam COL. HEL. LEG. H. *Colonia Heliopolis, & Legio Heliopolis,* viſuntur in nummo ſignatæ, quod noſtram de bipartito Colonorum, civium nempe & veteranorum, diſcrimine ſententiam confirmat. Hæ verò figuræ ſeſe mutuò amplexantes, utrumque hoc Colonorum genus exponunt, & quidem ſub geminæ Fortunæ effigie, quæ pro loci genio ſæpe in nummis exhibetur. Itaque Heliopolitani originis ſuæ memores, Genium Coloniæ, & Genium Legionis Hadriano in Syria moranti dedicarunt.

Hic nummus infimæ magnitudinis, nobis Romæ à V. Cl. Auguſtino Scilla cive Meſſanenſi dono datus, eximiæ raritatis habendus.

PATRÆ.



HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. Caput Hadriani laureatum.

COL. A. A. PATRENS. Templum ſex columnarum, in quo Jupiter ſedens.

Colonia Patrenſis, primaria Achaiæ propriæ civitas, ob Hadriani in provinciam adventum gratulabunda, nummos ei conſecrat. Spartianus inquit: *Poſt hoc per Aſiam, & in Inſulas ad Achaiam navigavit.*

navigavit. Et paulò pòst: *Et in Achaia quidem etiam illud observatum ferunt, quòd cùm in sacris multis cultros haberent, cum Hadriano nullus armatus ingressus est.* Templum illud superbissimum, Jovis Olympii videtur esse, cujus meminit Pausanias in Achaic. pag. 436. Εςι δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ Διὸς ναὸς Ολυμπίε, αὐτὸς τε ἐπὶ θρόνε. *In foro Jovis Olympii templum est: sedet ipse in solio.* Adulatores Græci ipsum Hadrianum Olympium indigitarunt, testes sunt Laodicensium & Ephesiorum nummi, ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΣ, ut in basi ejus statuæ inscriptum Smyrnæ legimus, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΙ. ΑΔΡΙΑΝΩΙ. ΟΛΥΜΠΙΩΙ. ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΙ.

Hic nummus secundæ formæ, pro raro computandus.

PELLA.



IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANVS. P. P. Caput Hadriani laureatum.
COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Augusta Pella.* Figura nuda rupibus insidens, dextram versus caput admovet, lævo cubito fistulæ musicæ vel campestris innixo.

Pella urbs est Macedoniæ juxta Erigonis & Axii confluentes, in tumulo sita, à Philippo Rege, quòd in ea educatus fuisset, ampliata, de qua Strabo in Excerp. l. 7. p. 330. τὴν Πέλλαν ἔσαν μικρὰν πρότερον, Φίλιππος εἰς μῆκος ηὔξησε τραφεὶς ἐν αὐτῇ. *Pellam priùs parvam, Philippus in longitudinem auxit, in ea educatus.* Nomen *Juliæ* Coloniam à Julio constitutam, & *Augustæ* ab Augusto, deinde Colonis auctam arguit. Appianus narrat Julium Cæsarem de condendis Coloniis in memoriales tabellas retulisse, sed eo paulò pòst ab inimicis occiso, filium ipsius Cæsarem Augustum tabellis compertis Colonias illas condidisse, unde forsan plurimis nomen *Juliæ* & *Augustæ*, tanquam ab his auctoribus tributum est. Figura hæc nuda montibus insidens, ab Eq. Patino pag. 195. & ab Ill. Spanhemio Not. in Cæss. Juliani Imp. pag. 400. signata est. De figura uterque ne verbum quidem, sed hic montes rectè ad urbis situm revocat, quem graphicè describit Livius Dec. 5. lib. 5. *Sita est in tumulo* &c. cujus etymologiam cum nomine egregiè congruentem Vir pereruditus ex Ulpiano refert ad Orat. de fals. Leg. Πέλλη ἡ πατρὶς Φιλίππε ἐκλήθη διὰ &c. ἡ παρὰ τὰς πέλλας τὰς λίθες, κατὰ τὴν Μακεδόνων φωνήν. Figuram verò Apollinem suspicamur, qui coronam ob relatam de Marsia confidente nimiùm æmulo victoriam sibimet imponit, & ipsius fistulæ tanquam exuviæ vel trophæo innititur. Apollo nudus & juvenis depingitur, quem Pellæ cultum arguit caput ejus laureatum, in Pellensium nummis apud Goltzium tab. 23. cælatum.

Hic nummus secundi moduli, nec rarus nec obvius est.

PHILIPPI.



IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANVS AVG. Caput Hadriani laureatum.
COL. AVG. IVL. PHILIP. *Colonia Augusta Julia Philippensis.* Statua virilis militari habitu coronatur à muliere: utraque figura supra basim, in qua legitur DIVVS AVG. *Divus Augustus.*

De Philippensi Macedoniæ Colonia in Claudio, Vespasiano, & Domitiano dictum est, ejus mentio in Dig. lib. 36. tit. de Senatusc. Trebon. *Rebellianus si caverit Coloniæ Philippensium, si sine liberis morietur, quantacunque pecunia ex hereditate de bonis meis ad eum pervenit, eam pecuniam omnem ad Coloniam Philippensium perventuram.* Macedoniam Hadrianum lustrasse indicat nummus ejus cum epigraphe ADVENTVI AVG. MACEDONIAE; illamque beneficiis devinxisse, alter cum hac RESTITVTORI MACEDONIAE arguit; si quidem Spartianus in vita Hadriani tradit. *In omnibus pene urbibus & aliquid ædificavit & lusus edidit.* Philippenses statuam Augusti, pro solito nummorum suorum typo repræsentare consueverunt.

Hic nummus mediocris magnitudinis, pro raro notandus.

PTOLEMAIS.



IMP. CAES. TRAI. HADRIAN. AVG. P. P. Caput Hadriani laureatum.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Mulier turrita insidens scopulis, dextrâ spicas, pro pedibus fluvii natantis effigies.

Nummus ad Ptolemaidem Phœniciæ pertinet, cujus situm in Trajano videas; & qua de causa montibus insidet mulier, pedeque fluvium calcat. Ille Belus à Plinio lib. 5. cap. 19. dictus est, ubi primùm compertum fuisse vitrum tradit. Beleus verò à Josepho lib. 2. de bel. Jud. cap. 9. qui mirabilem metalla in vitrum commutandi vim huic attribuit, fluvius è palude Lendevia à radicibus Carmeli profluit. Nomen *Patris patriæ*, quod sero Hadrianus accepit, nummum ipsi à Ptolemaidensibus cùm in Phœniciam venit, percussum denotat. Figura muliebris, urbis est Genius, ut in Trajano dictum est.

Hic nummus mediæ formæ inter raros numeratur.



IMP. TRA. HADRIANVS. AVG. P. P. Caput Trajani laureatum.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Colonus agit boves, quatuor adsunt signa militaria.

Ptolemais, priùs Ace ab Hercule dicta, Ptolemaidis deinde nomen à Ptolemæo Ægypti Rege accepit, illaque Rhodophorus, Macchab. lib. 3. ad aliarum hujus nominis urbium distinctionem appellata est; hanc verò Coloniam à Claudio deductam diximus, adstipulante Plinio: idcirco Colonus ad originem ejus indicandam cælatur. Signa verò militaria, cujusdam Legionis, cujus nomen ignoratur, Veteranos in eam transmissos arguunt.

Hic nummus minimi moduli nec rarus nec obvius est.



IMP. TRA. HADRIANVS AVG. P. P. Caput Hadriani laureatum.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Fortuna stolata stans, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Frequentes Ptolemaidensis Coloniæ nummi Hadriano dicati beneficium quoddam singulare ipsi ab eodem collatum indicant; munificentissimus enim erat is Princeps, de quo Sex. Aur. Victor. *Cùm oppida universa restitueret, augeret ordinibus.* Suidas Excerpt. Cæs. vit. Καὶ πόλεσι πολλὰ, καὶ δήμοις ἐν ἰδιώταις χαρίσασθαι. *Quin multis rebus publicis, tum privatis hominibus multa est largitus.* Id omninò confirmat rarissimus & elegantissimus nummus ipsi senaconsulto percussus cum hac epigraphe, LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM. Fortuna in aversa parte ut Dea Ptolemaide culta signatur, illa quidem stans dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ, CONSERVATRIX appellari videtur ex statua ejusmodi attributis ornata, in cujus basi, Romæ in domo Marcelli Capisuci, legitur.

NVM. DOM. AVG.
SACRVM FORTVNAE CONSERVATRICI. HORREOR.
GALBINIANORVM. M. LORINVS FORTVNATVS. MAGISTER.
S. P. B. N.

Fortunam quidem veneratus fuisse Hadrianus videtur, si quidem Romæ ei templum condidisse narrat Athenæus lib. 8. pag. 361: Ετυχεν δὲ ἑορτὴ, τὰ παρίλια μὲν πάλαι καλούμενα, νῦν δὲ Ρωμαῖα, τῇ τῆς πόλεως Τύχῃ ναοῦ καθιδρυμένου ὑπὸ τοῦ πάντ' ἀρίστου καὶ μουσικωτάτου βασιλέως Αδριανοῦ. *Celebrabantur enim Parilium dictæ quondam feriæ, nunc Romanas appellant, exstructo & dicato Fortunæ urbis templo ab optimo & humanissimo Imperatore Hadriano.*

Hic nummus infimæ molis pro raro habendus.

SINO-

SINOPE.



IMP. CAES. HADRIANVS. AVG. Caput Hadriani laureatum.
C. I. F. S. AN...... *Colonia Julia Felix Sinopensis anno......* Caput modio insigne.

Sinope, urbs Ponti Asiatici, de qua Stephanus; Σινώπη πόλις διαφανεστάτη τ̃ Πόντȣ; *Sinope urbs Ponti celeberrima*, & quidem vetustissima. Ovid. Pont. 1.

Urbs antiqua fuit Ponti celebrata Sinope.

Discrepantes auctorum sententias de ipsius conditoribus legas apud Eustathium ad Periegetæ v. 775. Illa diu suis legibus vixit, tandem à Pharnace Mithridatis Magni avo expugnata, deinde à Lucullo ipso Mithridate expulso capta, Colonia facta est, teste Strabone lib. 12. pag. 545. Νυνὶ δὲ ϰ̀ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται. *Nunc Romanorum accepit Coloniam.* Appianus de bel. Mithr. à Lucullo liberam factam narrat. Λεύκολλος δὲ τὴν πόλιν εὐθὺς ἐλευθέραν ἠφίει. *Lucullus eam civitatem mox fecit liberam*, à quo tempore modò æram in nummo Gordiani Pii computat, ubi Colonia *Romana* & *Julia* inscribitur: in aliis verò ubi *Julia* tantùm dicitur, epocham ab anno U. C. 705. sub Julio dinumerat, quòd primùm à Lucullo deducta sit, & à Julio postea devicto Pharnace Mithridatis filio Colonis iterum frequentata. Hic paternum regnum recuperare fugato Domitio tentaverat. De quo Hirtius de bel. Alex. *Pharnaces, rebus secundis elatus, multa oppida expugnavit; bona civium Romanorum Ponticorumque diripuit.* Tum Jul. Cæsar relicta Ægypto ad eum pervenit, eoque victo & fugato, inquit Dio lib. 42. pag. 207. Τὴν χώραν ὅσην τ̃ τε Ῥωμαίων, ϰ̀ τ̃ ἐνόρκων σφίσιν ἀποτετμημένος ὁ Φαρνάκης ἦν, ἐκομίσατο, ϰ̀ αὐτὴν πᾶσαν ὡς ἑκάστοις τοῖς ἀπολέσασιν ἔδωκε. *Receptis omnibus quæ vel Romanis, vel eorum sociis Pharnaces ademerat, singula iis qui amiserant restituit.* Quo tempore *Juliæ* nomen accepit, & æram in M. Aurelii & Caracallæ nummis signat, in hoc verò Hadriani typo illa prò dolor! temporis injuriâ detrita est.

Caput modio ornatum, Jovis est, seu Ditis, quem Ægyptii Serapidem vocarunt, postquam ejus statua ex urbe Sinope Alexandriam asportata est; Ptolemæus enim Soter Ægyptii Imperii fundator, cùm hanc urbem templis exornasset, & ea dedicare vellet, somnio admonitus est, ut ex Ponto Dei statuam afferri curaret, quod officium Timotheo commisit, teste Tacito lib. Hist. 4. *Timotheus quæsitis qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopem, nec procul templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis.* Cujus statuam cùm à Scydrothemide Rege accepisset, ut inquit Plutarchus de Iside & Osiride pag. 362. Εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τ̃ Πλούτωνος ἐκτήσατο τ̃ Σεράπιν. *Allatus Alexandriam, Serapidis nomen, quo Ægyptii Plutonem afficiunt, invenit.* De ejus modio alicubi diximus.

Hic nummus tertiæ magnitudinis elegantissimus est.

TROAS.



IMP. CAES. HADRIAN. AVG. Caput Hadriani laureatum.
COL. TROAD. *Colonia Troadensis.* Caput muliebre turritum, pone quod vexillum.

Troas, urbs Phrygiæ minoris non longè à Trojæ antiquæ ruderibus, Alexandri jussu condita; tandem Coloniam Romanam ab Augusto accepit, ut nomen *Augustæ* in plurimis ejus nummis arguit. Vexillum seu labarum, Veteranorum cujusdam Legionis in eam transmissorum index est. Goltzius nummum Titi refert cum epigraphe COL. TROIAS ANTIGONIA ALEXAND. LEG. XXI. qui Legionis XXI. Veteranos indicaret, sed cautè huic auctori fides adhibenda, cùm nullus nummus Antigoniæ Troadis nomina hactenus tulerit, nec Legionis XXI. ulla sit mentio in Augusto, sed XXI. *Rapax* à Claudio tantùm sit constituta. Troadenses nummum Hadriano dicarunt ob balnea & aquæductus quibus urbem ornavit, ut tradit Philostratus in vita Herodis Sophistæ.

Hic nummus minimi moduli pro raro & eleganti habendus.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PART.
F. DIVI. NERVAE. NEP. TRAIAN.
HADRIANO. AVG. PONT. MAX.
TR. P. VIII. COS. III. P. P.

Grut. 248. 10.

S A B I N A.



SABINÆ *nummi minimæ formæ hactenus observati, inter rarissimos collocantur.*

CORINTHUS.



SABINA AVGVSTA. Caput Sabinæ.

COL. L. IVL. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Æsculapius stans, dextrâ baculum cui serpens involutus.

Corinthii de Hadriano bene meriti Sabinæ ipsius uxori suos etiam nummos dedicarunt; forsan Æsculapium in hoc cuderunt, quòd huic numini ob adversam Augustæ valetudinem sacra fecissent in ejusdem Dei templo Corinthi exstructo, cujus meminit Pausanias lib. 5. pag. 93. Πρὸς τούτῳ τῷ γυμνασίῳ ναοὶ θεῶν εἰσὶ, ὁ μὲν Διὸς, ὁ δὲ Ἀσκληπιοῦ τὰ δὲ ἀγάλματα, Ἀσκληπιὸς μὲν καὶ Ὑγεία λευκοῦ λίθου. *Conjuncta sunt cum ipso ferè gymnasio, Deorum delubra duo, Jovis alterum, alterum Æsculapii: Æsculapius ipse & Hygia candido lapide.* Ejus imago describitur ut in nummo apud Albricum de Deorum imag. *Æsculapius Deus Medicinæ putatur, cum barba valdè prolixa, indutus habitu Medici, cujus manus baculum cum serpente gestabat intorto.* Phornutus de nat. Deor. serpentem ei appingi narrat, quòd ægrotantes & revalescentes è morbis quasi reviviscant, ac senectutem exuant; baculum verò, ad indicandum, quòd nisi tali curâ erigamur ac confirmemur, continuò ad imbecilliorem valetudinem æquo citiùs prolapsuri simus.

Hic nummus infimæ magnitudinis elegantissimus est.



SABINA AVGVSTA. Caput Sabinæ.

COL. L. IVL. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Bellerophon capistro Pegasum retinens.

Per Sabinam beneficium quoddam ab Hadriano accepisse Corinthii significantur ex nummorum in ejus honorem cusorum multitudine. Cùm autem urbes inter se de generis vetustate sæpius disceptarent, illæ in nummis Heroes suos signare solebant, ideo Bellerophontem civem suum, cùm Pegasum in Pireneo fonte aquantem fræno sisteret, frequenter cuderunt. Hyginus Bellerophontem Neptuni ex Eurynome Nysi filia genitum tradit fab. 157. sed Pausanias eum Glauci Corinthii filium memorat, de quo fabulam confixerunt antiqui, ejusque contra Chimæram expeditionem enarrarunt: sed Palæphatum, Fulgentium, & alios Mythologos ea de re consule, quibus Βελλεροφῶν, quasi Βουληφόρος, sapientiæ consiliator dictus est.

Hic nummus minimi moduli inter rarissimos collocandus.



SABINA AVGVSTA. Caput Sabinæ.
C. L. IVL. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Puer ſupra Delphinum, pone quem arbor.

Ad urbis etiam antiquitatem ſpectat hic nummus. Puer, Melicerta eſt; arbor, pinus, juxta quam inventum ejus cadaver à Delphino fuit in Iſthmum deportatum: ſic ejus narrant hiſtoriam. Melicerta filius fuit Athamantis Æoli Thebarum Regis, hic Nephelen uxorem duxit, ex qua Hellen & Phryxum genuit, ſed cùm Nephele furore à Baccho percita, in ſilvas abiiſſet, Athamas liberis ſuis Inum Cadmi filiam ſuperinduxit novercam, cujus operâ priores filii fugâ patris iram declinarunt; quapropter Juno irata, furias in Athamantem immiſit, qui raptum Learchum ex filiis alterum, ſaxo illiſerit, quo facinore Ino perterrita, cum Melicerta altera prole fugiens, ſe ex rupe in mare præcipitem dedit, Melicerta à Delphino exceptus eſt, & in Iſthmum deportatus, juxtaque pinum inventus. Siſyphus Corinthi Rex, ejus patruus, mutato Melicertæ nomine Palæmonem illum appellavit, divinoſque ei honores decrevit; poſtmodum verò ludos Iſthmicos in nepotis memoriam inſtituit; in quibus victores pinu coronati ſunt. Vide Pauſaniam in Attic. pag. 83.

Hic nummus infimæ molis, à Patino pag. 206. vulgatus, inter elegantiores reponitur.





Æ L I U S.



ÆLII *Cæſaris nummi, tantæ raritatis & elegantiæ ſunt, ut unicus minimi moduli hactenus in Gaza Chriſtinæ Reginæ obſervatus ſtudioſè recondatur.*



L. AELIVS. CAESAR. Caput Ælii Cæſaris nudum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Caput prolixâ barbâ ornatum cum pileo oblongo & parte ſuperiore lato & rotundo.

Corinthii ut Ælio Cæſari ab Hadriano adoptato & ſucceſſori deſtinato gratularentur, nummos percuſſerunt, ſignato in averſa parte Æſculapio, cùm ille tenuis eſſet valetudinis, de quo Spartianus in vita Hadriani. *Commodus autem præ valetudine ne gratias quidem in Senatu agere potuit Hadriano de adoptione.* Et in ipſius vita : *Hîc valetudinis adeo miſeræ fuit, ut Hadrianum ſtatim adoptionis pœnituerit.* Dio ægritudinem ejus narrat. Κόμμοδον μὲν Λέκιον, καί τοι αἷμα ἐμῶντα, Καίσαρα Ρωμαίοις ἀπέδειξε. *L. Commodum quamvis ipſe quoque ſanguinem evomeret, Cæſarem Romanis deſignavit.* Dedicatum Æſculapio Corinthi templum in Sabina diximus; barbâ prolixâ inſignis ille depingitur, ut ſenex Medicus, qui ſcientiâ & experientiâ valere debeat; caput verò ejus pileo tectum, quod ad corporis ſanitatem maximè conferat.


Hic nummus minimæ formæ, eximiæ raritatis & elegantiæ eſt.

L. AELIO. CAES. DIVI. HADRIANI
AVG. F. COS. II. F.

Exſcripſi Romæ in Caſtello S. Angeli ad Molem Hadriani.



ANTONINUS PIUS.




NTONINUS Pius Tribunitiam poteſtatem XXIV. attigit, & plurima teſte Julio Capitolino per Legatos ſuos bella geſſit, quæ ut plurimum deducendarum Coloniarum cauſæ ſunt, Hiſtorici tamen nullas ab eo conſtitutas memorant: quædam autem in nummis & marmoribus cum Æliæ nomine occurrunt, ſed utrum illæ ab Hadriano aut ab Antonino in Æliam gentem adoptato deductæ ſint, diſtinguere non facile eſt; teſtes ſint Æliæ Oeæ in Africa Coloniæ nummi, niſi quis dixerit Colonias ad Antoninum ſpectantes Æliæ Antonianæ nomen gerere debuiſſe.

ANTONINI *nummi primæ magnitudinis rariſſimi ſunt; ſecundæ & minimæ, obvii.*


ÆLIA CAPITOLINA.



T. AEL. ANTONINO AVGVSTO. Caput Antonini Pii laureatum.
COL. AELIA. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Bacchus ſtans, dextrâ poculum, lævâ thyrſum, ad pedes Panthera.

Ælia Capitolina, Colonia ab Hadriano deducta, Antonino Pio filio ejus adoptivo & ſucceſſori gratulans, nummos cum ſimulacris Deorum, quos ipſa colebat, percuſſit, inter eos hic Bacchus exhibetur. Urbs autem nova vicinorum populorum numina recepiſſe videtur: Bacchus enim apud Syros in ſumma erat veneratione, & jam ſacra ei facere ſub Antiocho Deo Epiphane coacta fuerat Jeroſolyma, ut meminit Macch. lib. 2. cap. 6. *Judæi ducebantur Jeroſolymæ, cum amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia, & cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hæderâ coronati Libero circuire.* Bacchus vas dextrâ gerit, quod Cotylum nominat Athenæus lib. II. cap. 8. pag. 418. Οἶνον ἐξέσπεισε κοτύλῳ. Πάμφιλος δὲ ποτηρίε φησὶν εἶναι γένος, ἴδιον δ' εἶναι Διονύσε. *Cotylo vinum libavit. Pamphilus eſſe putat poculi quidem genus, ſed Baccho peculiare.* Siniſtrâ verò thyrſum ſeu haſtam, cujus mucro hæderâ lambente porrectus eſt. Panthera ipſi comes attributa, & ut loquitur Philoſtratus Imag. lib. Παρδάλις δὲ Θεοῦ σύμβολον. *Panthera Bacchi ſymbolum.*

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 220. vulgatus, inter raros computatur.



T. AEL. ANTONINVS AVG. Caput Antonini Pii laureatum. In aliis capita Antonini Pii & M. Aurelii adverſa.
COL. AELIA. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Caput barbatum calatho ſeu modio inſigne.

Caput illud Serapidis eſt, cujus cultum Ælia Capitolina ab Ægyptiis recepit: eorum enim ſupremum erat numen, Tacito de Alexandrinis loquente Hiſt. 4. *Monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit*, quod confirmat B. Auguſtinus, Serapidis in Ægyptum adventum, non ut in Hadriano ex Tacito & Plutarcho diximus, narrans. *His*, inquit, *temporibus*

bus Rex Argivorum Apis, navibus transvectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus fuisset, factus Serapis, omnium maximus Ægyptiorum Deus. Macrobius ejus calathi meminit Satur. l. 1. cap. 20. *Eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapin atque Isin cultu pæne attonitæ venerationis observat, omnem tamen illam venerationem soli se illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infingunt, &c.* Et paulò pòst: *Cujus vertex insignitus calatho & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.*

Miratur P. Harduinus pag. 562. Holstenium Not. in Stephan. hunc nummum Coloniæ Æliæ Capitolinæ ad Capitoliadem Cælesyriæ oppidum pag. 159. revocasse, sed magis miror eruditum Patrem pag. 13. ejusdem Capitoliadis Sept. Severi nummum cum epigraphe ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. ΑΤ. Καπιτωλίας ἱερᾶς ἀσύλε αὐτονόμε. Coloniæ Æliæ Capitolinæ attribuisse.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.



T. AEL. ANTONINVS. AVG. P. P. Caput Antonini Pii laureatum.
C. A. C. *Colonia Ælia Capitolina.* Figura muliebris succincta tutulata seu turrita; dextrâ caput humanum, lævâ hastam, pede semifiguram premit.

C. A. C. *has notas*, inquit P. Harduinus, *quas ante nos expedire nemo tentavit, sic interpretamur*, COLONIA ASIDO CAESARIANA. Laudandus quidem illius conatus, sed genuina explicatio COLONIA AELIA CAPITOLINA est.

Figura illa turrita seminuda stans cum omnibus his attributis, in Cæsareæ Palæstinæ nummis Hadriano cusis expressa est; Jerosolyma autem Astarten seu Venerem, quam Cæsarea provinciæ caput colebat, facta Colonia recepit. Illa originem ex Byblo Phœniciæ urbe habet, de qua abunde in Hadriano pag. 155. diximus, & quod legere non erit forsan injucundum. Posterior nummus templum hujus Deæ exhibet, cui Salomon Rex, uni pellicum suarum obsequi volens, olim altaria condidisse fertur.

Hic nummus minimæ molis, rarus est & elegans; sed posterior secundæ, inter rariores reponendus.



T. AEL. ANTONINVS AVG. P. P. Caput Antonini Pii laureatum.
C. A. C. *Colonia Ælia Capitolina.* Astarte seu Venus ut suprà, in templo tetrastylo.

Insignis ille nummus non modò Veneris, seu Astartis cultum Æliæ Capitolinæ receptum, sed illam ipsi templum erexisse nos docet, cujus figuram nobis in nummis ad æternam rei memoriam exhibet. Judæos Æliam ingredi vetuit Hadrianus, ex Eusebio in Chronico. *Ex quo tempore etiam introeundi eis Jerosolymam licentia ablata.* Iis verò hanc Antoninus Pius concessisse videtur, saltem iis circumcisionem permisit, ut tradit Modestinus Leg. circumcid. ff. ad Legem Corneliam. *Circumcidere Judæis filios suos tantùm rescripto D. Antonini Pii permittitur.*

Hic nummus minimi moduli inter rariores adscribendus.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



ANTONINVS AVG. PIVS. TR. P. P. P. COS. IIII. Caput Antonini Pii laureatum.
COL. CAES. ANTIOCH. MENSIS. *Colonia Cæsarea Antiochia. Mensis.* sed malè apud Mediobarbum pag. 206. *Nemesis.* Figura stolata stans, capite Phrygio in capite, Crescente Luna dorso imposita, dextrâ hastam, lævâ victoriolam, ad pedes gallus gallinaceus.

Antio-

Antiochia, urbs multiplex; hæc autem quæ Colonia sub Antonino Pio perhibetur; non ad Antiochiam Syriæ sub Caracalla tantùm deductam, sed ad Pisidicam pertinet. Plinius lib. 5. cap. 27. *Insident vertice Pisidæ, quondam Solymi appellati, quorum Colonia Cæsarea, eadem Antiochia.* Nomen *Cæsareæ* ab Augusto constitutam arguit; nam Strabonis ejus situm describentis ævo jam Coloniæ titulo gaudebat: sic enim ille lib. 12. pag. 577. Πρὸς ἄρκτον μὲν Φιλομήλιον. ἐκ θατέρου δὲ μέρους Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ καλουμένη, ἡ μὲν ἐν πεδίῳ κειμένη πᾶσα, ἡ δ᾽ ἐπὶ λόφον ἔχουσα ἀποικίαν Ῥωμαίων. *Versus Septentrionem Philomelium, ad Meridiem Antiochia quæ vocatur; illa in campo, hæc in colle sita, & Coloniam habens Romanam.* Illa videtur Antiochia, quam arsisse sub Antonino refert Capitolinus: *Et Narbonensis civitas, & Antiochia oppidum, & Carthaginense forum arsit.* Antiochia restaurationis memor, munificentissimo Principi nummos dedicat. Figura, cui crescens Luna dorso imposita, & gallus ad pedes, Deus Lunus est; cujus nomen MENSIS in nummo scriptum legitur, ut subolevit Patinus, pro quo legit P. Harduinus uno verbo ANTIOCHENSIS, pro ANTIOCH. MENSIS. Ejus Dei in hac urbe cultum memorat idem Strabo loco laudato. Ἦν δ᾽ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τις Μηνὸς Ἀσκαίου πλῆθος ἔχουσα ἱεροδούλων καὶ χωρίων ἱερῶν. *Fuit ibi etiam sacerdotium Mensis Ascæi, multitudinem hierodulorum habens & sacrorum locorum.* Antiqui Lunum & Lunam colebant, quòd, ut inquit Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 8. *eadem & mas æstimatur & fœmina.* Gallus gallinaceus ei tributus est, quòd Latonæ matri parturienti adfuerit, ob id gratissimus ipsi ex Æliano dicitur.

Hic nummus secundæ magnitudinis, apud Patinum pag. 218. vulgatus; elegans & rarus est.

BERYTUS.



ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. Caput Antonini Pii laureatum.
COL. BER. *Colonia Berytus.* Neptunus stans, dextrâ delphinum, lævâ tridentem, pede saxo, in aliis proræ imposito.

Berytensis Colonia nummos Antonino Pio Imperatori munificentissimo dedicat; plurima enim beneficia in provincias ab eo collata, Pausanias narrat in Arcadicis. Καὶ ὧν ἔργων κατασκευάσειεν ἔν τε τῇ Ἑλλάδι, καὶ περὶ Ἰωνίαν, καὶ περὶ Καρχηδόνα, τε καὶ ἐν τῇ γῇ Σύρων. *Qua operum magnificentia Græciam, Ioniam, Syriam, & postremò Carthaginem exornarit.* Berytus Antonino Pio *Patris patriæ* titulum tribuit, de quo Capitolinus in ejus vita: *Patris patriæ nomen delatum à Senatu, quod primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione recepit.* Neptunus in nummo cusus Beryti cultum huic numini præstitum indicat: illam enim urbem à Saturno conditam narrat Stephanus. Βηρυτὸς πόλις Φοινίκης, κτίσμα Κρόνου. *Berytus urbs Phœniciæ opus Saturni.* Ut confirmat Nonnus Dionys. 41.

Καὶ Βερόης ναίεσκον πόλιν πρωτόσπορον ἕδρην·
Ἣν Χρόνος αὐτὸς ἔδειμε.
Et Beroes habitabant urbem primò seminatam;
Quam Saturnus ipse ædificavit.

Neptunum ejus filium aquis imperantem, urbs tutelarem Deum elegit, de cujus tridente & delphino dictum in Augusto.

Hic nummus secundæ & tertiæ magnitudinis tritus & vulgaris.

CÆSAREA *Palæstinæ.*



IMP. T. AEL. ANTONINO AVG. Caput Antonini laureatum.
COL. PRIMA. FL. AV. CAES. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea* vel *Cæsarensis.* Caput Serapidis cum calatho.

Cæsareæ Palæstinæ percussus est hic nummus, quam à Vespasiano Coloniam accepisse alibi diximus; in ea Serapis signatus, ipsius in hac urbe cultum indicat. Per Serapin autem Veteres universam Mundi molem & ipsa rerum principia intellexerunt, aërem scilicet, aquam, & terram; per aërem seorsum Jovem, per aquam Neptunum, & per terram Plutonem interpretati: sed uni Serapidi omnia eorum attributa, calathum, tridentem, & cerberum dederunt: per calathum ejus capiti

capiti impositum, Jovem ; per tridentem, Neptunum ; & per cerberum, Plutonem agnoscunt. Serapis autem idem est cum Jove apud Diodorum, eundem cum Plutone existimat Plutarchus. Serapidis cultores vocat Christianos Hadrianus Imp. in epist. ad Servianum, apud Phlegontem, forsan quòd unum colerent Deum. *Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt ; Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt..... Unus illis Deus est, hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes.*

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 220. vulgatus, nec rarus nec obvius est.



IMP. T. CAES. ANTONINO. Caput Antonini Pii laureatum.

COL. PRIMA. F. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea* vel *Cæsarensis.* Apollo stans, dextrâ serpentem, læva innixa tripodi.

Cæsaream Palæstinæ in Augusti Cæsaris honorem ab Herode vocatam jam antè diximus. Josephus Antiq. Jud. lib. 15. cap. 13. nominis hujus causam Augusti statuam in templo positam tradit. Κἂν τῷ μέσῳ κολωνός τις, ἐφ᾽ ὃ νεὼς Καίσαρος ἄποπτος τοῖς εἰσπλέουσιν, ἔχων ἀγάλματα, τὸ μὲν Ῥώμης, τὸ δὲ Καίσαρος, ὅθεν πόλις αὐτὴ, Καισάρεια καλεῖται. *Extante in medio tumulo, in quo templum Cæsaris à longè conspicuum adnavigantibus, & in eo statuæ, Romæ altera, altera Cæsaris, unde Cæsareæ nomen.* An Apollo in gratiam Augusti, cui summus Deus erat, apud Cæsaream receptus sit ? an verò idem Apollo, cujus erat magnus Antiochiæ cultus, longè antè in Syriam translatus à Seleuco Nicatore, qui se ipsius filium prædicabat, Antiquariorum disquisitioni permittimus : cùm enim Apollinem quatuor artibus præfuisse existimaverit antiquitas, illum modò ut Citharœdum cum lyra, modò ut Medicum cum lauro, modò ut Jaculatorem cum sagitta, postremò ut Vatem cum tripode designavit ; in hoc autem nummo tanquam Medicus & Vates ; serpens enim sanitatis symbolum, tripus verò vaticiniorum instrumentum est, imò serpens Apollinis etiam symbolum. Hinc apud Delphos, Draco sub tripode vocem ederis, juxta Lucianum : unde plures etiam nummi, de quibus loquitur Ill. Spanhemius Diss. 3. p. 175. in quibus occurrunt tripodes serpente involuti, aliquando etiam suprà tripodem erecti.

Hic nummus minimæ formæ inter raros adscribendus.

CARTHAGO *Africæ.*



IMP. CAES. ANTONINVS AVG. Caput Antonini Pii laureatum.

C. I. C. A. GENIO. P. R. D. D. *Colonia Julia Carthago Antiqua, Genio Populi Romani, decreto Decurionum.* Genius seminudus stans, dextrâ temonem, sinistrâ cornucopiæ.

Carthaginem Africæ urbem, à Jul. Cæsare Coloniam in ejus nummis deductam diximus, unde has notas C. I. C. *Colonia Julia Carthago* interpretati sumus : additur in hoc A. id est *Antiqua*, & non *Augusta*, ut in Treb. Gallo videbimus. Illa beneficentiæ Antonini Pii, qui ejus forum restituerat, memor, nummos ipsi percussit. De fori Carthaginensis incendio Capitolinum in Ant. Pio audias. *Et Narbonensis civitas, & Antiochense oppidum, & Carthaginense forum arsit : quæ omnia mirificè instauravit.* Carthaginenses ad Romanorum imitationem, qui in nummis Antonini GENIVS POPVLI ROMANI inscripserant, cùm ipsi Coloni essent Romani, Antonino tanquam Genio suo nummos blandientes dedicarunt, illi temone, mari symbolo, cùm ad littus essent, pro sceptro Romæ insigni, attributo. Cave ne has notas cum P. Harduino pag. 108. *Colonia Julia Cæsaraugusta* interpreteris. Cæsaraugusta urbs Hispaniæ Tarraconensis nunquam dicta est *Julia* in obviis ejus nummis, sed per has litteras C. C. A. semper exhibetur, aut integrè CAESARAVGVSTA.

Hic nummus primæ magnitudinis, inter rarissimos collocandus.

COELLI

COELLI vel COILLU.



IMP. CAES. T. AEL. ANTONINVS. Caput Antonini Pii nudum.
AEL. MVNICIP. COEL. in aliis COIL. *Ælium Municipium Coelli* ſeu *Coillitanum*. Prora navis, in aliis cornucopiæ deſuper.

Cullu Plinio, *Chulli Municipium* Antonino Pio, Κόλλα Ptolemæo, urbs eſt Numidiæ littoralis ad Ampſacum fluvium, ad quam nummus pertinere videtur. Hæc autem urbs *Municipii* epigraphen gerit, & ab Antonino Pio in Itinerario ſuo hoc titulo donata fuit cum prænomine *Ælii* ab Ælio Hadriano patre adoptivo, aut ab ipſomet Imperatore ipſi conceſſo. In marmore apud Gruterum pag. 372. 2. producitur cum inſcriptione MVNICIPES MVNICIPI. T. AELI. HADRIANI. AVG. CIVILITANI. quod idem eſſe videtur, etiamſi marmor Præſidi provinciæ Byzacenæ ſub Conſtantino Magno dedicatum ſit. Prora navis ad indicandum urbis ſitum ſignatur. Cornucopiæ fructuum & frugum in agro ubertatem arguit. Polybius in Excerpt. pag. 175. tradit Maſſiniſſam Numidiæ Regem illam omni fructuum & frugum genere fertilem reddidiſſe. Τῆς γὰρ Νομαδίας ἁπάσης ἀχρήστου τὸ πρὸ τοῦ χρόνον ὑπαρχούσης καὶ νομιζομένης ἀδυνάτου τῇ φύσει πρὸς ἡμέρους καρποὺς ὑπάρχειν, πρῶτος καὶ μόνος ὑπέδειξε, διότι δύναται πάντας ἐκφέρειν τοὺς ἡμέρους καρπούς, οὐδ' ὁποίας ἧττον, ἑκάστῳ τῶν καρπῶν ἐν διαστάσει μυριοπληθεῖς ἀγροὺς κατασκευάσας παμφόρους. *Cùm omnis Numidia antea temporis infructuoſa eſſet, nec gignendis fructibus ullatenus idonea eſſe crederetur, ipſe primus ac ſolus demonſtravit, nullum eſſe fructum quem producere illa non poſſet eadem fertilitate qua cæteræ regiones, cùm ipſe agros innumerabiles ſingulis fructuum generibus per intervalla conſitos, feraciſſimos reddidiſſet.*

Hic nummus minimi moduli pro raro habendus.

CORINTHUS.



ANTONINVS. AVG. PIVS. Caput Antonini Pii nudum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Neptunus ſedens, dextrâ delphinum, lævâ tridentem.

Corinthii Antonino Hadriani de ipſis bene meriti filio adoptivo & ſucceſſori gratulantes, nummos ſuos conſecrarunt; rebellionis cujuſdam tamen in eorum provincia meminit Capitolinus in ejus vita. *In Achaia*, inquit, *etiam & in Ægypto rebelliones repreſſit.* Neptunus, frequens Corinthiorum nummorum typus, utpote Tutelaris eorum Deus. Ejus in Lechæo templum memorat Pauſanias in Corinth. p. 88. Ἔστι δὲ ἐν Λεχαίῳ μὲν Ποσειδῶνος ἱερόν, καὶ ἄγαλμα χαλκοῦν. *In Lechæo Neptuni templum eſt cum ſigno æneo.* Delphinum narrat Fulgentius ob nuptias Neptuni cum Amphitrite pro mercede inter ſidera collocatum. De tridente Neptuni ſæpius dictum. Porro Lilius Giraldus de hiſt. Deor. ſyntagm. 5. pag. 141. ſe legiſſe tradit Græcum epigramma, quod Corinthi in Iſthmo poſitum fuit, quo & Τελαμονοκρέτορα appellatum obſervavit.

Hic nummus minimæ formæ obvius & frequens.



ANTONINVS AVG. PIVS. Caput Antonini Pii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mulier ſtans, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ pomum gerit.

Mulier illa ſtans, Venus eſt, cui templa ſub diverſis nominibus, & ſtatuas poſuerunt Corinthii, ut tradit Pauſanias lib. 2. Primum eſt in Cenchreis. Εν δὲ Κεγχρείαις Αφροδίτης τέ ἐςι ναὸς καὶ ἄγαλμα λίθυ. *In ipſis Cenchreis Veneris delubrum, & marmoreum ſignum.* Alterum eſt in ſuburbio. Πρὸ δὲ τῆς πόλεως κυπαρίσσων ἐςὶν ἄλσος ὀνομαζόμενον Κράνειον. Ενταῦθα Βελλεροφόντυ τέ ἐςι τέμενος, καὶ Αφροδίτης ναὸς Μελανίδος. *Maximè ſuburbanus eſt cupreſſorum lucus, cui Craneo nomen. In eo Bellerophontis fanum eſt, & Veneris Melanidis delubrum.* Signum Veneris in foro eſt. Εςι καὶ ἄγαλμα Αφροδίτης, Ερμογένυς Κυθηρίυ ποιήσαντος. *Et eſt Veneris ſignum, Hermogenis Cytherii opus.* Tertium in Acrocorintho, quem Solem Veneri conceſſiſſe narrant Corinthii, ejus eſt templum. Ανελθῦσι δὲ ἐς τὸν Ακροκόρινθον ναός ἐςιν Αφροδίτης, ἀγάλματα δὲ, αὐτή τε ὡπλισμένη, καὶ Ηλιος, καὶ Ερως ἔχων τόξον. *Jam in ipſo ad Acrocorinthum aditu delubrum eſt Veneris, ſigna in eo, ipſa Dea armata, Sol, & Amor arcum tenens.* Venus Divinitatis haſtam, & pomum aureum tenet, quod ob formæ præſtantiam Paris ipſi dedit. Corinthii Venerem in Antonini Pii nummo, Fauſtinæ ejus uxori blandientes, ſignarunt, in cujus honorem Romani nummos cum epigraphe VENERI AVGVSTAE, & eodem typo inſcripſerant.

Hic nummus mediocris formæ, in rariorum numero collocandus.



IMP. CAES. ANTONINVS AVG. Caput Antonini Pii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Puer ſtans ſupra Delphinum.

Frequens eſt Melicertæ typus in Corinthiorum nummis ad antiquitatem eorum indicandam: ille mutato nomine Palæmon dictus eſt, Latinis Portunus, quòd portubus præeſſe putetur. Virgilius Æneid. 2.

Qui Melicerta priùs, Portunus ritè vocatur.

P. Victor duas fuiſſe Romæ Portuni ædes narrat, alteram ad pontem Æmilii, alteram inter Apollinem Cœliſpicem, & Herculem Olivarium: an harum aliquam reſtituerit Antoninus Pius, in cujus rei memoriam Corinthii in ipſius Imperatoris nummis Palæmonem ſignarint. Rectus ille ſupra delphinum viſitur, qualem effictum in Neptuni templo narrat Pauſanias lib. 2. pag. 83. Τῷ δὲ ἅρματι Αμφιτρίτη καὶ Ποσειδῶν ἐφεςήκασι· καὶ παῖς ὀρθός ἐςιν ἐπὶ δελφῖνος ὁ Παλαίμων, ἐλέφαντος δὲ καὶ χρυσῦ, καὶ ὗτοι πεποίηνται. *In curru ſtant Amphitrite & Neptunus; & rectus delphini inſiſtit Palæmon puer, ebore & auro, hæc etiam expolita.* De Delphinis fabula dictum eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis tritus & vulgaris eſt.



ANTONINVS AVG. PIVS. Caput Antonini Pii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Menſa ſupra quam puer delphino ſubſtratus eſt, pone eum arbor.

Menſa hæc ad ludos ſpectat, ſæpe lebetes ſeu urnæ cum palmæ ramis ſupra menſas pro ſacris certaminibus in nummis exhibentur; Corinthii verò pro urna Melicertam Delphino ſubſtratum ad Iſthmicos ludos indicandos repræſentarunt: hi in Melicertæ honorem à Siſypho Rege ſunt inſtituti, cùm ille nepotis corpus à Delphine in Iſthmum expoſitum offendiſſet, teſte Pauſania l. 2. p. 86. Ες τῦτον τὸν τόπον ἐκκομισθῆναι τὸν παῖδα ὑπὸ δελφῖνος λέγυσι· κειμένῳ δὲ ἐπιτυχόντα Σίσυφον θάψαι τε ἐν τῷ Ισθμῷ, καὶ τὸν ἀγῶνα ἐπ᾽ αὐτῷ ποιῆσαι τῶν Ισθμίων. *Eò enim evectum puerum memorant: quem cùm offendiſſet expoſitum Siſyphus, & humarit in Iſthmo, & Iſthmicos in ejus honorem ludos inſtituerit.* Arbor pone Delphinum pinus eſt, juxta quam inventum eſt Melicertæ corpus, in cujus memoriam Iſthmicorum ludorum victores pinu coronati ſunt, vide infrà in M. Aurelii & L. Veri nummis, in quibus ISTHMIA.

Hic nummus mediocris inter inſigniores numerandus.

DIUM.



IMP. CAES. ANTONINVS. Caput Antonini Pii laureatum.
COL. IVL. AVG. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Augusta Diensis. Decreto Decurionum.* Minerva galeata stans, dextrâ pateram, sinistrâ hastam gerit.

Dium, urbs Macedoniæ littoralis, inter Halicmonis & Baphyri ostia sita est, de qua loquitur Livius Decad. 5. lib. 3. *Sed cùm ad Dium per littora cum equitibus vagaretur Rex Perseus.* Urbem hanc Julius Cæsar Coloniam constituit, ut nomen *Juliæ* denotat, quam deinde Augustum Colonis iterum frequentasse *Augustæ* appellatio arguit, unde *Colonia Julia Augusta Diensis* dicta est. Hæc Antonino Pio in obsequii monimentum nummos dedicat, in quibus Minervam, quam Macedones cognomine *Alcidam* coluere, signasse videtur. Illius meminit Livius ead. Decad. lib. 2. de Perseo agens. *Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alcidam, confecto, cum purpuratorum & satellitum manu profectus Citium est.* Minerva hastam gerit; unde Pallas ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, id est, à vibranda seu concutienda hasta, appellata est.

Hic nummus minimæ formæ inter rariores recensetur.

OEA.



IMP. ANTONINVS AVG. P. P. P. Caput Antonini Pii laureatum.
C. A. O. A. F. *Colonia Ælia Oea,* vel *Oeensis Augusta Felix.* Caput mulieb. turritum.

Hanc interpretationem cum P. Harduino communicatam, & ab eo tanquam ex se pag. 368. vulgatam, nobis hîc vendicare liceat. Oea Melæ, Oeea autem Plinio, Antonino Pio, & Amm. Marcellino, urbs Africæ littoralis, Colonia Romana fuit, ut legitur in Itiner. Ant. Pii. *A Macomadibus in Alexandriam Oeea Colonia* M. P. XXVIII. Nomen *Æliæ*, ab Hadriano aut Antonino Pio, quibus gentis hæc appellatio communis est, deductam indicat; sed Holstenius in Annot. ad Ortelium pag. 134. nummum profert rem penitùs dirimentem, cui cum *Æliæ* cognomine conjuncta est *Antoninæ* appellatio: ut testatur nummus, in quo duo boves terram exarantes cum hac inscriptione, COLONIA AELIA ANTONINA OEA AVGVSTA. Quanta lux historiæ ex nummis affulget! Oeenses beneficii memores Fundatori nummos cum capite turrito, urbis scilicet Genio, percusserunt.

Hic nummus mediocris formæ, quem Regio Thesauro addidimus cum sexcentis aliis, à D. Clotomont Nob. Gallo Alexandria Ægypti redeunte, & nuper à Turcis capto, dono nobis datus, eximiæ raritatis est.

PATRÆ.



IMP. ANTONINVS AVG. PIVS. Caput Antonini Pii laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Apollo nudus stans, dextrâ pateram, sinistrâ lyræ cippo impositæ innixâ.

Patrenſes paucos dedicarunt Antonino Pio nummos, an propter excitatam in Achaia rebellionem, cujus meminit Capitolinus in ejus vita : *In Achaia etiam atque in Ægypto rebelliones repreſſit.* Apollo in averſa parte ſignatus, ejus in urbe cultum arguit : pateram ille gerit ob ſacrificia ipſi pro Imperatore facta. Apollinis templum in foro Corinthi locat Pauſanias in Achaic. pag. 136. Ἱερόν τε Ἀπόλλωνος πεποίηται, καὶ Ἀπόλλων χαλκοῦς γυμνὸς ἐσθῆτος, ὑποδήματα δὲ ὑπὸ τοῖς ποσίν ἐστιν αὐτῷ, καὶ ἑτέρῳ ποδὶ ἐπὶ κρανίῳ βέβηκε βοός. *Apollini etiam fanum dedicarunt : Dei nudum eſt ex ære ſignum, pedibus tantùm calceatis, quorum altero bovis calvæ inſiſtit.* Paulò pòſt ejus ſtatuam in Odeo eſſe poſitam tradit idem auctor. Ἔχεται δὲ τῆς ἀγορᾶς τὸ ᾠδεῖον, καὶ Ἀπόλλων ἐνταῦθ' ἀνακεῖται θέας ἄξιος. *Cum foro Odeum conjunctum eſt, in eo Apollinis ſimulacrum eximiâ admodum ſpecie.* Lyræ innixus eſt Apollo, cæleſtis harmoniæ imaginem demonſtrans, unde apud Phornutum de Nat. Deor. Muſicus & Citharœdus inducitur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter raros collocandus.



ANTONINVS AVG. PIVS. Caput Antonini Pii laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Mercurius ſedet in templo diſtylo, dextrâ extenſâ, lævâ caduceum gerit, pro pedibus aries.

Mercurius ſedens in nummis Patrenſium frequens occurrit, hic verò Antonini Pii, & alter Commodi illum in templo diſtylo exhibent, ex quibus hunc Deum apud ipſos cultum fuiſſe novimus, etiamſi nulla illius apud Pauſaniam in Patrarum urbis deſcriptione mentio ſit. Aries Mercurio comes additur, ut in Corinthiorum nummis, eâdem forſan ratione quam ipſe Pauſanias affert in Achaïcis, quòd Mercurius præ cæteris greges tueri & augere exiſtimetur : vulgò enim Paſtorum Deus appellatus eſt, imò apud eundem ſcriptorem Κριοφόρος, arietem ferens, hoc nomine à Tanagræis cultus, quòd circa urbis eorum muros arietem geſtans, illos peſtilentiâ liberarit, ut ipſe narrat lib. 9. pag. 574. Τῷ μὲν ἐς τὴν ἐπίκλησιν λέγουσιν, ὡς ὁ Ἑρμῆς σφίσιν ἀποτρέψαι νόσον λοιμώδη περὶ τό τε τεῖχος κριὸν περιενέγκων. *Superioris quidem cognominis eam eſſe cauſam dicunt, quòd peſtilentiam Mercurius averterit, circumlato in murorum ambitum ariete.* Mercurius caduceum ſiniſtrâ gerit, virgam nimirum, cui impliciti ſunt duo ſerpentes, pacis causâ : hinc Legati, qui de pace mittuntur, Caduceatores nominati.

Hic nummus mediocris moduli pro raro habendus.

TROAS.



IMP. ANTONINVS AVG. P. P. Caput Antonini Pii laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Victoria gradiens, dextrâ coronam, lævâ palmam.

Troas, urbs Phrygiæ minoris, ab Alexandro Magno, unde *Troas Alexandri*, ſeu *Alexandria*, ut pluribus narrat Q. Curtius, paucis tantùm milliaribus in Auſtrum à Trojæ ruderibus diſtans, Colonia Romanorum facta eſt, teſte Strabone lib. 13. pag. 593. Νῦν δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται. *Nunc etiam Romanorum Coloniam excepit.* Ab Auguſto deductam arguit nomen *Auguſtæ.* Ipſa beneficiorum Hadriani memor, Antonino Pio filio adoptivo gratulans ob aliquam victoriam, nummos ſignavit; ſed cùm ille ex Capitolino plurima bella per Legatos ſuos geſſerit, quænam illa fuerit, non facile eſt pronunciare.

Hic nummus minimi moduli rarus eſt.



IMP. ANTONINVS. AVG. P. P. Caput Antonini laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Aquila volitans caput bovis unguibus tenet.

Aquilæ caput bovis unguibus gerentis typus in Troadensis Coloniæ nummis frequens signatus, ad veterem aliquam urbis historiam spectare videtur. Jo. Malela Antiochenus in Chronico inedito narrat, Seleucum de loco urbis condendæ dubitantem, Jovi Cassio ex oraculo sacrificasse, aquilam verò parte carnis sacrificii ablatâ, in Pieriæ emporium transtulisse, ubi urbem de nomine Seleuciam condidit. Aquila caput bovis rapiens, Troadi condendæ idem augurium videtur. Strabo enim urbem à veteri Troja remotam, imò sæpe locum mutasse, & tandem Oraculi jussu ubi nunc est tradit positam. Καὶ ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι, πλείους μεταβεβληκέναι τόπους τὴν πόλιν, ὕστατα δ' ἐνταῦθα συμβῆναι κ χρησμὸν μάλιστα. *Alii etiam narrant sæpius urbem hanc locum mutavisse, & tandem ibi positam ubi nunc est, maximè Oraculi jussu.* Patinus capita boum cum anteriore illorum parte templis appendi solita refert; sed hîc aquila caput bovis tenet, templis appendi haud consueta.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 221. vulgatus, pro raro habendus.




FAUSTINA.



*F*AVSTINÆ *Senioris nummi ex omni modulo, eximiæ ſunt raritatis & elegantiæ; ſolùs hic ex ære majori & minori hactenus obſervatus eſt.*

CORINTHUS.





FAVSTINA AVGVSTA. COR. *Fauſtina Auguſta Corinthi.* Caput Fauſtinæ Senioris.
ANTONINVS AVG. PIVS. P. P. Caput Antonini Pii laureatum.

Corinthii beneficiorum ab Hadriano acceptorum memores, Antonino Pio ejus filio adoptivo, de ſe etiam bene merito, nummos non modò dedicarunt, ſed huic blandientes, Fauſtinæ ejus uxori conſecrant, ambos in eodem nummo, Antoninum ab una parte; Fauſtinam ab altera ſignantes, quòd eodem tempore ille *Patris patriæ* appellationem, hæc verò *Auguſtæ* nomen receperint, ut innuit Capitolinus in vita Antonini: *Uxorem Fauſtinam, Auguſtam appellari à Senatu permiſit, Pii appellationem recepit.* Uterque titulum ſibi à Senatu conceſſum in nummo præfert.

Hic nummus primæ & ſecundæ formæ rariſſimus eſt.

DIVAE FAVSTINAE.
IMP. CAESAR. T. AELI.
HADRIANI. ANTONINI.
AVG. P. P.
D. D.

Ap. Gruter. pag. 260. 1.



M. AURELIUS.





COLONIAS sub M. Aurelio deductas paucas novimus; etiamsi Aur. Victor sic de ipso loquatur: *Multæ sub eo urbes conditæ, deductæ, repositæ, ornatæque.* Capitolinus vicum *Habale* in Cilicia, in quo Faustina uxor obiit, Coloniam constituisse tradit, quam *Faustinopolim* vocatam narrant. Ex marmoribus *Aurelianæ Laureacensis*, & *Aureliæ Antoninæ Ovilabis* in Norico nobis superest monumentum: his verò nummi *Aureliam Singaram*, & AURELIAM CARRHENAM in Mesopotamia addunt. Ulpianus lib. 22. Dig. *de statu hominum*, inquit: *In orbe Romano qui sunt ex constitutione Imp. Antonini cives, Romani effecti sunt.* Cui adstipulatur Aur. Victor suprà laudatus in ejus vita: *Data cunctis promiscuè civitas Romana.* Id confirmat Cujacius de M. Aurelio, qui apud Dionem lib. 55. duas constituit Legiones II. & III. *Italicam*, illam in Norico, hanc verò in Rhætia hiemantem.

M. AURELII *nummi primæ magnitudinis, eximiæ sunt raritatis; secundæ & minimæ formæ, vulgares & obvii.*

ÆLIA CAPITOLINA.



IMP. CAESAR. ANTONINVS. AVG. Caput M. Aurelii laureatum.
COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Jupiter sedens, dextrâ pateram, lævâ hastam, pro pedibus aquila.

Ælia Capitolina, priùs Jerosolyma dicta, quam ab Hadriano Coloniam deductam diximus, plurimos M. Aurelio nummos, gratulans quòd bello Parthico per L. Verum Imperii consortem suscepto Syriam à vastatione liberasset, signavit. Vologæsus enim Rex, ut narrat Capitolinus in ejus vita, *bellum quod paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat.* Jupiter Capitolinus in aversa nummi parte exhibetur, ut supremus urbis Deus, à quo nomen illa ferebat. Jovis statuam jam Caligula in templo Jerosolymitano per Petronium ponere statuerat, si Jornandi lib. I. de reg. succ. fides: sed ipsi Titus Judæos didrachmum pendere jussit, teste Dione in Vesp. Καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. *Ab eodem Tito jussi sunt quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino qui patrias leges eorum tuerentur.* Æliæ Templum Jovis ab Hadriano exstructum in ipsius nummis observavimus.

Hic nummus mediæ magnitudinis inter raros numeratur.



IMP. CAES. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum, *in aliis* capita Antonini Pii & M. Aurelii, *in aliis* capita M. Aurelii & L. Veri etiam adversa.
COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Caput Serapidis modio ornatum.

Serapidis cultum apud Æliam Capitolinam ex Alexandria receptum, in Antonino Pio diximus, qui Deus etiam apud Ægyptios erat peregrinus, cujus templum extra muros locatum narrat Macrobius Saturnal. 1. *Nullum itaque Ægypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapis fanum recepit.* Ad Æliæ Capitolinæ urbem pertinet idem M. Aurelii nummus sub prava COL. PAPIÆ..... epigraphe à Tristano tom 1. p. 631. vulgatus, quem ille ad Papiam Cæsariensem Mauretaniæ revocat: hunc secutus est Com. Mediobarbus pag. 229. nummum verò P. Harduinus pag. 380. ad Puppiam Proconsularis Africæ urbem pertinere frustra contendit.

Hi nummi secundæ & minimæ formæ pro raris & elegantibus habendi.



IMP. CAESAR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.
COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Trophæum.

Trophæum illud in nummo Æliæ signatum, ad bellum Parthicum spectare videtur ob Mesopotamiam recuperatam. Hæc à Trajano acquisita, & ab Hadriano Parthis relicta est: illam verò provinciam quater amissam, & quater recuperatam tradit Rufus in Breviario. Primò ab Hadriano Parthis redditam recepit L. Verus, eam Commodus iterum perdidit, recuperavit Severus; tertiò à Persis Valeriano capto occupatam, restituit Odenatus sub Gallieni auspiciis; quartò sub Caro deperditam, Diocletiani temporibus Galerius Maximianus Imperio restituit. Trophæum, limitum propagatorum monumentum est; arboris autem truncus ramis ejus amputatis, in excelsissimo loco hostium spoliis ornatus erigebatur. Bellum licèt à L. Vero gestum sit, iidem honores M. Aurelio redditi sunt, si Capitolinum audias. *Partumque est ipsi nomen Armenici, Parthici, Medici, quod etiam Marco Romæ agenti delatum est.*

Hic nummus secundæ formæ inter rariores collocandus.



IMP. ANTONINVS AVG. IMP. L. AVR. VERVS AVG. M. Aurelii & L. Veri capita adversa.
COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Astarte in templo tetrastylo.

Ælia utrique Imperatori M. Aurelio & L. Vero nummos dedicat, *tunc quia*, inquit Capitolinus, *primùm Romanum imperium duos Augustos habere cœpit.* Uterque ideo *Imperatoris* nomen gerit, uterque coronâ laureâ insignis conspicitur; nummus quidem ob bellum Parthicum utrique cusus, Lucio quidem, quòd ad Euphratem usque progressus sit; Marco verò, quòd Romæ omnia quæ ad bellum essent necessaria, rite disposuisset & ordinasset. Templum in Astartis honorem exstructum est, cujus simulacrum in ejus aditu visitur, de quo in Antonino Pio dictum est; Astarte verò à plerisque Venus cœlestis habetur.

Hic nummus primæ magnitudinis, eximiæ raritatis ob molem reputandus.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



AVRELIVS CAESAR. Caput M. Aurelii nudum.
COLONIAE. ANTIOCHIAE. Lupa cum puerulis.

Cæsaream Antiochiam Pisidiæ Coloniam sub Antonino Pio arsisse, ex Capitolino diximus: hæc

hæc à munificentissimo Principe restaurata, ipsi non modò nummos, sed & M. Aurelio ab eo adoptato, & Cæsare nuncupato percussit. *Adoptionis lex*, inquit Capitolinus, *hujusmodi data est: ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum fratris uxoris suæ filium, & L. Verum Ælii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium.* Lupam ubera Romulo & Remo præbentem in nummo signarunt Antiochenses, ut se Romanos & ejusdem originis esse indicarent; hicque typus pro Coloniæ Romanæ symbolo frequens exhibetur.

Hic nummus minimi moduli obvius & tritus est.



AVRELIVS CAESAR. Caput M. Aurelii nudum.
COLONIAE ANTIOCHEAE. Aquila alis expansis.

Nummus ab iisdem Antiochensibus Pisidiæ, non autem Syriæ, ut tradit Patinus pag. 234. M. Aurelio adhuc Cæsari percussus est. Ille quamvis adoptatus ab Antonino Pio, vivente adhuc Hadriano, nondum Cæsaris nomen nisi post Hadriani mortem adeptus est, anno scilicet U. C. 891. CHrist. 138. de quo Capitolinus: *Adhuc Quæstorem & Consulem secum Pius Marcum designavit, & Cæsaris appellatione eum donavit.* Tribunitiam verò potestatem tantùm post nuptias Faustinæ in secundo Consulatu anno U. C. 899. CHrist. 146. accepit, ut inquit idem Capitolinus: *Post hæc Faustinam duxit uxorem, & susceptâ filiâ, Tribunitia potestate donatus est.* Imperator demum post Antonini Pii mortem est appellatus. Aquila, Imperii Romani symbolum, ad Coloniæ dignitatem spectat. Antiochenses autem in superiori nummo lupam cum puerulis ad Romanorum originem; aquilam in hoc, ad eorumdem potentiam indicandam, seu ut solemne Romæ symbolum percusserunt.

Hic nummus minimi moduli obvius & frequens est.

B E R Y T U S.



IMP. CAESAR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum, aquilæ velut impositum, in area COL. *Colonia.*
IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. Caput L. Veri laureatum, aquilæ velut impositum, in area BER. *Berytus* vel *Berytensis.*

Colonia Berytensis nummum belli Parthici tempore percussisse videtur, M. Aurelio & L. Vero gratulabunda ob Parthos per Syriam grassantes, Romanorum armis longè propulsos. Nummus utrumque laureatum, Augustum, & Imperatorem aquilæ superimpositum exhibet: nam M. Aurelius L. Verum Imperii participem fecerat, teste Capitolino. *Fratrem sibi participem in Imperio designavit: quem L. Aur. Verum Commodum appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Remp. gerere. Tuncque primùm Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit.* Ideo uterque laureatus est in nummo, & uterque Augustus: nam Cæsares laureâ non coronabantur. Uterque Imperatoris nomen gerit, & ideo uterque aquilæ superimponitur, ut ambo Imperii Romani participes; aquila enim, ut diximus suprà in Antiochiæ nummis, Imperii Romani symbolum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 241. vulgatus, inter rariores numerandus.

CÆSAREA Palæstinæ.



AVRELIVS CAESAR. Caput M. Aurelii nudum.

COL. P. F. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Variæ sunt epigraphæ. Apollo stans dex. ramum, al. serpentem, lævo cubito tripodi incumbit.

Cæsarenses Palæstinæ nummos M. Aurelio Cæsari, ut Principi ad Imperium designato, percusserunt, quippe, teste Capitolino, *formandus ad regendum statum Reip. patris actibus intererat.* Eadem in M. Aurelio quæ in Antonino Pio patre Apollinis imago, aut propter cultum hujus numinis ex Syriæ Regibus derivatum, aut propter Augustum ejusdem Apollinis studiosissimum, in cujus honorem urbs quondam *Stratonis Turris*, mutato nomine *Cæsarea* vocata est. Apollo Antiochiæ cultus, Daphnæus, id est Laureus vel Laurifer, dicebatur, cui superbissimum Antiochus Deus Epiphanes templum exstruxit, ex Amm. Marcellino lib. 22. idemque Apollinis typus, qui in Romanis Imperatoribus, in Syriæ Regum nummis exhibetur.

Hic nummus minimi moduli pro raro censendus.



IMP. M. AVR. ANTONIN. AVG. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Caput Serapidis calatho insigne.

In superiori nummo M. Aurelius dictus est *Cæsar*, in hoc verò *Imperatoris* nomen gerit, ille à Cæsarensibus ad Imperium designato, hic ad illud evecto, in obsequii monumentum percussus est: Serapis ideo in eo cælatus, quòd hoc numen Cæsareæ potissimùm coleretur; non verò, ut putat Tristanus tom. 1. pag. 631. quòd Marcus summopere Serapidem veneraretur, juxta mentem Capitolini, qui narrat Imperatorem *juvenum nobilium sacra Serapidis à vulgaritate Pelusiæ submovisse.* Serapis enim Ægyptiis maximus erat Deus, ut inquit Macrobius Saturnal. 1. *Nam Serapis, quem Ægyptii Deum maximum prodiderunt.* Hic à Syris ob viciniam receptus est. Variæ sunt de hoc Deo opiniones; alii Jovem, Plutonem, Osirim antiquissimum Ægyptiis numen, Æsculapium, & Nilum; alii cum Apide confundunt. Libet hîc Ruffini verba subtexere, quæ calathum Serapidis capiti impositum clarissimè explicant. *Alii Jovem putant, cujus capiti modius superpositus, vel quia cum mensura modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum liberalitate præberi.*

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.



AVRELIO. CAES. ANTONINO. P. P. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Hercules clavæ innixus quiescit.

Opportuna Cæsarensibus nummorum M. Aurelio Imperatori cudendorum occasio sese obtulit, vel dum L. Verus ejus collega in Syria pro bello Parthico morabatur, vel cùm Marcus ipse in Syriam ob Avidii Cassii rebellionem profectus esset. Hercules in nummo signatus, sui cultum in urbe Cæsarensi denotat, forsan ex urbe Tyro proxima accitus. Ille creditus est Jovis & Asteriæ Latonæ sororis filius, quem Tyrii maximè venerabantur: quidam multos Hercules fuisse volunt. Varro quatuor & quadraginta collegit; Cicero tantùm sex enumerat. Theologorum autem vetus fuit

fuit opinio, per Herculem, Solem significari: unde & illi duodecim certamina attributa sunt; quòd videlicet duodecim Signa Sol percurrat.

Hic nummus mediocris formæ rarus & elegans est.



IMP. M. AVR. ANTONIN. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. PR. FL. AV. CAES. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Colonus agens boves.

Cæsaream Palæstinæ Caput à Tacito vocatam, & inde à Vespasiano *Primam* fuisse cognominatam, in Domitiani nummis diximus: illam quidem *Maximam Judææ civitatem* appellat Josephus de bello Jud. lib. 3. cap. 28. & affectu quodam Romanos dilexisse narrat. Κἀκεῖθεν ἐς τὴν παράλιον ἀφικνεῖται Καισάρειαν, μεγίστην τῆς τε Ἰουδαίας πόλιν, καὶ τὸ πλέον ὑφ' Ἑλλήνων ἐποικουμένην· ἐδέχοντο δὲ καὶ τὴν στρατιὰν, καὶ τὸν στρατηγὸν, μετὰ πάσης φιλοτιμίας καὶ φιλοφροσύνης οἱ ἐπιχώριοι, καὶ κατ' εὔνοιαν μὲν τὴν πρὸς τοὺς Ῥωμαίους. *Vespasianus inde in loca maritima Cæsaream pervenit, Judææ maximam civitatem, & quæ majorum incolarum partem Græcos haberet. Igitur exercitum & rectorem indigenæ omni favore ac benignitate suscipiunt, affectu quidem quo Romanos diligerent.* Hoc Cæsarensium erga Romanos studium Vespasianum forsan excitavit, ut in eorum urbem Coloniam Romanam deduceret. Colonus, constitutæ Coloniæ symbolum est.

Hic nummus minimi moduli, inter raros & elegantes adscribendus.

CARTHAGO *Africæ.*



M. AVRELIVS CAESAR. Caput M. Aurelii nudum.

C. I. C. A. DD. *Colonia Julia Carthago Antiqua, Decreto Decurionum.* Lupa cum Romulo & Remo.

Carthago Africæ nummos M. Aurelio Cæsari in gratiam Antonini Pii percussit, à quo restauratum ex Capitolino diximus forum urbis incensum. De ejusdem Imperatoris munificentia in hanc urbem loquitur Pausanias lib. 8. pag. 526. Καὶ ὧν ἔργων κατεσκεύασεν ἔν τε τῇ Ἑλλάδι, καὶ περὶ Ἰωνίαν, καὶ περὶ Καρχηδόνα, καὶ ἐν γῇ τῇ Σύρων, τὰ δὴ μὲν ἄλλοι ἔγραψαν ἐς τὸ ἀκριβέστατον. *Qua operum magnitudine Græciam, Ioniam, Syriam, & postremò Carthaginem exornarit, ab aliis accuratissimè scriptum.* Littera A. *Antiquam* potiùs quàm *Augustam* interpretati sumus ob nummum Treboniani Galli, in quo duo A. A. subsequenter scripta sunt, C. I. C. A. A. P. *Colonia Julia Carthago Antiqua Augusta Pia*, quæ alio modo explicari posse non videtur. Carthaginenses Lupam cum puerulis signarunt, ut se Romanos indicent, cùm illa sit urbis Romæ symbolum.

Hic nummus minimæ formæ inter rariores numerandus.



ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΦΙΛΩΡ. Μ. Α. ΑΙΡ. Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Φιλωρωμαῖοι μητροπόλεως πρώτης αρ'. *Marco Aurelio Philoromæi metropoleos primæ anno* 101. Caput M. Aurelii nudum.

ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΩΡ. Μ. Α. Αὐρηλίων Καῤῥηνῶν Φιλωρωμαίων μητροπόλεως πρώτης. Caput in Crescente Luna. Apud P. Harduinum pag. 241. malè ΚΑΡΡΗΝΩΝ ΦΙΛΩΡΩΜΕΩΝ.

Ad Carrhenos Mesopotamiæ spectat hic M. Aurelii nummus, quorum urbs ad Chaboram fluvium sita, Colonia, bello Parthico per L. Verum confecto sub fratribus Imperatoribus, constituta est, ut *Aureliæ* nomen, & *Coloniæ* titulus in nummis infrà describendis indicant. Carrheni se *Aurelios* in grati animi monumentum, & forsan Philoromæos appellaverunt; sed potiùs hæc nomenclatio

menclatio illis videtur tributa, aut ab ipsis Augustis M. Aurelio & L. Vero, vel ab Imp. Nerone, sub quo æram dinumerare cœperunt, cùm videlicet inter Romanos recensiti sunt, & Vologæses amicitiam cum his redintegravit, ut innuit Tacitus de Tiridate ejus fratre loquens Histor. 13. *Mittebatque Oratores, qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur datis nuper obsidibus, redintegratâ amicitiâ, quæ novis quoque beneficiis locum aperiret.* Itaque si anni 101. ad annum U. C. 809. quo Vologæses victus à Corbulone obsides tradidit, adjiciantur, annum Romæ 919. quo Colonia deducta est, conficient. Carrheni cum Coloniæ dignitate, provinciæ Mesopotamiæ primatum accepisse videntur, & se Metropolitas primos inscribunt, retento Græco idiomate seu ob longum urbis recessum, ut in his tractibus plerasque Colonias observamus, seu quòd Colonia jus Italicum non habuerit. Caput in Crescente Luna Deus Lunus est, Carrhis maximè cultus, cujus meminit Spartianus in Caracalla : *Atque inde Carrhas Luni Dei gratiâ venisset.*

Hic nummulus inter rarissimos collocandus.

CORINTHUS.



M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Neptunus stans seminudus cum strophio, dextrâ delphinum, sinistrâ tridentem.

Corinthus plurimos quidem M. Aurelio & L. Vero nummos percussit, cùm uterque Imperator in eorum urbem venisset, Verus quidem cùm ad bellum Parthicum proficisceretur, Aurelius verò cùm ex eadem provincia ad reprimendam Avidii Cassii rebellionem rediret. Neptunus ut Tutelaris Corinthiorum Deus in nummis eorum cælatur, cui Isthmus erat sacer, ut tradit Pausanias lib. 2. p. 86. Ἀπὸ μὲν τούτου λέγουσιν εἶναι τὸν Ἰσθμὸν Ποσειδῶνος. *Ex eo Isthmum Neptuni fuisse narrant.* Unde videtur apud eundem Historicum p. 102. dictus *Isthmius.* Μετὰ δὲ Ἀράτου ἡρῷον, ἔστι μὲν Ποσειδῶνι Ἰσθμίῳ βωμός. *Post Arati monumentum ara est Isthmio Neptuno dicata.* De delphino ipsi consecrato pag. 11. & de ejus tridente pag. 146. vide quæ diximus.

Hic nummus minimi moduli obvius est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Neptunus ante aram, dextrâ delphinum, lævâ tridentem.

In superiori nummo Neptunus stat, in hoc verò sedet, dextrâ delphinum, sinistrâ tridentem in utroque gerit. Duo ei templa exstructa narrat Pausanias lib. 2. unum in Isthmo, de quo pag. 86. Ἐλθόντι δὲ ἐς τοῦ θεοῦ τὸ ἱερόν. *Quà ad ipsum Dei fanum aditus est.* Alterum in navali Lechæo pag. 88. Statius :

Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.

Ἔστι δὲ ἐν Λεχαίῳ μὲν Ποσειδῶνος ἱερὸν καὶ ἄγαλμα χαλκοῦν. *In Lechæo Neptuni templum est cum signo æneo.* An signum in uno sedens fuerit, an in altero stans, an verò ex illis duobus signis, quæ refert idem Pausanias p. 87. in antica prioris templi parte positis, alterum steterit, alterum verò sederit. Καὶ ἀγάλματά ἐστιν ἐν τῷ προνάῳ δύο μὲν Ποσειδῶνος. *In antica ejus parte (Pronaon appellant) Neptuni signa duo.* Vel illæ Neptuni imagines ad scalptoris libitum efficta sunt.

Hic nummus minimæ formæ nec rarus nec obvius est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Neptunus in quadrigis, dextrâ tridentem; lævâ victoriolam.

Neptunus variis modis depictus prodit, nunc sedens, ut pacatus & tranquillus; modò rectus, ut commotus; nunc nudus, modò strophio imo & veste coopertus, aliquando in quadrigis, modò in concha à marinis equis tractus. Corinthii forsan Græco more Imperatoribus adulantes, eorum gesta sub Deorum suorum simulacris repræsentarunt: nihil enim frustra in nummis percussum est. Victoriola in Neptuni manu ad M. Aurelii victoriam, ob quam triumphans spectare videtur. M. Aurelius sub Neptuni figura in quadrigis exhibetur, dextrâ ut Neptunus tridentem, sinistrâ ut Imperator Victoriam gerens. Licèt enim M. Aurelius navalem victoriam obtinuerit, hic tamen tanquam Tutelaris Deus, qui ipse Neptunus erat, exhibetur.

Hic nummus mediocris magnitudinis inter raros recensetur.



IMP. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Caput Solis radiis ornatum.

Sol alter Corinthi urbis Tutelaris Deus perhibetur, Neptunus enim & Sol de Corinthi protectione disputarunt, quos conciliasse Briareum narrat Pausanias l. 2. p. 86. attributo nimirum Neptuno Isthmo, Soli verò Acrocorintho: Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι Ποσειδῶνα ἐλθεῖν Ἡλίῳ περὶ τῆς γῆς ἐς ἀμφισβήτησιν· Βριαρέων δὲ διαλλακτὴν γενέσθαι σφίσιν, Ἰσθμὸν μὲν καὶ ὅσα ταύτῃ, δικάσαντα εἶναι Ποσειδῶνος, τὴν δὲ ἄκραν Ἡλίῳ δόντος τὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως. Ἀπὸ μὲν τούτου λέγουσιν εἶναι τὸν Ἰσθμὸν Ποσειδῶνος. *Ipsi quidem Corinthii Neptunum narrant in certamen cùm Sole de regione descendisse: disceptatorem inter eos Briareum fuisse, qui cùm Isthmum Neptuno, Soli verò promontorium quod urbi imminet, adjudicasset, ex eo Isthmum Neptuni fuisse.* Sol idem est cum Apolline, ut ait Macrobius Saturnal. 1. cap. 23. *Ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est.* Dicitur autem Apollo ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτίνας, hoc est, à jaculando radios: ideo ipsius caput iis ornatur, & ejus simulacrum arcu & sagittis decoratur, ut per eas vis emissa radiorum intelligatur.

Hic nummus minimi moduli obvius est.



M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Sol radiatus in quadrigis, dextrâ flagrum, lævâ habenas equorum.

Solem currus moderatorem nummus exhibet, qualem forsan illum Corinthi depictum supra quoddam vestibulum notat Pausanias lib. 2. p. 89. Ἐκ δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐξιόντων τὴν ἐπὶ Λέχαιον, προπύλαιά ἐστι, καὶ ἐπ᾽ αὐτῶν ἅρματα ἐπίχρυσα, τὸ μὲν Φαέθοντα Ἡλίου παῖδα, τὸ δὲ Ἥλιον αὐτὸν φέρον. *Cùm è foro exieris Lechæum versus, vestibula videas, & super ipsis inauratos currus duos, quorum altero Phaëton Solis filius, altero Sol ipse vehi videtur.* Equorum nomina sunt *Pyrous*, id est igneus seu rubeus, *Eous*, id est ab Aurora, *Aëthon*, id est splendidus, & *Phlegon*, id est flammeus. Sol flagrum tenet ut auriga, teste Macrobio Saturnal. 1. cap. 23. *Simulacrum enim aureum specie imberbi instat, dextrâ elevatâ cum flagro in aurigæ modum.* Synhodus Apollo inscriptione marmorea Lanuvii legitur, quæ à M. Aurelio Augusto posita fuit. Ex Lil. Giraldo syntagm. 7. pag. 217.

Hic nummus secundæ formæ rarus & elegans est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Bacchus ſtans cum ſtrophio, dextrâ poculum, lævâ thyrſum, pro pedibus panthera.

Corinthios Bacchum veneratos indicat nummus hic Dei ſimulacrum repræſentans. Duo ejus ſigna in foro urbis locata fuiſſe tradit Pauſanias lib. 2. p. 88. Ἔστι δὲ ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς (ἐνταῦθα γὰρ πλεῖστά ἐστι τῶν ἱερῶν) Ἄρτεμίς τε ἐπίκλησιν Ἐφεσία, καὶ Διονύσου ξόανα ἐπίχρυσα πλὴν τῶν προσώπων. *In foro, ubi plurima ſunt templa, Diana eſt Epheſia cognomento, & Liberi Patris ſigna duo lignea, inaurata.* Horum alterum Lyſium, alterum Baccheum nominant. Bacchus poculum gerit, in quo vinum, cujus uſum, & vitis plantandæ rationem docuiſſe ferunt. Cùm autem vinum rixas & lites excitet, thyrſus hæderâ ornatus Baccho datus eſt ex Macrobio Saturn. 1. cap. 19. *Quod oſtendit vinculo quodam patientiæ obligandos impetus furoris : habet enim hædera vinciendi obligandique naturam.* Panthera Baccho comes additur, ſi Fulgentio fides, Mythol. lib. 2. *Quòd vino efferatæ mentes mulceantur, unde & Lyæus dicitur, quaſi lenitatem præſtans.*

Hic nummus minimi moduli inter raros adſcribendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mercurius ſedens, dextrâ extensâ, ſiniſtrâ caduceum, prò pedibus aries.

Jam antea in Antonino Pio diximus Mercurium Corinthi cultum, quem ſedentem in templo diſtylo exhibet illius nummus. Hujus Dei fanum in foro eſt ; & ejuſdem ſedentis ſignum in via quà ad Lechæum itur, collocat Pauſanias lib. 2. pag 89. Αὖθις δ' ἰοῦσιν ἐπὶ Λεχαίου τὴν εὐθεῖαν, χαλκοῦς καθήμενός ἐστιν Ἑρμῆς, παρέστηκε δὲ οἱ κριός. *Rurſus in via quà ad Lechæum rectà iter eſt, Mercurius ex ære ſedens viſitur, cui adſiſtit aries.* Deus hic pro inſigni caduceum gerit. Virga erat ipſi ab Apolline data, cui duo ſerpentes additi ſunt, quòd nimirum ille in Arcadiam proficiſcens, duos ſerpentes inter ſe pugnantes virgâ interpoſitâ dicto citiùs diremerit ; unde ab eo *Caduceatores* dicti ſunt Legati pro pace miſſi, ut innuit Amm. Marcellinus lib. 21. *Caduceatoribus miſſis ex more.* Mercurius autem Deorum Nuncius perhibetur. Cæſar lib. 3. de bell. civ. *Bonis nunciis afficit homines Mercurius, & nunciis præeſt.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis nec rarus nec obvius eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Hercules nudus ſtans, dextrâ clavam, ſin. ſpolia leonis.

Hercules inter Deos quos Corinthii cultu proſecuti ſunt, adnumeratus videtur ; ejus ſignum verſus Lechæum ultra veſtibula poſitum narrat Pauſanias lib. 2. p. 89. Ὀλίγον δὲ ἀπωτέρω τῶν προπυλαίων ἐσιοῦσιν ἐν δεξιᾷ, ἔστιν Ἡρακλῆς χαλκοῦς. *Ultra propylæa ingreſſis, ad dextram eſt Hercules æneus.* Quis fuerit ille Hercules, Græcus videtur : Diodorus enim lib. 4. tres enumerat, Græcum, Ægyptium, & Cretenſem. Cicero de Nat. Deor. ſex profert ; ſed Varroni ſunt quadraginta tres. Herculi clava ut inſigne ejus tribuitur, ùt & ſpolia leonis, de quibus Diodorus Hiſtor. l. 1. p. 14. Ὁμοίως δὲ τό, τε ῥόπαλον καὶ τὴν λεοντῆν τῷ παλαιῷ πρέπειν Ἡρακλεῖ, διὰ τὸ κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους μήπω τῶν ὅπλων εὑρημένων τοὺς ἀνθρώπους τοῖς μὲν ξύλοις ἀμύνεσθαι τοὺς ἀντιταττομένους, ταῖς δὲ δοραῖς τῶν θηρίων σκεπαστηρίοις χρῆσθαι. *Ad eundem modum clava & leonis exuviæ Herculi antiquo congruunt, quia nondum inventis illo tempore armis, homines ſecum congreſſos lignis repellebant, & belluarum coriis pro tegumentis utebantur.* Alii Herculem portentoſi cujuſdam leonis ab ipſo in Nemea ſilva occiſi ſpolia geſtare narrant.

Hic nummus mediocris formæ rarus eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Hercules ſtans, dextrâ ſuper femora, brachio ſiniſtro clavæ ſaxo impoſitæ innixo cum ſpoliis leonis.

Paululum diverſus à ſuperiore Hercule prodit alter in Corinthiorum nummis; num forſan diſſimili modo ſculpta erant duo ejus in urbe ſigna, quorum meminit Pauſanias lib. 2. alterum verſus Lechæum, alterum juxta theatrum. De priori ſuprà, de altero hæc idem Hiſtoricus p. 92. Τὸ δὲ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Χαλινίτιδος πρὸς τῷ θεάτρῳ σφίσιν ἐστί· καὶ πλησίον ξόανον γυμνὸν Ἡρακλέους, Δαιδάλου δὲ αὐτό φασιν εἶναι τέχνην. *Templum verò Minervæ Frænatricis juxta theatrum eſt, & ei proximum Herculis nudo corpore ligneum ſignum, quod à Dædalo factum tradunt.* Hercules innixus clavæ poſt tam multos labores exantlatos quieſcens repræſentatur, quem ob fortitudinem & gloriam inter Deos relatum tradunt.

Hic nummus ſecundi moduli, à Patino vulgatus pag. 236. inter raros computatur.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Puer nudus inequitans Delphinum.

Puer ille in Corinthiorum nummis frequens, Melicerta eſt Athamantis Thebarum Regis & Inus filius, quem illa mariti iram fugiens in mare præcipitavit. Uterque numen marinum creditur, de quibus Virg. 4. Georg. & Ovid. 4. Metam.

Principe Thebarum ſatus eſt Melicerta Athamante:
Hic materque Ino finguntur numina Ponti.

Melicertam excepit Delphinus, quem in Iſthmum Corinthi detulit, cui divini honores delati, & Iſthmici ludi decreti ſunt, teſte Pauſania lib. 1. p. 84. Ἐξενεχθέντος δὲ ἐς τὸν Κορινθίων Ἰσθμὸν ὑπὸ δελφῖνος (ὡς λέγεται) τοῦ παιδὸς, τιμαί τε ἄλλαι τῷ Μελικέρτῃ δίδονται μετονομασθέντι Παλαίμονι, καὶ τῶν Ἰσθμίων ἐπ᾽ αὐτῷ τὸν ἀγῶνα ἄγουσι. *Puerum quidem à delphine exceptum, cùm in Corinthiorum Iſthmum fuiſſet expoſitus, mutato nomine, ex Melicerte Palæmonem appellatum: eique cum alios habitos honores, tum verò Iſthmicos ludos decretos.*

Hic nummus mediæ formæ, à Patino pag. 236. vulgatus, frequens eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Puer delphino rectus inſiſtens.

Melicerta in nummo repræſentari videtur, quale ejus ſignum in via quà ad Lechæum rectà iter erat, fuiſſe narrat Pauſanias l. 2. p. 89. Αὖθις δ᾽ ἰοῦσιν ἐπὶ Λεχαίου τὴν εὐθεῖαν, χαλκοῦς καθήμενός ἐστιν Ἑρμῆς..... Μετὰ δὲ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἑρμοῦ, Ποσειδῶν καὶ Λευκοθέα, καὶ ἐπὶ δελφῖνός ἐστιν ὁ Παλαίμων. *Rurſus in via quà ad Lechæum rectà iter eſt, Mercurius ex ære ſedens viſitur...... Poſt Mercurii ſignum Neptunus & Matuta & Delphino inſiſtens Palæmon.* Ejuſmodi Melicertæ figuram in templo Neptuni ab Herode Athenienſi poſitam narrat idem Pauſanias, de qua in Antonino Pio diximus.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino pag. 236. vulgatus, obvius eſt.



M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIIX. Caput M. Aurelii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Delphinus ſub arbore, cui incumbit puer.

Melicertam mortuum Delphino incumbentem eodem pene modo quo tranſlatus fuit in Iſthmum, nummus exhibet : arbor verò videtur eſſe pinus, juxta quam à Delphino fuit appoſitus, ut poſtmodum ibidem inventus, cujus rei meminit Pauſanias l. 2. p. 86. Προιοῦσι γὰρ ἡ πίτυς ἄγει τι ἐμοῦ ἐπεφύκει παρὰ τὸν αἰγιαλόν. Καὶ Μελικέρτου βωμός ἦν. Ἐς τοῦτον τὸν τόπον ἐκκομισθῆναι τὸν παῖδα ὑπὸ δελφῖνος λέγουσι, &c. *Operis index eſt pinus, quæ in ipſo adhuc littore ſe progredientibus oſtendit. Fuit hoc in ipſo loco & Melicertæ ara; eò enim à delphine evectum puerum memorant*, &c. Tribunitia poteſtas XXIIX. nummum arguit à Corinthiis ſignatum ad obſequium ipſorum erga M. Aurelium denotandum, promulgatâ videlicet M. Avidii Caſſii in Syria rebellione. Corinthii autem Imperatori gratulantes, quòd hoſtis ſublatus eſſet, nummum hunc ipſi percuſſerunt : nam ut habet Vulcat. Gallicanus in ipſius vita : *Amor Antonini hoc maximè enituit, quòd conſenſu omnium, præter Antiochenſes, Avidius interemptus eſt.* Utinam nummi omnes Tribunitiam poteſtatem uniuſcujuſque Imperatoris exhiberent.

Hic nummus ſecundi & minimi moduli, ab Ill. Spanhemio Diſſ. 3. pag. 196. vulgatus, nec obvius nec rarus eſt.



M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Templum rotundum quatuor columnis ſuffultum, hinc & inde Delphino ornatum, in cujus medio Melicerta Delphino ſubſtratus eſt, propè verò arbor.

Divinos Melicertæ honores, eumque vocatum Palæmonem, & inter portuum Præſides relatum, jam antè diximus, de quo Virg. Georg. 1.

Votaque ſervati ſolvent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Templum Corinthi in ipſius honorem erectum tradit Pauſanias l. 2. p. 87. Τοῦ περιβόλου δέ ἐστιν ἐντὸς Παλαίμονος ἐν ἀριστερᾷ ναός· ἀγάλματα δὲ ἐν αὐτῷ Ποσειδῶν, καὶ Λευκοθέα, καὶ αὐτὸς ὁ Παλαίμων. *Intra templi ſeptum ad ſiniſtram eſt Portuni ædes: in qua ſigna ſunt, Neptunus, Leucothea, & ipſe Portunus.* Duo Delphini ad templi ornamentum videntur additi, & nummus valde Pauſaniæ locum illuſtrat.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino vulgatus pag. 236. inter raros & elegantes reponendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Bellerophon in Pegaſo decertans contra Chimæram.

Jam prodiit Bellerophon in nummis decertans contra Chimæram, quem Corinthiorum heroem fuiſſe diximus, utpote Glauci Ephyræ Regis filium, cùm priùs Corinthus Ephyra vocaretur Stephano. Ἡ αὐτὴ ἐκαλεῖτο Ἐφύρα. *Eadem nominabatur Ephyra.* Bellerophonti templum etiam Corinthii erexerunt, ſi Pauſaniæ fides, quod collocat extra portam Diogenis Sinopenſis in ſuburbio, p. 88. Πρὸ δὲ τῆς πόλεως κυπαρίσσων ἐστὶν ἄλσος ὀνομαζόμενον Κράνειον. Ἐνταῦθα Βελλεροφόντου τέ ἐστι τέμενος. *Maximè ſuburbanus eſt cupreſſorum lucus, cui Craneo nomen. In eo Bellerophontis fanum eſt.* Vide in Nerone pag. 171. de Bellerophontis cum Chimæra certaminis affabulatione.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 236. obvius eſt.

C. L. I.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Pegaſus.

Bellerophonti ſuccedit Pegaſus, quo ille à Minerva ſibi dato ad decertandum contra Chimæram uſus eſt. Fulgentius Myth. lib. 3. Pegaſum ex Meduſæ ſanguine procreatum narrat; Hyginus verò Fab. 15. ex Meduſa Gorgonis filia & Neptuno natum tradit. *Ex Meduſa Gorgonis filia & Neptuno nati ſunt Chryſaor & equus Pegaſus.* Inter aſtra illum collocatum aiunt, cùm Bellerophon ad cœlum evolare contendens, timore permotus, deſpiciens ad terram, decidiſſet, ejus ſignum Corinthii cum Bellerophonte, in via qua ad Lechæum itur, repræſentarunt, teſte Pauſania lib. 2. p. 90. Θέας δὲ μάλιστα ἄξια παρὰ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Ἀρτέμιδος, καὶ ὁ Βελλεροφόντης ἔπεστι, καὶ τὸ ὕδωρ ὃ δι' ὁπλῆς ἵππου ῥεῖ τοῦ Πηγάσου. *Spectatu digniſſima ſunt, ubi à Dianæ ſigno diſceſſeris, Bellerophontes, & ex ipſa Pegaſi equi ungula manans aqua.* Sed illi non modò ſignum Pegaſi in urbe ad ejus memoriam, ſed etiam in nummis poſuerunt, Troëzenios imitati, qui teſte Plutarcho tridentem in iis ſculpſerunt ob Neptuni à ſe culti reverentiam. Pollux Corinthi monetam, Pullum fuiſſe vocatam, quòd Pegaſum haberet inſculptum, tradit.

Hic nummus mediocris formæ tritus eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Chimæra. Diverſi ſunt typi.

Chimæra ad hiſtoriam Bellerophontis ſpectat, & ad antiquitatem urbis denotandam in nummo ſignata eſt: Chimæram, monſtrum narrant; caput & pectus leonis, ventrem capræ, & caudam leonis habentem, de qua Lucret. lib. 5.

Quî fieri potuit, triplici cum corpore, ut una
Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra?

Hyginus Fab. 151. Chimæram ex Typhone gigante & Echidna natam ſcribit: aliis verò mons eſt, aliis navis. Fulgentius Mythol. 3. qui per Bellerophontem ſapientiam interpretatur, Chimæram quaſi κῦμ' ἔρωτος definit, id eſt fluctuatio amoris. Sic Bellerophontes occidit Chimæram.

Hic nummus ſecundi moduli, à Patino p. 236. vulgatus, frequens & obvius eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Figura virilis ſeminuda ſtans, dextrâ malleum, ſiniſtrâ forcipes geſtat.

Ferrea hæc inſtrumenta quæ tenet illa figura ſeminuda, Cabyrum aut Vulcanum Cabyrorum patrem exhibere ſuadebant; ſed cùm apud Corinthios nullum eorum cultum ex Pauſania obſervaremus, unum ex Cyclopibus eſſe ſuſpicati ſumus, inter quos tres præcipuè celebrantur à Poëtis. Virgil. lib. 8. Æneid.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.

Cyclopes autem Neptuni & Amphytrides filii exiſtimantur, & Apollodorus Neptunum ab iis tridentem accepiſſe tradit lib. 1. de Deorum orig. *Cyclopes Neptunum tridente condonarunt.* Cùm autem Neptunus urbis Deus eſſet tutelaris, Corinthii ideo ejus filios forſan venerati ſunt, & iis ſacra fecerunt, tradente Pauſania lib. 2. pag. 83. Καὶ δὴ ἱερόν ἐστιν ἀρχαῖον Κυκλώπων καλούμενος βωμὸς, καὶ θύουσιν ἐπ' αὐτῷ Κύκλωψι. *Eſt etiam vetus quam Cyclopum appellant aram, ad quam Cyclopibus divinam*

rem faciunt. Strabo illos in Græciam, ubi plurima eorum opera fuere, è Lycia Bellerophontis ævo adſcitos narrat.

Hic nummus mediocris formæ inter rariores recenſendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Venus ſeminuda ſtans in templo baſi prægrandi ſuperimpoſito, ambabus clypeum tenet.

Venerem à Sole Acrocorinthi tutelam accepiſſe diximus, in cujus aditu ejus templum locat Pauſanias lib. 2. p. 93. Sed cùm ejus figura ſex columnis ornata frequens in nummis occurrit, hoc templum duabus ſolùm inſigne ipſi igitur convenire nequit : alia verò ſunt in urbe Veneris fana apud eundem Hiſtoricum, alterum in urbe, alterum in ſuburbio, hoc Melanitidis Veneris, illud in Cenchreis. Ἐν δὲ Κεγχρέαις Ἀφροδίτης τέ ἐστι ναός, καὶ ἄγαλμα λίθου. *In ipſis Cenchreis eſt Veneris delubrum, & marmoreum ſignum.* Venus plurimis cognominibus apud auctores appellatur, 82. colligit Lil. Giraldus, inter quas, *Victrix* dicta, videtur eſſe noſtra, cujus ædem Porphyrion fuiſſe ait Romæ in theatro Pompeii. Sic autem illa ſeminuda depingitur in nummis S. C. cuſis cum epigraphe VENERI VICTRICI, in quibus M. Aurelium ſub Martis ſpecie ad bellum properantem retinere videtur. Corinthii Romanorum exemplo Imperatori nummum cum Veneris Victricis effigie ſignarunt, ipſi per uxorem Fauſtinam tanquam alteram Venerem gratulantes. Venus ſcutum gerit ſeu ut Victrix, ſeu tanquam eorum inventrix, teſte Colutho de raptu Helenæ. Vide infrà in Lucilla.

Hic nummulus inter rariores collocandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Figura muliebris turrita & ſtolata ſtans, dextrâ extensâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ.

Mulier turrita urbem ipſam Corinthum ſeu Genium urbis deſignat ; corona ex turribus compoſita urbis ſymbolum eſt ; patera & cornucopiæ, illius Genii inſignia ſunt : figura ſtolata eſt Romano more, ipſa enim Corinthus Colonia Romanorum conſtituta eſt, annoſque 217. ab ejus deductione dinumerat Pauſanias cùm Æliaca ſcriberet. p. 287. Κορινθίων μὲν γὰρ οἱ νῦν νεώτατοι Πελοποννησίων εἰσί, καὶ σφίσιν ἀφ᾽ οὗ τὴν γῆν παρὰ βασιλέως ἔχουσιν εἴκοσι ἔτη καὶ διακόσια τριῶν δέοντα ἦν ἐς ἐμέ. *Siquidem hujus ætatis Corinthii omnium maximè novi in Peloponneſo ſunt. Abhinc enim annos fermè ducentos decem & ſeptem, Colonia hæc ab Imperatore Romano deducta eſt.* Pauſanias autem ſub M. Aurelio florebat. Additis igitur illis 117. annis ad annum U. C. 710. quo Corinthus Colonia à Julio Cæſare condita eſt, annum U. C. 227. M. Aurelii Tribunitiam poteſtatem XXVII. annumque illius Imperii XII. conſtituent, nam ille ex eodem Pauſania Olymp. 235. regnare cœpit, quod Euſebius in Chronico confirmat.

Hic nummus ſecundi moduli, à Patino pag. 236. vulgatus, rarus eſt & elegans.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Homo nudus ſtans, dextrâ victoriolam ut videtur, lævâ palmam, pone eum arbor & Melicerta delphino ſubſtratus.

Nummus hic ad ludorum Iſthmicorum in Melicertæ inſtitutorum originem, ut putamus, ſpectat. Vir nudus, Athleta eſt Iſthmionica, cujus victoriæ, ipſius ſimulacrum & palma ſymbola ſunt. Arbor, pinus illa, ſub qua inventum Melicertæ corpus, & ex qua coronabantur horum ludorum

victores.

victores. Melicerta Delphino substratus signatur, ad indicandum in ipsius honorem ludos esse institutos, de quibus loquentem audias Pausaniam lib. 2. p. 86. Ἐς τοῦτον τὸν τόπον ἐκκομισθῆναι τὸν παῖδα ὑπὸ δελφῖνος λέγουσι· κειμένῳ δὲ ἐπιτυχόντα Σίσυφον θάψαι τε ἐν τῷ Ἰσθμῷ, καὶ τὸν ἀγῶνα ἐπ' αὐτῷ ποιῆσαι τῶν Ἰσθμίων. *Eò enim evectum puerum memorant: quem cùm offendisset expositum Sisyphus, & humarit in Isthmo, & Isthmicos in ejus honorem ludos instituerit.* Sisyphus autem Melicertæ erat patruus, nam hujus pater Athamas & Sisyphus Æoli filii recensentur. Pinu coronatos fuisse Isthmicos victores affirmat Pausanias ipse lib. 8. fol. 531. Ἐν Ἰσθμῷ δὲ ἡ πίτυς, καὶ τὰ ἐν Νεμέᾳ σέλινα ἐπὶ τοῦ Παλαίμονος καὶ τοῦ Ἀρχεμόρου τοῖς παθήμασιν ἐνομίσθησαν. *In Isthmo autem pinum, in Nemea apium ad Palæmonis, & Archemori casus testandos dari institutum est.* Corinthii nummum eo anno quo illi ludi celebrati sunt, in M. Aurelii honorem percussisse videntur.

Hic nummus mediocris magnitudinis inter rariores numerandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Obeliscus supra quem icuncula nuda sinistrâ hastam, hinc & inde figura equestris paludata veluti decurrens.

Ad ludos Isthmicos hunc nummum pertinere duximus. Obeliscus & equites veluti decurrentes, certamen equestre in Hippodromo persuadebant; sed cum equites paludati sint, & basibus impositi videantur, statuas suspicati sumus M. Aurelio & L. Vero dicatas, obelisco interposito, in quo eorum gesta fuerint insculpta. Uterque Imperator de Corintho bene meritus esse videtur, cùm tam multos Corinthii in eorum honorem nummos percusserint, & si fuisset in urbe Hippodromus, Pausanias qui accuratè res ejus descripsit, ejus haud dubie meminisset.

Hic nummus secundi moduli rarissimus est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victimarius stans coram ara taurum immolaturus, ante eum mons, in cujus vertice templum.

Nummus in memoriam sacrificii cujusdam signatus est, quod primò ob aliquam M. Aurelii victoriam, vel ob ejus decennalia aut vicennalia celebrata, confectum suspicati sumus. Sed templum Veneris, quod Pausanias in Acrocorintho ædificatum narrat, sacrificium potiùs in Faustinæ honorem perpetratum esse persuasit; ea quippe à Corinthiis altera Venus existimata est, & in cujus nummis senatusconsulto percussis eadem sæpe sæpius sub Veneris Felicis, Genitricis, & Victricis simulacro exhibetur. Faustina autem mortua est in eo itinere, quo ea unà cum M. Aurelio redibat. Porrò huic multos ille honores detulit, teste Capitolino: *Petiit à Senatu ut honores Faustinæ ædemque decernerent, laudata eadem..... novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ. Divam etiam Faustinam à Senatu appellatam gratulatus est.* Corinthii beneficiorum Imperatoris memores, Augustæ inter Deas relatæ tanquam alteri Veneri in ipsius templo sacra fecerunt, cujus memoriam in nummis consignarunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis in rariorum numero locandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Templum quatuor columnarum à latere positum in vertice montis prærupti, ad ejus radices hinc & inde porta, à dextris arbor, & altera in imo nummi.

Mons ille, Acrocorinthus eſt; templum autem Veneri dicatum, cujus frequens typus in Corinthi nummis viſitur. Hinc & inde porta ad radices montis, duas eſſe ad Acrocorinthi aſcenſum vias indicare videtur. Arbores an in eo loco ſitas oſtendat nummus, incertum eſt; an verò duæ illæ ſint, quas Corinthi cultas memorat Pauſanias, pinum ſcilicet, quæ in nummis cum Melicerta frequenter ſignatur; & alteram Penthei, de qua in ſequenti nummo, dijudicent Antiquarii.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino pag. 236. vulgatus, inter rariores adſcribendus.



IMP. M. ANTONINVS. AVG. ARME. Caput M. Aurelii laureatum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Arbor ſuper aram quadratam.

Hanc arborem aræ impoſitam P. Harduinus pag. 125. ad hiſtoriam Penthei revocat, quem Pauſanias in Corinthiacis tradit ad montem Citherontem profectum, ut fœminarum operta ſacra ſpecularetur, in arborem aſcendiſſe, atque inde omnia conſpicatum; quod cùm Bacchæ animadvertiſſent, impetu facto viventem eum laceraſſe, ac membratim diſcerpſiſſe memorantur. Corinthii redditum ſibi poſtea oraculum narrant apud Pauſaniam lib. 2. pag. 89. Ἀνευρόντας τὸ δένδρον ἐκεῖνο ἴσα τῷ θεῷ σέβειν. *Ut eam arborem quærerent, & inventæ divinos honores haberent.* Sed Patinus pag. 236. ad Melicertam pertinere nummum exiſtimat, de quo in Vero.

Hic nummus minimi moduli, à Patino vulgatus p. 236. inter elegantiores numerandus.



ISTHMIA. in corona ex pinu contexta.

Hic nummus etiamſi urbis nomen non habeat, ad Corinthum tamen ſpectare videtur, in cujus Iſthmo certamina Iſthmica celebrabantur, quæ à Theſeo in honorem Neptuni, vel à Siſypho in Palæmonis memoriam inſtituta, in Nerone diximus; quod conciliare videtur Plutarchus, cùm ea initium habuiſſe ex Melicerta, deinde ob Neptunum ampliata demonſtret in Theſeo pag. 11. Φιλοτιμηθεὶς ἄγειν τοὺς Ἕλληνας· ὁ γὰρ ἐπὶ Μελικέρτῃ τεθεὶς αὐτόθι, νυκτὸς ἐδρᾶτο, τελετῆς ἔχων μᾶλλον ἢ θέας καὶ πανηγυρισμοῦ τάξιν. *Quod enim ludicrum in Melicertes honorem conceptum nocte illic peragebatur, initia potiùs, quàm ſpectaculum & celebritas publica cenſebatur.* De Iſthmicorum ludorum celebrationis tempore controverſum videtur; plurimi πεντετηρικὸν agonem ut alios exiſtimant, alii τριετηρικὸν, hoc eſt, tertio quoque anno celebratum putant: quod Pindarus Nem. Od. 6. Ep. 2. & Græca quoque ad ipſum ſcholia comprobant. Ariſtides etiam Rhetor de Iſthmo Corinthiaco pag. 102. loquens, id pereleganter explicat. Iſthmia verò Juliani Imp. temporibus intra quinque annos duplicia, hoc eſt bis celebrata videntur, ut ille teſtatur in Epiſt. pro Argivis: Πρὸς δὲ τούτοις Ἠλεῖοι μὲν καὶ Δελφοὶ διὰ τῆς πολυθρυλλήτου πενταετηρίδος ἅπαξ ἐπιτελεῖν εἰώθασι· διπλᾶ δέ ἐστι Νέμεα παρὰ τοῖς Ἀργείοις, καθάπερ Ἴσθμια παρὰ Κορινθίοις. *Præterea Elei & Delphi propter nobiles illas Olympiadas ſemel duntaxat pecunias conferre ſolent: at duplicia ſunt Nemea apud Argivos, ſicut & Iſthmia apud Corinthios.* De corona pinea in L. Vero infrà.

Hic nummus mediocris moduli pro raro notandus.

HIPPO REGIUS.



AVR. ANTONINVS. CAES. Caput Marci Aurelii ſine laurea.

C. G. I. H. P. A. *Colonia Gemella Julia Hipponenſis Pia Auguſta.* Ceres gradiens ambabus facem accenſam gerit.

Ad

Ad Hipponem Africæ urbem littoralem nummum revocavimus, cujus litteras initiales C. G. I. H. P. A. ſic interpretati ſumus, *Colonia Gemella Julia Hipponenſis Pia Auguſta.* Hippo urbs, *Colonia* ab Antonino Pio in Itiner. nominatur : *A Tingitanis Carthagine .... Hippona Regio Colonia* P. XXXII. Urbs illa quidem *Gemina* Straboni, altera *Hippo Regius*, altera *Hippo Diarrhytos*, id eſt irriguus, lib. 17. pag. 832. Καὶ οἱ δύο Ἱππῶνες, ὁ μὲν πλησίον Ἰτύκης, ὁ δ' ἀποτέρω πρὸς τῇ Τρητῷ μᾶλλον, ἄμφω βασίλεια. *Et duo Hippones, alter Uticæ proximus, alter remotior, & Trito propinquior, ambæ regiæ.* Unde in nummo *Gemella* perhibetur. Hæc *Julia* dicitur, à Julio Cæſare, ut ejus nomen indicat, deducta, quales plurimæ ab eo in Africa conſtitutæ recenſentur, Julia Babba, Julia Banaſa, Julia Carthago, Julia Conſtantia, & Julia Leptis. *Piæ* nomen ob Colonos iterum ab Antonino Pio miſſos, vel ob quoddam acceptum ab eo beneficium, aſſumpſiſſe videtur. Capitolinus enim in ejus vita inquit : *Multas etiam civitates adjuvit pecuniâ, ut opera vel nova facerent, vel vetera reſtituerent.* Memores Hipponenſes M. Aurelio ab Antonino adoptato nummos ſuos dedicarunt. Ceres in nummo ſignata, Hippone cultam fuiſſe indicat. Tertullianus Africanam Cererem ſummo cultu & continentiâ celebratam à viduis mulieribus narrat lib. 2. ad uxorem. *Cæterùm*, inquit, *Africanæ Cereri viduas aſſiſtere ſcimus.* Et alibi : *Fœminas verò Cereris Africanæ, cui etiam & ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt.* Ceres tædas utrâque gerit, filiam Proſerpinam raptam quærens, ut fabula eſt notiſſima.

P. Harduinus pag. 189. C pro G ſubſtituendo, has litteras C. C. I. H. P. interpretatus, *Colonia Concordia Julia Hadrumetina Pia*, Patinum, Mediobarbum & alios hoc arcanum latuiſſe gloriatur : at non illis felicior contra ipſos Gruterum producit, cùm ex eo Hadrumetina Colonia à Trajano deducta ſit, & *Ulpia Trajana* appelletur, ut teſtis eſt ipſa Gruteriana inſcriptio pag. 362. COLONIA CONCORDIA VLPIA TRAIANA AVGVSTA FRVGIFERA HADRVMETINA. Hippo verò *Colonia Gemella Julia* & *Pia* in nummo nominata eſt.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.

PARIUM.



IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. PARIA. IVL. AVG. *Colonia Pariana Julia Auguſta.* Mulier ſtolata ſtans cum calatho in capite, dextrâ ſignum militare, ſiniſtrâ cornucopiæ.

Parium, urbs Myſiæ ad Propontidem, à Pariis inſulæ maris Ægæi condita, ut ex Strabone liquet lib. 10. pag. 487. Ὑπὸ δ' Παρίων ἐκτίσθη Θάσος, καὶ Πάριον ἐν τῇ Προποντίδι πόλις. *Parii Thaſum condiderunt, & Parium urbem in Propontide.* Colonia dicitur à Plinio lib. 5. cap. 32. *Parium Colonia, quam Homerus Adraſtiam appellavit.* A Julio Cæſare deducta, *Juliæ* nomen habet, ut docet inſcriptio vetus à Sponio Miſcell. ſect. 5. pag. 173. laudata.

DIVI IVLI FLAMINI
C. ANTONIO M. F.
VOLT. RVFO FLAMIN.
DIVI AVG. COL. CL. APRENS
ET COL. IVL. PHILIPPENSIS
EORVMDEM ET PRINCIPI
ITEM COL. IVL. PARIANAE.

Auguſtæ verò nomen præfert, utpote veteranis iterum Colonis frequentata ab Auguſto; quod ſignum militare eorum ſymbolum à muliere dextrâ geſtatum arguere videtur. Illa urbs ſeu urbis Genius eſt, cornucopiæ præ manibus habens. P. Harduinus pag. 381. nummum hunc ſub PARLAIS COL. epigraphe vulgavit, quam in Lycaonia fruſtra quærit.

Hic nummus mediæ formæ, olim in cimelio Card. de Maſſimi, mihi dono datus ab excell. Hieronymo Corrari Nobili Veneto, eximiæ raritatis & præſtantiæ eſt.

PATRÆ.



M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Hercules stans sinistro brachio clavæ innixo, ut Farnesius.

De Colonia Patrensi sæpius dictum est. Patrenses quidem M. Aurelio simul & Vero collegæ blandientes, plurimos utrique nummos percusserunt. Hercules in nummo signatus, sui cultum apud Patrenses celebratissimum indicat. Clavam gerit, quâ pro armis utebatur; spoliis leonis ornatur, quippe leo ab eo occisus, primum ac præstantissimum fuit ejus factum, unde Ausonius Idyll. 19.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.

Hic nummus secundi & minimi moduli nec obvius nec rarus est.



IMP. CAE. M. AVR. ANTONINVS. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Diana venatrix, dextrâ facem, sinistrâ hastam, ad pedes canis venaticus.

Diana hæc, Laphria est, quam Patrenses summo cultu venerabantur, ut in Nerone & Domitiano diximus. Ejus simulacrum Calydone Ætoliæ ab Augusto vastata, Patras translatum est; Pausanias lib. 4. p. 275. inquit: Καλυδωνίοις ἡ Ἀρτεμις (ταύτην γὰρ θεῶν μάλιστα ἔσεβον) ἐπίκλησιν εἶχε Λαφρία. *Calydonii Dianam imprimis colunt, cognomento Laphriam.* Venatricis habitu efficta est, cui hasta & canis tribuuntur, quia venationi præesse dicitur; alii quòd illa canes feros domuerit, de quo Tibullus:

Sola feros Hecates perdomuisse canes.

Tædam dextrâ gerit, cùm eadem sit ac Luna, unde DIANA LVCIFERA in nummis cum face pariter ardente inscribitur. Hecate, Luna, Diana à plerisque una eademque habita est, unde à Poëtis ipsa *Triformis* & *Tergemina* appellatur, de qua Claudianus.

Tria virginis ora Dianæ.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 234. *vulgatus, nec rarus nec obvius est.*



COL. A. A. PATRE. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Figura muliebris in curru à duobus cervis tracto; sinistrâ habenas.

Plurimi hanc figuram bijuges cervos agentem, esse Dianam existimant, inter quos Eques Patinus de re nummaria bene meritus; sed illa nec Luna crescente, nec pharetrâ ornata est, imò nulla Dianæ attributa præfert. Virgo igitur est, quæ in anniversario sacro, quod Dianæ Laphriæ patrio ritu Patris celebrabatur, sacerdotio fungens, in bijugo cervorum curru vehebatur, cujus rei testis luculentus est Pausanias in Achaicis p. 433. Πρῶτα μὲν δὴ πομπὴν μεγαλοπρεπεστάτην τῇ Ἀρτέμιδι πομπεύουσι, καὶ ἱερωμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. *Pompam Deæ magnificentissimo apparatu transmittunt; in ea virgo quæ sacerdotio fungitur, postremo omnium cervorum bijugo curru invehitur.* De celebri illo Dianæ sacrificio, vide quæ apud hunc auctorem narrantur. Utinam extarent magno Antiquariorum bono ejus Asiatica, Syriaca, & quæ de Phœnice scripsit, à Stephano Byzantino memorata.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 234. *vulgatus, inter rarissimos numerandus.*



IMP. M. ANTONINVS. AVG. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. A. A. PAT. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Minerva galeata stans in templo distylo, dextrâ extensâ, sinistra hastam, pro pedibus hinc noctua, inde clypeus.

Minerva Jovis filia, ex ejus cerebro sine matre procreata dicitur, quam Patris templum habuisse indicat nummus, ut Pausanias in Achaicis confirmat pag. 436. τῦ περιβόλυ δέ ἐστιν ἐντὸς τῆς Λαφρίας, καὶ Ἀθηνᾶς ναὸς ἐπίκλησιν Παναχαΐδος· ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ. *Intra Laphriæ ambitum, Minervæ etiam ædes est, cognomento Panachædis, cujus signum ex auro & ebore.* Panachæis vocata est, quia ejus templum commune omnibus Achæis fuit. Hastam Minerva gerit, ut refert idem Pausanias in Attic. Η δὲ Ἀθηνᾶ δόρυ, *Minerva hastam tenet.* Noctua ei tribuitur, quâ illa maximè delectabatur, quæque in ejus tutela erat, ut tradit Fulgentius Mythol. lib. 2. *In hujus etiam tutela noctuam volunt, quòd Sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat.*

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 234. sub COL. BER. *nomine vulgatus, inter raros recensendus.*



IMP. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Roma galeata insidens clypeo, dextrâ victoriolam, coronatur ab Imperatore paludato stante, lævâ hastam gerente.

Patrenses M. Aurelio gratulantes, in ipsius victoriæ monimentum hunc nummum signarunt: sed quo modo Imperator ad Reip. gloriam sua egregia belli facinora revocabat; ille enim Romam spoliis insidentem, tanquam hostium victricem coronat; Marcus autem Remp. ita gerebat, ut publica res ab ipso geri, non privata perspiceretur, quod insinuasse Commodo filio videtur in bello Marcomannico apud Capitolinum in ipsius vita. *Ab eo primùm petiit, ut belli reliquias non contemneret, ne videretur Remp. prodere.* Ideo provincias Romanas ingenti moderatione ac benignitate tractavit, & ne ærario in bellis à se susceptis exhausto ipsis aliquid ad reliquias Marcomannici belli conficiendas extra ordinem imperaret, in foro Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit, itaque in amore omnium Remp. administravit.

Hic nummus mediocris moduli inter rariores collocandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Caput muliebre turritum.

Muliebre caput turritum in nummis tum Cybeles, cùm urbium symbolum notat: Cybele enim ipsa creditur Terra, ideò corona turrita ipsi tribuitur, ad indicandas superpositas terræ esse civitates, quas insignitas turribus esse videmus: urbes autem omnes coronâ turritâ non ornantur, sed tantùm insigniores, ac potissimum Metropoles: sed Patrensis Colonia ab Augusto deducta, & ex oppidis vicinis ejus jussu aucta, Achaiæ Metropolis effecta est, solisque Patrensibus ut sua libertate uterentur concessit Augustus, Pausania auctore in Achaicis pag. 432. Καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν εἶναι. *Et solis certè Patrensibus ex Achæis omnibus, ut sua libertate uterentur concessit.* Alia in eam civitatem beneficia contulit.

Hic nummus secundæ magnitudinis in rariorum numero numerandus.



IMP. CAE. M. AVREL. ANTONINVS. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Lupa puerulis ubera præbet.

Plurimæ

Plurimæ Romanorum Coloniæ ad originem indicandam in nummis lupam cum Romulo & Remo cælavere. Ejus lupæ his gemellis ad Tyberis ripam mammas præbentis fabulam nemo nescit, de qua Ovid. Faſtor. lib. 2.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino.

Roma à Romulo, qui priùs Romus vocabatur, appellata eſt, teſte Servio : ut autem pro Romo Romulus diceretur, blandimenti gratiâ factum eſt ; ſed urbs Romula haud nominata eſt, ne nominis diminutio urbis majeſtati aliquid detraheret : liçèt autem non conveniat inter ſcriptores de Romæ nomine, à quo urbs, & qua de cauſa illud invenerit, receptiſſima tamen hæc eſt opinio.

Hic nummus minimi moduli obvius eſt.



M. AVR. ANTONIN. AVG. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Signa hæc Legionum militaria ad Legionem XXII. primigeniam ſpectant, cujus veteranos milites Patras ab Auguſto Colonos miſſos fuiſſe numiſmatum fide novimus. Duumviri autem, ſub quorum magiſtratu cuſa fuit moneta, ut originem ſe ex iis habere denotent, illa ſignarunt, aut ut antiquitatis ſuæ memoriam renovarent. Urbes autem ante Cæſariana tempora id genus inſignium in nummis, unde origines ſuas indicarent, exhibentes videre eſt apud Ill. Spanhemium diſſ. 9. p. 883. *Pegaſus* in nummis Syracuſanorum, Corinthum ; *Palma* Carthaginenſium, Tyrum ; *Minotaurus* Tauromenitarum, Cretam ; *Noctua* Megaræ, Athenas ; *Quadrangularis area* Dyrrachenſium, Corcyram ; Diana Maſſilienſium, Phocæam indicant.

Hic nummus minimæ formæ inter raros computatur.

PHILIPPI.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONIN. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. AVG. IVL. PHILIPP. *Colonia Julia Auguſta Philippi*, vel *Philippenſis.* Auguſti ſtatua in baſi, ab altera muliebri coronata.

Hic typus in Philippenſis Coloniæ nummis frequens, imò ferè in omnibus, ſi Commodi nummum excipias, in quo lupa cum puerulis, nomen *Juliæ*, Coloniam à Julio Cæſare conſtitutam arguit ; *Auguſtæ* verò appellationem ab Auguſto habuit, qui teſte Dione in eam extorres Italiæ conventuum Antonii partes ſequutos, tranſmiſit, ut in Claudio diximus. Auguſti verò ſtatuam à Philippenſibus publicè poſitam ob jus Italicum iis ab illo conceſſum, in Domitiano retulimus. Philippi Macedoniæ urbs duobus quidem civilium bellorum præliis celebris, ut habet Lucanus lib. 1.

Æmoniæ hinc urbem veteres dixere Philippos:
Hic bis Romano maduerunt ſanguine campi eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis obvius & frequens.

SINOPE.



M. AVR.

M. AVR. VERO. CAES. Caput M. Aurelii ſine laurea.

C. I. F. S. ANNO CCIIII. *Colonia Julia Felix Sinope, anno 204.* Figura muliebris ſine brachiis, in terminum deſinens, in imo hinc ramus, inde caduceus.

Ad Sinopen Ponti Aſiatici urbem, de qua in Hadriano diximus, nummus pertinet : illa hunc M. Aurelio adhuc Cæſari ſignare videtur in memoriam ipſius adoptionis ab Antonino Pio Hadriani juſſu factæ, ut narrat Spartianus in Ælii Cæſaris vita. *Poſt hunc denique Hadrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptavit, Pium cognomine appellatum : cui conditionem addidit, ut ipſe ſibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret.* Sinopenſes Hadriani beneficiis fuerunt devincti; ille enim aquæductum ſub Trajano inceptum perfeciſſe videtur, de quo Plinius lib. 10. Epiſt. *Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda ſit in Coloniam Sinopenſem.* Urbs illa autem aquâ plurimùm indigebat, Plinius quippe eo loco valde ſitientem Coloniam eam dicit.

Quid figura muliebris illa telamonum more ſine brachiis repræſentet, dictu foret difficile ſine Taciti auxilio lib. 4. qui in Ptolemæi Soteris ſomnio de arceſſendo ex Sinope Jove ſeu Sinopite Deo, ubi Dianam ſeu Proſerpinam indicat his verbis, *Timotheus quæſitis qui in Pontum meaſſent, cognoſcit in Ponto eſſe Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis; namque & muliebrem effigiem aſſiſtere, quam plerique Proſerpinam vocant.* Proſerpina, eadem quæ Diana. Ptolemæus autem legatos & dona ad Scydrothemidem Sinopenſibus imperantem mittit, præcepitque iis, ut Pythium Apollinem adirent, unde Oraculi ſors non ambigua, ait Tacitus ibid. *Irent, ſimulacrumque ſui patris reveherent, ſororis relinquerent.* Nemo neſcit Apollinis ſororem eſſe Dianam. Itaque legati ſtatuam Jovis abſtulerunt, & Dianæ ſimulacrum apud Sinopenſes manſit, quod illi in hoc nummo cælarunt : ſed Amicus reclamat, quænam iſta Dianæ figura ?

Dianæ tres à Cicerone de Nat. Deor. commemorantur, inter quas notior eſt Jovis & Dianæ filia, quam vario modo populi venerati ſunt, diverſoque modo ejus figuram exhibuerunt, unde diverſa illius nomina, quæ centum & octo recenſet Lilius Giraldus ſyntagm. 12. Sinopites noſtra non multùm à Diana Epheſia & Magneſia, quas norunt Antiquarii, differt : ſed ſi conjicere licet, nomen habet Priapinæ, ſic apud Plutarchum in Lucullo p. 499. appellatæ. Λέγεται γὰρ Ἀρτέμιδος χόλῳ Πριαπίνης ὁ χειμὼν ἐμπεσεῖν τοῖς Ποντικοῖς συλήσασιν αὐτῆς τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ξόανον ἀνασπάσασι. *Fama tenet Dianæ Priapinæ irâ fuiſſe tempeſtatem illam Ponticis immiſſam, quòd fanum ejus ſpoliaſſent, & ſignum loco moviſſent.* Ejus forma ſine brachiis in truncum deſinit, qualem videre eſt in nummis Priapum hortorum Præſidem, de quo Horatius in ſermone de ipſo,


Olim truncus eram ficulnus, & inutile lignum,
Cùm faber incertus, ſcamnum faceret-ne Priapum,
Maluit eſſe Deum.

Ejuſmodi muliebres figuras ex Vitruvio Caryatides appellant à Cary Peloponneſi urbe, in qua Diana Caryatis ſumma veneratione colebatur.

De æra urbis in nummo ſignata nobis ſupereſt dicendum. Sinope epocham geminam in nummis computavit, unam à libertate conceſſa, alteram à Colonia deducta : poſteriorem in hoc M. Aurelii numiſmate & in altero Caracallæ exhibet : antiquiorem verò in Gordiano Pio ſignat. Sinope, Ponto poſt Mithridatis mortem in provinciam redacto, Romanis ſubdita eſt, quam Pharnaces Domitio Calvino Julii Cæſaris in Ægypto tunc morantis Legato, in Armenia devicto diripuit, & Pontum avitum patris regnum occupavit, de quo Hirtius bell. Alex. *Multa oppida expugnavit, bona civium Romanorum Ponticorumque diripuit.* Cæſar Sinopes calamitatum miſertus, Pharnace fugato, & receptâ provinciâ, illi dato *Juliæ* nomine, Coloniam conſtituit anno U. C. 706. cui ſi addideris annos 204. in nummo ſignatos, efficient U. C. 909. quo M. Aurelius ab Antonino Pio adoptatus, Tribunitiam poteſtatem IX. Plautio Silvano & Sentio Augurino Coſſ. agebat, cùm Antoninus Pius XVIII. gereret.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, in muſeo noſtro, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

TROAS.



M. ANTONINVS AVG. P. P. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Figura in cippo, pone dorſum arcus, dextrâ pateram, lævâ arcum.

IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput M. Aurelii laureatum.

COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Eadem figura in cippo, ante quam ara ignita, & pone lauri ramus.

De Colonia Troadenſi diximus in Antonino Pio. Figuram baſi in utroque nummo impoſitam, alii Apollinem, alii Dianam ejus ſororem arbitrantur; ſed cùm de Diana in Troadis hiſtoria apud

 auctores

auctores nulla ſit mentio, Apollinem eſſe arbitramur. Apollo autem Trojam muro cum Neptuno cinxiſſe dicitur; unde Virgilius Georgic. lib. 3.

Et Trojæ Cynthius auctor.

Hyginus fab. 113. tradit Apollinem in obſidione urbis Trojanis opitulatum, & Achillem ſub Alexandri figura occidiſſe. Apud Stephanum: Ἰλιεὺς ὁ Ἀπόλλων ἐν Τροίᾳ. *Ilieus Apollo in Troja.* Callimachus hymn. in Apollinem, arcum & pharetram ei tribuit:

Χρύσεα τῷ πώλλωνι, τότ' ἐνδυτὸν ἥ τε ἐπιπορπὶς,
Ἥ τε λύρη, τό τ' ἄεμμα τὸ Λύκτιον, ἥ τε φαρέτρη.
Aurea ſunt Apollini & indumentum & fibula,
Et lyra, & arcus Lyctius, & pharetra.

Ara ignita ante Apollinis ſimulacrum, ſacrificia ipſi pro M. Aurelio perpetrata indicat. Lauri ramus ſignatus eſt, ut Apollini ſacer, vel ob ejus erga Daphnem in laurum converſam amores, vel ob vaticinia, cùm laurus ad aſpirationem & afflatum, & ut Græci dicunt, enthuſiaſmon conferat, quemadmodum Sophocles in Caſſandra docet.

Uterque nummus ſecundæ formæ, à Patino p. 235. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.



IMP. M. AV. ANTONINVS. Caput M. Aurelii laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Figura ſenilis nuda ſtans, dextra elata, humero lævo utrem hircinum.

Figuram ſenilem cum utre hircino in Troadenſium nummo Panem, exiſtimat Ill. Spanhemius in Julian. Cæſ. obſerv. pag. 361. ſed Pan in nummis fiſtulam gerit, & ſæpius cum hircinis pedibus effingitur: hic verò utrem hircinum gerit, ideo Silenum eſſe ſuſpicamur. Satyrum eſſe exiſtimat Holſtenius Not. in Stephan. pag. 331. Silenus pædagogus & nutricius Bacchi dicitur, teſte Horatio in Poët.


An cuſtos famuluſque Dei Silenus alumni.

Ille utrem hircinum, in quo vinum reponebatur, vel ut vino indulgens geſtat; vel ut Maximus Tyrius Diſſ. 30. cùm φίλοινον vocat, quòd vites coluerit: illas autem Sileno attribuit Neptunus apud Julianum in Cæſar. Ὑπὲρ τῶ ἑαυτῶ τοι φυτῶν ἀμπέλων μᾶλλον, ἢ τῶ ἐμῶν πηγῶν, ἄξιόν ἐστί σοι δεδιέναι. *Tuis igitur te vineis quàm me meis fontibus timere magis convenit.* Silenus manum verſus ſidera erigit, quem inter ipſa relatum tradit Aratus, quod confirmat Virgil. in Bucol.

Sidera qui petiit, nutrit Silenus Iacchum.

Silenum Troade cultum indicat hic M. Aurelii nummus; ſed conſulendus alter egregius Alexandri Severi typus.

Hic nummus minimæ formæ, ab Ill. Spanhemio in Julian. Cæſar. pag. 362. vulgatus.



FAUSTINA.



FAUSTINÆ *Junioris nummi minimæ formæ hactenùs observati, eximiæ sunt raritatis & elegantiæ.*

CÆSAREA Palæstinæ.



FAVSTINA AVGVSTA. Caput Faustinæ M. Aurelii.

COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAREA. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Venus seu Astarte stans, dextrâ caput Serapidis, lævâ hastam, pedibus figura Fluvii emergens.

Ad Cæsaream Palæstinæ urbem pertinet nummus, quam olim Stratonis Turrim, de Cæsaris Augusti nomine Rex Herodes Cæsaream nominavit, & Coloniam Vespasianus deinde constituit. Hunc in Faustinæ honorem percusserunt Cæsarenses, cùm illa in Syriam cum M. Aurelio ob Avidii Cassii rebellionem venisset, in cujus reditu obiit, ut narrat Capitolinus in vita M. Aurelii. *Faustinam uxorem suam in radicibus Montis Tauri in vico Habale exanimatam subito morbo amisit.* De Veneris seu Astartes cultu ex Byblo urbe Cæsaream allato, vide quæ in Hadriano p. 155. diximus. Illa caput Serapidis tenet, ex Bocharto. Cæsarenses Veneris typum in Faustinæ nummo cuderunt, Senatum imitati, qui eam in suis nummis sub Veneris nominibus repræsentarunt.

Hic nummus minimi moduli, eximiæ raritatis, à Patinò pag. 249. *vulgatus, in quo pro capite Victoriam, & pro Fluvii figura captivum perperam cælavit, illum sequutus est P. Harduinus p.* 111. *qui nummorum indices & libros solùm transcripsit, nulla autem ferè rei nummariæ studiosorum Cimelia observavit, nec cum iis sermo vel commercium.*

FAVSTINAE.
AVG.
DIVI. PII.
FILIAE.
COL. SARMIZ.

Apud Grut. pag. 250. 9.





L. VERUS.





UCIUS Verus, Mesopotamiâ post Parthicum bellum quadriennio feliciter confectum recuperatâ, CARRHAS & Singaram ipsius provinciæ urbes Imp. M. Aurelii collegæ consensu constituit Colonias, collocatis in ipsis militibus veteranis, ut illæ Imperii Romani contra Parthos essent propugnacula, quibus *Aureliæ* gentis suæ nomina imposuit.

L. VERI *nummi primæ formæ, raritatis eximiæ sunt; secundi & minimi moduli, frequentes & obvii.*

ÆLIA CAPITOLINA.



IMP. CAES. M. ANTON. IMP. CAES. L. VERVS. Capita adversa M. Aurelii & L. Veri.
COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Victoria gradiens, dextrâ coronam, lævâ palmam.

Ælia Capitolina, Colonia ab Hadriano deducta, Nepotibus gratulatur ob victorias à L. Vero de Armenis, Medis & Parthis relatas, quod confirmat Capitolinus in vita Veri. *Partumque est ipsi nomen Armenici, Parthici, Medici, quod etiam Marco Romæ agenti delatum est.* Ideò Marcus & Lucius ambo in anteriori nummi parte exhibentur. Victoria graditur, tanquam ad alias pergens, & provincias à Parthis occupatas mox receptura, coronam victoris præmium gestat, palmam verò victoriæ symbolum. In certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ: quoniam ingenii ejusmodi lignum est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores adscribendus.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



L. AVREL. CAESAR. Caput Lucii Veri sine laurea.
COLONIAE ANTIOCHEAE. Aquila alis expansis.

Antiochenses Pisidiæ beneficiorum ab Antonino Pio acceptorum memores, teste Capitolino, nummos ipsi & filiis ejus adoptivis percusserunt. De illis in Antonino & M. Aurelio diximus, in hoc L. Verus *Cæsaris* nomen ut M. Aurelius præfert, is enim Ælii Cæsaris filius in Aureliam gentem transiit à M. Aurelio adoptatus, cui Cæsaris & Augusti nomen tantùm mortuo Antonino Pio dedit. De L. Vero inquit Capitolinus in ejus vita, *nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adjunctum est, quàm quòd Augusti filius appellatus est.* Idque idem Historicus confirmat in M. Aurelio. *Post excessum D. Pii à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designavit, quem L. Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæsaremq; atque Augustum dixit.* Sic

Cæsaris

Cæſaris nomen tanquam ſecundi faſtigii titulum non habuit, ideò nulli ipſius nummi cum Cæſaris nomine Senatuſconſulto percuſſi, nec aurei nec argentei reperiuntur. Aquilam Imperii Romani ſymbolum in M. Aurelio diximus, ideò Antiochenſes illam etiam in Vero ſignant, ut utrumque Imperii participem denotent.

Hic nummulus ob Cæſaris nomen inter raros reponendus.

CÆSAREA *Palæſtinæ.*



IMP. CAES. L. AV. VERVS. AVG. Caput L. Veri ſine laurea.
COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAREA. Caput Serapidis modio inſigne.

Cæſarenſes Palæſtinæ nummos Vero gratulantes, quòd in Syria ad bellum Parthicum veniſſet, cudiſſe videntur. De illo Dio lib. 71. pag. 802. Ὁ μὲν Λούκιος ἐλθὼν εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ πλείστους στρατιώτας συλλέξας, καὶ τοὺς ἀρίστους τῶν ἡγεμόνων ὑφ' ἑαυτὸν ἔχων, αὐτὸς μὲν ἐν τῇ πόλει ἐκάθητο διατάττων ἕκαστα, καὶ τὰς τοῦ πολέμου χορηγίας ἀθροίζων. *Lucius, ut venit Antiochiam, comparato maximo militum numero, & optimis ducibus delectis, ipſe in oppido remanſit, ut inde conſtitueret omnia, & commeatum militibus compararet.* Serapis modio ornatus in nummo percuſſus eſt, ut Deus veneratione ſingulari apud Cæſarenſes cultus, quem ex Ægypto receptum in Domitiano diximus, cùm Veſpaſianus Cæſaream Coloniam fecit, forſan ob ægros qui ad eum Serapidis monitu venerant, ſanatos, de quo Tacitus Hiſtor. 4. *Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit, precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat.* Veſpaſianus ut ſibi Serapidem de Imperii firmitate propitium redderet, conſuluiſſe narrat Suetonius in ejus vita cap. 7. *Hic cùm de firmitate Imperii capturus auſpicium, ædem Serapidis, ſubmotis omnibus, ſolus intraſſet: ac propitiato multùm Deo, tandem ſe convertiſſet.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis nec rarus nec obvius eſt.

CARRHÆ.



ΑΥΤ. Κ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC. Caput Lucii Veri laureatum.
ΚΟΑ. ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Κολωνία Αὐρήλια Καῤῥηνῶν. *Colonia Aurelia Carrhenorum.* Aſtrum in creſcente Luna.

Carrhas ſub Auguſtis M. Aurelio & L. Vero fratribus Coloniam ob Aureliæ nomen conſtitutam jam antè diximus, ambo enim adoptati ſunt in Aureliam Antonini Pii gentem, ille ex Annia familia, hic ex Ceionia ſeu ex Ælia gente. Carrheni in grati animi monumentum utrique Imperatori nummos percuſſerunt. Creſcens Luna ad Dei Luni cultum Carrhis obſervatum ſpectat, de quo Spartianus in Caracalla. *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, ſciendum doctiſſimis quibuſque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque à Carrhenis præcipuè haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine ac ſexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſerviat: at verò qui marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur inſidias.* Aſtrum verò in creſcente Luna, Sol eſſe videtur, à quo Luna lumen accipit, ideò à Tragicis, inquit Theon in comment. ad Aratum, Solis filia, Luna vocata eſt.

Hic nummus minimæ formæ inter rariores numerandus.

COELLU.



IMP. L. AVREL. VERVS AVG. Caput L. Veri laureatum.
AEL. MVNICIP. COEL. *Ælium Municipium Coellutanum.* Lupa cum puerulis.

Coellu Numidiæ littoralem urbem Municipii dignitatem ob nomen *Ælium* ab Hadriano ipsi impositum obtinuisse, in ejus nummis diximus. Coellutani L. Vero gratulantes, quòd Ælio Cæsare ejus patre ad Imperium à fundatore suo designato, & in ipsamet adoptione mortuo ipse tandem per alteram adoptionem ad Imperii societatem venerit, nummos suos ei dedicarunt. Lupa cum puerulis, Romanæ gentis symbolum est, quam Municipes signant, ut muneris honorarii cum P. Romano participes. Coloniæ autem Lupam tanquam proprium insigne sibi vendicant: Municipes enim & legibus suis utebantur; Coloni verò ex urbe Roma propagati, jura institutaque omnia P. Romani non sui arbitrii habebant.

Hic nummus minimi moduli inter rariores recensendus.

CORINTHUS.



IMP. CAES. L. AVR. VERVS. AVG. Caput Veri sine laurea.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Jupiter seminudus stans, dextrâ pateram, lævâ innixa columnæ, pro pedibus aquila.

Frequentes Corinthiorum nummi cum effigie L. Veri occurrunt, quos illi in ejus honorem, quòd cùm ad bellum Parthicum proficisceretur, in eorum urbe moratus sit, memores percusserunt, de quo Capitolinus in ejus vita. *Nam quum interfecto legato, cæsis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus, Oriens vastaretur, ille in Apulia venabatur, & apud Corinthum, & inter symphonias & cantica navigabat.* Jupiter in adversa nummi parte Capitolinus est, Græcè Coryphæus vocatus, id est Supremus, à Romanis autem Optimus Maximus; cujus cultum Coloni ex Urbe Corinthum transmiserunt: ejus templum supra theatrum fuisse constructum narrat Pausanias lib. 2. de quo in Hadriano diximus.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores numerandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mars barbari caput pede premit, dextrâ hastam, humeris trophæum.

In memoriam belli Parthici à L. Vero confecti percussus videtur hic nummus, Mars enim pede barbarum calcat, & trophæum gerit, illud autem in excelso provinciarum acquisitarum loco ad rei memoriam erigebatur. Corinthii Romanos imitati, qui suis in nummis similem Martis typum Vero dedicarant, percusserunt; Romani quidem existimabant in præliis Martem sibi adesse, eum quippe sui generis auctorem faciebant teste Livio Dec. 1. lib. 1. *Ea belli gloria est Populo Romano, ut cùm suum, conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat.* Ideò frequens in eorum nummis ad bella & victorias spectantibus repræsentatur.

Hic nummus medii moduli pro raro notandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Figura tunicata capite radiato gradiens, dextrâ flagrum.

Figura gradiens radiata, Sol eſt dextrâ gerens flagrum. De Solis cultu apud Corinthios in M. Aurelio egimus. In ejus tutela Acrocorinthus dicitur apud Pauſaniam lib. 2. Solis diverſa videntur eſſe ſimulacra, Occidentis meminit l. 10. p. 643. Δύσις τε Ἡλίου, καὶ Διόνυσός τε, καὶ αἱ γυναῖκες αἱ Θυίαδες, τὰ μὲν δὴ πρόσωπα αὐτῶν Ἀθηναῖος Πραξίας μαθητὴς Καλάμιδός ἐστιν ἐργασάμενος. *Sol Occidens; Liber Pater, fœminæ quæ Thyiades dicuntur: horum omnium ſignorum ora elaboravit Athenienſis Praxias Calamidis diſcipulus.* Orientis imago capite radiato cum flagro in nummis frequens occurrit, qualem apud Heliopolitas Syriæ memorat Macrobius 1. Saturn. *Simulacrum enim aureum ſpecie imberbi inſtat dextrâ elevatâ cum flagro in aurigæ modum.* Forſan Sol Oriens in hoc Veri nummo cum flagro alludere videtur Imperatori ad Parthos ex Orientis provinciis depellendos properanti, nulli enim typi in nummis ſine cauſa, quæ nobis arcanum, ſignabantur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores reponendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Figura ignuda capite radiato in curru quatuor agit equos, dextrâ flagrum.

De Solis ſtatua in curru, Corinthi Lechæum verſus ſupra veſtibulum locata, vide in M. Aurelio pag. 261. cui Imperatori ſimilem nummum cuderunt Corinthii: verùm ut Solem gradientem cum flagro, ad L. Verum Parthos fugantem alludere ſuſpicati ſimus, ita Sol quadrigas agens, in utroque Imperatore cuſus referri videtur ad eorum de Oriente triumphum, quaſi per eos Oriens triumpharet. De utriuſque Auguſti triumpho loquitur Capitolinus in vita Marci. *Petiitque Lucius ut ſecum Marcus triumpharet.* Et paulò pôſt: *In triumpho autem liberos Marci utriuſque ſexus ſecum vexerunt.* Sol caput gerit radiatum, ut diximus, unde Apollo dictus eſt, ut Plato ſcribit, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, hoc eſt, *à jaculando radios.*

Hic nummus ſecundi & minimi moduli obvius.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mercurius ſedens, dextrâ extenſa, ſiniſtrâ caduceum, pro pedibus aries.

Idem Mercurii typus jam in M. Aurelio prodiit, de cujus ſtatua ſedente in via quà ad Lechæum itur jam ſatis diximus, ut de ejus templo in foro exſtructo, cujus iconem in Antonino Pio p. 172. protulimus. Juxta Mercurium arietem collocatum tradit Pauſanias, quod ille præter reliquos Deos, curare Paſtores, & opibus augere videatur, unde dictus eſt Nomius, Paſtorum Deus; Heſiodus illum in Theogonia cum Hecate ſtabulis præfuiſſe narrat.

Ἐσθλὴ δ' ἐν σταθμοῖσι σὺν Ἑρμῇ ληΐδ' ἀέξειν,
Βουκολίας τ' ἀγέλας τε, καὶ αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν,
Ποίμνας τ' εἰροπόκων γ' ὀΐων, θυμῷ γε θέλουσα.

Hoc eſt, ut Mombricius Mediolanenſis reddidit apud Lilium Giraldum ſyntag. 9. pag. 203.

Quid quod Mercurio comes it; ſtabuliſque capellas,
Armentumque ferax, & oves augere putantur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, ap. Patinum pag. 256. vulgatus, nec rarus nec obvius eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Æſculapius & Hygæa ſtantes, ille baculo, cui ſerpens involutus, innixus eſt, hæc ſerpentem paſcit.

Æſculapius Medicinæ Inventor, ſeu Medicæ artis ampliator, eamque ob rem in Deorum numerum receptus fertur, cui comes Salus, ſeu Hygeia filia adſtat. Utriuſque ſimulacra in templo Æſculapii apud Corinthios fuiſſe tradit Pauſanias lib. 2. p. 93. Πρὸς τούτῳ τῷ γυμνασίῳ ναοὶ θεῶν εἰσὶν, ὁ μὲν Διὸς, ὁ δὲ Ἀσκληπιοῦ· τὰ δὲ ἀγάλματα, Ἀσκληπιὸς μὲν καὶ Ὑγεία λευκοῦ λίθου. *Conjuncta ſunt cum ipſo ferè Gymnaſio, Deorum delubra duo, Jovis alterum, alterum Æſculapii: Æſculapius ipſe & Hygæa è candido lapide ſunt.* Corinthii pro Veri ſalute ſacrificia Æſculapio forſan fecerunt, cùm ille ad Parthicum bellum contendens in Apulia ægrotaſſet, cujus morbi meminit Capitolinus in vita Veri. *Morbo implicitus, apud Canuſium ægrotabat: quò ad eum inviſendum frater contendit.* In reſtitutæ ſalutis memoriam Corinthii Æſculapium & Hygæam in nummo cælaſſe videntur.

Hic nummus mediæ formæ pro raro numerandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Melicerta Delphino inequitans, in aliis ipſi inſtans Delphino, in aliis eidem ſubſtratus.

Vario modo effingitur Melicerta Athamantis filius à Delphino Corinthum delatus, modò ſtans ſuper ipſum, modò ipſi inſidens quaſi vivus, modò ſtratus ſuper ipſum ut mortuus & ab eo delatus, de quo Pauſanias lib. 2. Καὶ Μελικέρτου βωμὸς ἦν. Ἐς τοῦτον τὸν τόπον ἐκκομισθῆναι τὸν παῖδα ὑπὸ δελφῖνος λέγουσι. *Fuit hoc in ipſo loco & Melicertæ ara: eò enim à Delphine evectum puerum memorant.* Deus ut erat ille patrius, nec ex aliis gentibus adſcitus, nil mirum ſi tam frequenter & variis modis in nummis à Corinthiis repræſentetur.

Hi nummi ſecundi moduli frequentes & triti; minimi verò, rari habentur.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Melicerta Delphino ſubſtratus juxta arborem in templo tetraſtylo, hinc & inde Delphini figura.

De hoc nummo in M. Aurelio diximus: exhibet ille figuram templi in honorem Melicertæ ſub Palæmonis nomine in Iſthmo conſtructi, de quo loquitur Pauſanias lib. 2. Arbor, videtur pinus illa ſub qua inventus eſt Melicerta, in cujus memoriam inſtituti à Siſypho Ephyræ ſeu Corinthi vetuſtiſſimo Rege ludi Iſthmici, quorum victores pinu ad rei monumentum coronabantur. Vide Ill. Spanhemium Diſſ. 3. pag. 196. qui blandos quorundam puerorum, & Delphinum eos geſtantium amores recenſet.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino pag. 256. vulgatus, pro raro notandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Bellerophon in Pegaso decertans contra Chimæram.

Ita frequens in Corinthiorum nummis depictus occurrit Bellerophon contra Chimæram decertans, ut de illo vix nova referre possimus. Pausanias eum exulem ante nuptias Corinthum venisse narrat lib. 2. pag. 145. Βελλεροφόντην δὲ ἐλθεῖν ἐς Τροιζῆνα γυναῖκα αἰτήσοντα Αἴθραν παρὰ Πιτθέως πρὶν δὲ γῆμαι, συμβῆναί οἱ φυγεῖν ἐκ Κορίνθου. *Addunt Trœzenem venisse Bellerophontem, cùm uxorem sibi à Pittheo Æthran poposcisset: verùm ita accidisse, ut ante nuptias Corintho in exilium mitteretur.* Sed quid egregium Bellerophon Corinthi fecerit, non narrat Pausanias; illum verò Corinthiorum regnum nunquam obtinuisse, quin potiùs ipsum penes Prætum Argivorum Regem semper fuisse, eodem libro contendit. Apollodorus Bellerophontem Glauci filium, ob cædem imprudenter factam Corintho pulsum, ad Prætum Argivorum Regem confugisse tradit: res adeò antiquas detegere non facilè est. Erizzus pag. 345. ad Perseum pro Bellerophonte nummum revocat, & *Colonia Latina Julia*, pro *Col. Laus Julia* interpretatur.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, ab Erizzo vulgatus non ita obvius est, quàm secundæ.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Venus seminuda stans; ambabus clypeum tenet; pro pedibus Cupido.

Corinthii Venerem summâ religione colebant, cui plurima templa condiderunt teste Pausania lib. 2. pag. 88. Unum memorat in Cenchreis. Ἐν δὲ Κεγχρείαις Ἀφροδίτης τέ ἐστι ναὸς καὶ ἄγαλμα λίθου. *In ipsis Cenchreis Veneris delubrum & marmoreum signum.* Alterum in suburbio sub nomine Veneris Melanidis, id est Nigellæ. Ἐνταῦθα Βελλεροφόντου τέ ἐστι τέμενος, καὶ Ἀφροδίτης ναὸς Μελανίδος. *In eo Bellerophontis fanum est, & Veneris Melanidis delubrum.* Tertium verò in Acrocorintho p. 93. Ἀνελθοῦσι δὲ ἐς τὸν Ἀκροκόρινθον, ναός ἐστιν Ἀφροδίτης· ἀγάλματα δὲ, αὐτή τε ὡπλισμένη. *Jam in ipso ad Acrocorinthum aditu delubrum est Veneris: signa in eo, ipsa Dea armata.* Hæc Venus victrix esse videtur, ut ipsa quæ clypeum porrigit Cupidini, Corinthiis Lucillæ alteri Veneri alludentibus, in cujus gratiam typum hunc in L. Veri mariti honorem signarunt, uti similem in Lucillæ uxoris nummis, de quibus suo loco agemus; percusserunt.

Hic nummus secundæ formæ inter rariores numerandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Imperator eques decurrens barbarum jam humi prostratum hastâ impetit.

L. Verus eques barbarum prosternens à Corinthiis depingitur ob bellum Parthicum ab eo susceptum: talis in nummis Senatusconsulto percussis exhibetur. Solebant autem Romani Imperatores diverso modo equites repræsentare, pro variis eorum gestis: cùm aliquis solito equi gradu incedit, *profectio* est Augusti; accelerato passu, ejus *expeditio*; captivum prosternens, *virtus* Imperatoris; denique lento gradu, *adventus* ejus in urbem. Licèt autem Verus luxuriæ se dederit, & maximam belli partem per legatos confecerit; Capitolinus tamen narrat in ejus vita; illum ad Euphratem impulsu comitum suorum secundò profectum esse, unde Armeniaci & Parthici nomina adeptus est. De illo narrat Rufus in Breviario: *Ex his Antoninus junior ad expeditionem*

Parthicam profectus est ; multaque & ingentia adversus Persas feliciter gessit , &c. Erat autem ex Dione robustus & ad rem militarem aptior.

Hic nummus mediocris moduli pro raro notandus.



C. L. I. COR. *Coloniá Laus Julia Corinthus.* Verus in curru triumphali quadrigas agens.

Nummus hic, L. Veri de Parthis triumphi monumentum est, de quo Capitolinus in ejus vita. *Confecto sanè bello, regna Regibus, provincias verò comitibus suis regendas dedit. Romam inde ad triumphum invitus, quod Syriam quasi regnum suum relinqueret, rediit, & pariter cum fratre triumphavit.* Verus autem eodem auctore in Marci vita, petierat à Senatu, ut secum Marcus triumpharet. Domitis multa cæde hostibus habebatur triumphus à Senatu decretus ; quantùm fuerit apud Romanos celebratus, legas apud Livium, Tacitum, & alios historiæ Romanæ auctores, quorum scripta collegit Wolfangus Lazius comment. lib. 9. cap. 3. ubi de illo fusè differuit.

Hic nummus mediocris formæ inter elegantiores reponendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Chimæra.

Chimæra in memoriam Bellerophontis Corinthiorum herois ab iis in nummis signatur : quid verò per eam antiqui intellexerint, non facilè est instituere. Strabo lib. 14. pag. 665. Lyciæ montem indicare videtur. Περὶ ταῦτα μυθεύεται τὰ ὄρη, τὰ περὶ τὴν Χιμαίρας. *Huic monti Fabula Chimæræ affingitur.* Cui adstipulari videtur Servius ad lib. 6. Æneid. *Revera Chimæra mons est Lyciæ, cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod sunt leones : media autem pars hujus pascua habet, quæ capris abundant : ima verò montis, serpentibus plena sunt. Hunc montem Bellerophontes habitabilem fecit : unde Chimæram dicitur occidisse, quæ ore leo, postremis partibus draco, media capra fuerit.* Apollodorus Chimæram ab Amisodaro enutritam fuisse scribit, quod etiam cecinit Homerus lib. 16. Iliad. unde nonnulli navem piraticam fuisse existimarunt. Apud Plutarchum de virtutib. mulier. Bellerophontes dicitur Chimarum quendam Amisodari ducem, qui Lycios navibus piraticis infestabat, prostravisse. Chimari navis, inquit, Εἶχε δὲ πλοίῳ λέοντα μὲν ἔχοντι, πρώραθεν ἐπίσημον, ἐκ δὲ πρύμνης δράκοντα. *Ejus navis in prora leonis : in puppi, draconis habebat insigne.* Paulò pòst addit : sunt qui affirment, Chimæram illam Poëtarum fabulis nobilitatam, montem omninò fuisse Soli oppositum.

Hic nummus secundæ formæ, à Patino vulgatus pag. 256. obvius est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Pegasus.

Bellerophontis contra Chimæram victoriæ insigne est Pegasus à Corinthiis ad antiquitatem urbis indicandam percussus : ille juxta fabulam, equus fuit alatus, à Bellerophonte captus, quo usus est in expeditione contra Chimæram. Sed Palæphatus de fab. narr. navem fuisse existimat. *Nomen autem Pegasus erat, ut nunc quoque suum cuilibet navigio nomen est inditum : nomen autem Pegasi navigio magis, quàm equo aptum fuisse videtur.* Bellerophontes igitur navi, cujus *Parasemon* erat equus alatus, vectus, prædatoriam navem cognomine Chimæram, cui in prora leo, & in puppi draco, expugnavit : alteram navem nomine Chimæram Gyas Æneæ dux habebat in ludicro apud Hyginum

Hyginum fab. 273. Ex hoc igitur Bellerophontis facto; fabula de Pegaso & Chimæra conficta est.

Hic nummus secundi & minimi moduli obvius est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Leo in pedes posteriores recumbens.

Quid Leo in Corinthiorum nummis repræsentet, pronunciare maximè dubitavimus; sed cùm illos quidquid in urbe insignius habuerint, in iis exhibere noverimus, nummum ad Laïdis illius formosæ mulieris memoriam spectare augurati sumus, de qua Pausanias lib. 2. p. 88. Θαυμασθῆναί τε ἔτως παρὰ Κορινθίοις, ὡς ἀμφισβητεῖν σφᾶς καὶ νῦν ἔτι Λαΐδος. *Tantæ verò fuit Corinthiis admirationi, ut nunc etiam de Laïde certent.* Ille autem Historicus sepulcri Laïdis antè meminit; cui Leænam insculptam narrat. Καὶ τάφος Λαΐδος, ᾧ δὴ λέαινα ἐπίθημά ἐστι. *Laïdis etiam sepulcrum, cui Leæna insculpta est.* Fulcimenta duo illa parva, quorum priori Leænæ pedes anteriores, posteriori verò posteriores insistunt, substratum Laïdis, simulacrum forsan denotant. Corinthii memoriam formosissimæ mulieris renovasse videntur in gratiam Imperatoris amoribus indulgentissimi, de quo tradit Capitolinus. *Fuit voluptuarius, & nimis lætus, & omnibus deliciis, ludis, jocis decenter aptissimus.*

Hic nummus mediocris formæ inter rarissimos reponendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Templum tetrastylum à latere in rupibus.

De fano Veneris in Acrocorintho sæpiùs ex Pausania dictum est, quod confirmat Strabo lib. 8. pag. 279. Ἡ μὲν ἔν κορυφὴ ναΐδιον ἔχει Ἀφροδίτης. *In summo vertice fanum habet Veneris.* De cujus divitiis & celebritate paulò antè loquitur idem auctor loco citato. Τό, τε τῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν ἔτω πλέσιον ὑπῆρξεν, ὥστε πλείες ἢ χιλίας ἱεροδέλες ἐκέκτητο ἑταίρας, ἃς ἀνετίθεσαν τῇ θεῷ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες. Καὶ διὰ ταῦτα ἔν πολυωχλεῖτο ἡ πόλις, ἐπλετίζετο. *Et fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples; ut plures quàm* CIↃ. *habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt. Ob hæc igitur & magna hominum multitudo ea in urbe & divitiæ fuerunt.* Corinthii hoc Veneris templum in nummis Veri signasse videntur, quòd ille Venerem maximè coleret: libidini enim illum plurimum deditum fuisse tradit Capitolinus in ejus vita. *Ubi verò in Syriam profectus est, non solùm licentiâ vitæ liberioris, sed etiam adulteriis & juventutis amoribus infamatus est, siquidem tantæ luxuriæ fuisse dicitur.*

Hic nummus secundi moduli, nec rarus nec obvius est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Ara supra quam arbor.

Hæc est arbor quam in M. Aurelio P. Harduinus ad Penthei factum, Patinus verò ad Melicertæ historiam spectare pronunciaverunt. Pausanias in Corinth. utrique favere videtur. Arbor ex ara emicans, pro P. Harduino certat; nam auctor narrat, oraculum Corinthios monuisse, *ut eam arborem quærerent, & inventæ divinos honores haberent.* Ara igitur exstructa est, cui arboris simulacrum superimpositum videtur. Constat etiam ex eodem Historico, Melicertæ corpus juxta pinum arborem inventum, & ibi aram erectam. *Operis index est pinus, quæ in ipso adhuc littore se progredientibus ostendit, fuit hoc ipso in loco & Melicertæ ara.* Ob pinum illam ramis ipsius Lu-

dorum Isthmicorum in Melicertæ memoriam institutorum coronabantur victores, & frequens in nummis Melicerta Delphino incumbens juxta arborem depingitur; hæc verò aræ imposita, pinus est.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, in Vero rarior, quàm in M. Aurelio habendus.



IMP. CAES. L. AVR. VERVS. AVG. Caput Veri laureatum.
ISTHMIA. In corona ex pinu contexta.

Comes Mediobarbus pag. 233. rectè monet Eq. Patinum non in hoc nummo lauream à L. Vero Isthmicis ludis relatam esse, sed pineam coronam Isthmicorum ludorum præmium. At quia coronam alteram ex apio in Neronis nummis pro ludis Isthmicis observavimus, unde illa coronarum mutatio obvenerit, nobis inquirendum videtur. Cùm primùm Isthmici ludi in Palæmonis honorem instituti sunt, eorum victores pinu coronabantur ob corpus Melicertæ prope pinum arborem repertum, deinde ad Nemeorum imitationem, Herculis gratiâ apium obrepsit, sed aridum, nam viridi insigniebantur Nemei: denuò pinus redintegrata est, ut apud Plutarchum Sympos. lib. 5. p. 676. subjicit Lucianus. Ως ἡ μὲν πίτυς ἦν στέμμα τῷ ἀγώνων πάτριον, ἐκ δὲ Νεμέας κατὰ ζῆλον ὁ τοῦ σελίνου ξένος ὢν ἐπεισῆλθε δι' Ηρακλέα, καὶ κρατήσας ἠμαύρωσεν ἐκεῖνον, ὡς ἱερὸν ἐπιτήδειον, εἶτα μέντοι χρόνῳ πάλιν ἀνακτησαμένη τὸ πάτριον γέρας ἡ πίτυς ἀνθεῖ τῇ τιμῇ. *Ut pinea fuit apud majores nostros Isthmiorum corona: apium autem è Nemea imitatione quadam, alienum cùm esset, huc obrepsit Herculis gratiâ, pinusque suo loco expulsa est, habito apio pro re his sacris idonea: aliquantò post tempore pinus recuperavit pristinam dignitatem, & nunc est in summo flore atque honore.* Sed cum Neronis tempore apio ex nummis coronarentur victores, & Plutarchi ætate pinus esset recepta, id sub Domitiano qui Græciæ restituisse videtur libertatem, factum conjicere nobis liceat. Vide quæ de Corintho in hoc Imperatore diximus.

Hic nummus secundi moduli pro raro habendus.

PATRÆ.



IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. Caput L. Veri laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Hercules sinistrâ axillâ clavæ cippo impositæ innixâ.

Jam prodiit hic Herculis typus à Patrensibus in M. Aurelii honorem percussus, qui ejus cultum Patris denotat, licèt nulla sit in urbis descriptione de ipsius statuæ vel templi apud Pausaniam mentio, ille autem Historicus Herculem Minervæ ope in periculis servatum in Arcadia, ab ea in Deorum consortium introductum fuisse, in Lacon. tradit, cui à Marathoniis divinos honores tributos in Atticis scribit p. 61. Μαραθώνιοι, φάμενοι πρώτοις Ελλήνων σφίσιν Ηρακλέα θεὸν νομισθῆναι. *Marathonii Herculi sacra se primos instituisse dictitant.* Varro Hercules quatuor & quadraginta numero colligit.

Hic nummus minimi moduli inter raros adscribendus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Diana venatricis habitu gradiens, crescentem Lunam in capite gerit, dextrâ facem, lævâ hastam, pro pedibus canis venaticus.

De

De Diana Laphria apud Patrenses culta passim diximus; sed ut Dianæ imagines vario modo effingebantur, hæc venatricis habitu depicta erat, ob venationis studium, quæ cùm Delo in Agram terræ Atticæ regiunculam prope Nessum amnem venisset, ibi primam venationem exercuit, ab eo loco dicta est Ἀγροτέρα Ἄρτεμις, quòd ibi templum ipsi exstructum fuit cum ejus statua arcum tenente. Alii Agrestem interpretantur, quæ apud Pollucem Venatrix Diana dicitur; unde illi comes canis, quòd canes Dianæ sacri sint, ut tradit Phornutus de Nat. Deor. *Quòd commenti sint illam arcu insignem semper venari. Cui concinit & illud, quod huic canes sacros esse putarint, qui ad venatum accommodati sunt, ac ad custodiam & ad latratum nati.* Facem gerit, quòd illa dicta sit Luna, cujus orbis lucidus noctu circumfusum aërem illuminat.

Hic nummus minimæ formæ pro raro notandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Figura virilis nuda sacrificans super aram; dextrâ pateram; sinistram imponens capiti cujusdam simulacri in quadratam formam desinentis.

Tristanus figuram virilem illam nudam ad Athletam Mercurio Palæstrarum Præsidi sacrificantem tom. 1. pag. 687. revocat. Cùm autem Græci antiquas urbium suarum historias renovare in nummis consueverint, de Euripylo nummum interpretari nobis liceat. Lege integram Herois hujus in Pausaniæ Achaicis fabulam. Euripylus in Trojæ excidione cùm arcam invenisset, eâ apertâ statim ut simulacrum conspexit, mentis impos factus, Delphos perrexit, & ab oraculo responsum accepit, ipsum quo in loco homines offendisset peregrino ritu sacrum facientes, furoris morbo liberatum iri, si ibi arcam expositam dedicaret, & ipse sedem suam statueret. Ventis Patras delatus, incidit in tempus quo puer & virgo ad Triaclariæ Dianæ aram mactarentur. Fortuitus rei eventus Euripylum & sacri infamia oppidanos liberavit. Patrenses illum ex patriis antiquitatis monimentis norunt, ipsi parentalia faciebant anniversaria post Liberi Patris sacrum. Deo autem qui in arca fuerat abditus, cognomen erat Æsymnetes. Nil mirùm si Patrenses ut Corinthii qui Bellerophontis memoriam in plurimis nummis renovarunt, Euripyli pariter historiam in suis consignarint, ille Diis gratias agens ob usum mentis recuperatum, simulacro Liberi Æsymnetis cui manum imponit dedicato, sacrificat.

Hic nummulus à Tristano tom. 1. pag. 687. vulgatus, pro rarissimo numerandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Roma galeata insidens spoliis, dextrâ victoriam, lævâ hastam; coronatur ab Imperatore paludato stante.

Patrensis Colonia L. Verum Romæ ut Deæ coronam imponentem ob bellum Parthicum exhibet, tanquam ipsius ope victoriam de hostibus retulisset: Roma enim jamdudum divino nomine & cultu fuerat decorata. Testes sunt Græci veteres nummi, in quibus ΘΕΑ ΡΩΜΗ, *Dea Roma*, inscribitur, & Augusti vulgare numisma cum templi effigie & inscriptione, ROM. ET AVG. *Romæ & Augusto*, qui honor huic Deæ gentium habitus videtur ab Antonino Pio, cujus nummi nos docent illum superbissimum ROMAE AETERNAE templum erexisse, quâ de re Patrenses in patris memoriam M. Aurelio & L. Vero gratulantes, illos in nummis suis Romam immortalem coronantes exhibuerunt, quam ut Deam in bello invocaverant. Vide in erudita Illustr. Spanhemii dissertatione 5. quid ille de sacro Senatu & de Dea Roma protulerit.

Hic nummus secundæ magnitudinis rarus est & conspicuus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Ad Coloniæ Patrensis originem indicandam illa signa militaria cælari in Claudio Nerone, Vespasiano & aliis diximus. Cujusnam Legionis Veterani Patras missi fuerint, ignoraremus, si ampliores nummi inter signa hanc XXII. epigraphen, quæ nos 22. Primigeniam docent, non prætulissent, quam inscriptionem nummus iste forsan, cùm minimæ sit formæ, omisit, quamobrem colligendi sunt ii omnes ex eadem urbe percussi, ut quæ in his desunt, per alios innotescant, optandumque esset ut novus nummorum scriptor Goltzium imitaretur, qui omnes ejusdem urbis typos exponeret, unde multa quæ Historicos fugerunt, antiquitatis studiosi recuperarent.

Hic nummulus inter raros locum habere meretur.

IMP. CAESARI.
L. AVRELIO. VERO. AVG.
ARMENIACO. MEDICO. PARTHICO.
MAX. TRIB. POT. VII. IMP. IMP. VIII.
COS. III. P. P. DIVI. ANTONINI. PII. F.
DIVI. HADRIANI. NEPOTI. DIVI.
TRAIANI. PARTHICI. PRONEPOTI.
DIVI. NERVAE. ABNEPOTI. DEC. DEC.

Exscripsimus Mediolani in vico ad Columnam.

MAGNAE MATRI.
LVCILLA.
AVG.

Apud Grut. pag. 1065. 8.



LUCILLA.



LUCILLÆ *L. Veri uxor nomen habuit Anniæ à Faustina matre, Annia Faustina dicta; ad distinctionem matris, quæ Galeria Faustina appellabatur. Ejus nummi ex omni modulo eximiæ sunt raritatis & elegantiæ, cùm unicum tantùm Romæ in Gaza Barberina observaverimus.*

CORINTHUS.



LVCILLA AVGVSTA. Caput Lucillæ Augustæ.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Venus seminuda stans, ambabus clypeum tenet, pro pedibus Cupido.

Venus victrix in Corinthiorum nummis ob Lucillæ matrimonium cusa videtur; illa M. Aurelii filia L. Vero Imperii consorti juncta est; de qua Capitolinus in vita Marci. *Filiamque suam Lucillam fratri despondit.* Cùm autem Verus in Syria ad bellum Parthicum moraretur, illam ad ipsum pater misit, Verusque Ephesum, ut Lucillam reciperet, venit. Idem Historicus : *Medio belli tempore & Civicam patruum Veri & filiam suam nupturam sorori suæ eandem locupletatam, Brundudusium usque deduxit, & ad eum misit.* Et in Veri vita : *Ephesum etiam rediit, ut Lucillam uxorem missam à patre Marco susciperet.* Corinthii Romanos imitati, qui Lucillam formâ conspicuam sub Veneris victricis effigie signarunt, ut denotarent Lucillam Venerem, Verum alterum Martem à militaribus laboribus per blanditias & delinimenta amatoria revocasse, unde clypeum illa victrix, & non speculum, ut quidam putant, Cupidini ostendit, quod cùm id magnis Imperatoribus ac summis Ducibus contingeret, veteres per Veneris & Martis fabulam designare voluerunt. Venus autem victrix in nummis Romanis sæpe cum clypeo, galea & hasta occurrit; sed præcipuè forsan clypeum gerere videtur, quod illa clypeos facere docuerit, ut ait Homerus hymno ad Venerem: Coluthus etiam de raptu Helenæ, Venerem scutorum Reginam appellat.

Hic nummus secundi moduli eximiæ raritatis & elegantiæ est.



C O M M O D U S.





COMMODUS M. Aurelio patre mortuo cum Barbaris pacem iniit, & è Germania urbanæ tranquillitatis cupidiſſimus Romam reverſus, Imperii fines non ampliavit, nec Colonias extra urbem deduxit, ipſam contentus, Romam æternam, felicem Coloniam, Orbem terrarum appellare: *Volebat enim*, inquit Dio, *urbem ſuam eſſe Coloniam videri. Ad hæc ei ſtatua aurea mille librarum cum tauro & vacca facta eſt.* Nummi cum eodem typo ſenatuſconſulto ſignati ſunt, cui addita eſt epigraphe, COL. L. AN. COMM. P. M. &c. *Colonia Lucii Antonini Commodi Pontificis Maximi, &c.* Ælia tamen Capitolina ob beneficia ab eo accepta ſe Commodianam nuncupavit, ut urbis nummi ſuperſtites exhibent, COL. AEL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.*

COMMODI *nummi ex ære magno ſunt rariſſimi; mediæ & minimæ formæ, obvii.*

B E R Y T U S.



L. AVR. COMMODVS CAES. Caput Commodi ſine laurea.
COL. BER. *Colonia Berytus.* Neptunus ſtans, pede ſaxo, in aliis proræ impoſito, dextrâ Delphinum ſuſtinet, lævâ tridentem gerit.

Berytus urbs eſt Phœniciæ, & Romanorum Colonia, ut ex Joſepho videre licet de bell. Jud. lib. 7. cap. 8. Μετὰ τοῦτο Καῖσαρ εἰς Βηρυτὸν ἧκεν, ἡ δέ ἐστιν ἐν τῇ Φοινίκῃ, πόλις Ῥωμαίων ἄποικος. *Poſtea Cæſar Berytum venit, hæc autem eſt civitas Phœniciæ provinciæ, Colonia Romanorum.* Berytenſes autem nummum hunc Commodo Cæſari gratulantes ſignarunt, quando cum patre ob Avidii Caſſii rebellionem in Syriam venit, forſan & Berytum appulit, dum in Ægyptum iter faceret. De Commodi in Syriam profectione loquitur Lampridius in ejus vita. *Et eo tempore quo Caſſius à Marco deſcivit, profectus eſt, commendatus militibus, cum patre in Syriam & Ægyptum, & cum eo Romam rediit.* Neptunus tutelaris eſt urbis deus, in Berytenſis Coloniæ nummis frequens, de quo dictum eſt in Auguſto pag. 11. & paſſim.

Hic nummus minimæ formæ obvius & tritus.



M. COMMODVS ANTONINVS AVG. Caput Commodi laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Aſtarte ſeminuda ſtans, capite tutulato, pede proræ impoſito, dextrâ baculum; à ſiniſtris Victoria ſupra columnam ei coronam porrigit.

Alterum prodit Beryti urbis tutelare numen Aſtarte dea, Venus à plurimis exiſtimata, variiſque nominibus celebrata. A Macrobio Architis dicitur lib. Saturn. cap. 21. *Apud quos Veneris Architidis*

chitidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent. De hac Dea varias opiniones lege apud Lucianum in opuſculo de Dea Syria. Turrita eſt ut Beryti Genius, ſub cujus tutela urbs poſita eſt : pedem proræ navis imponit, ad denotandum urbis ſitum : ſcipionem oblongum gerit, ipſius ſymbolum : ſeminuda eſt, qualis Venus depingitur; cui Victoria columnæ impoſita coronam porrigit ob regni fines ejus auxilio ampliatos.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter obvios relegandus.

IMP. COMMODVS ANTONINVS AVG. Caput juvenile Commodi laureatum.
COL. BER. SEC. SAEC. *Colonia Berytus, Securitati Sæculi.* Eadem Aſtarte in templo tetraſtylo.

Colonia Berytus gratulans Commodo, quòd vitarit inſidias; ejus ſecuritati tanquam ſæculi nummos inſcripſit. Caput Imperatoris juvenile nummum percuſſum ſuadet poſt primas, quas ei Herodianus à Quintiano ſtructas narrat inſidias l. 1: p. 473. Λαϐόντα ἐγχειρίδιον ὑπὸ κόλπῳ, καιρὸν φυλάξαντα καὶ τόπον ἐπιτήδειον, ἐπιπεσεῖν τε τῷ Κομμόδῳ καὶ φονεῦσαι. *Perſuaſitque uti pugionem in ſinu celans, tempuſque locumque caperet, factoque repente impetu Commodum occideret.* Plurimi ob id conjurati, & omnes quantulacumque ſuſpicione attacti, ſupplicio affecti ſunt. Lampridius narrat Commodum ob Perennem ab hinc duobus annis ejus juſſu ſublatum, Felicem fuiſſe appellatum, quòd ejuſdem Perennis inſidias effugerit. Berytenſes forſan Aſtarten urbis Tutelarem Deam ſignatunt, cujus patrocinio Commodum commendaverant.

Aſtartis figuram Deæ Securitati tribuit Triſtanus in Elagabalo, quem ſequutus eſt Harduinus pag. 91. Goltzius mutilum hunc Triſtani nummum COL. BER. SEC. interpretatus erat, *Colonia Berytus Secundanorum.* cui Sert. Urſatus pag. 9. addit : *Hoc eſt inquam ſecundæ legionis milites deducti.*

Hic nummus mediocris, à Triſtano ſub Elagabali nomine vulgatus tom. 2. pag. 326. inter rariores adnumerandus.

CÆSAREA *Palæſtinæ.*

COMMODVS AVGVSTVS. Caput Commodi laureatum.
COL. PRIMA FL. AVG. CAES. *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea.* Diverſæ ſunt inſcriptionis epigraphæ. Caput Serapidis calatho inſigne.

Cæſarea Palæſtinæ urbs primaria eſt; cujus ſitum Joſephus appoſitè deſcribit de bel. Jud. lib. 3. cap. 27. Ἀλεεινὴ δὲ ἦν κἀκείνη χειμῶνος ὥρᾳ, καθόσον ἦν πνιγώδης θέρους ὑπὸ καύματος πεδιὰς οὖσα καὶ παράλιος. *Erat autem illa quoque aprica per hyemem quantum æſtatis caloribus æſtuoſa; ut in planitie ſita atque maritima.* Serapidis imago in Cæſareæ nummis frequens à Cæſarenſibus cultum ejus numen indicat, quod ipſos ex Ægypto recepiſſe augurati ſumus ob viciniam provinciæ : ſed licèt Serapis proprius & peculiaris eſſet Ægyptiorum deus, nihilominus in Græcia multiſque in locis cultus fuit, in primis Athenis teſte Pauſania, & Romæ in circo Flaminio, nova urbis regione, ut P. Victor ſcribit. Idem Serapis cum Plutone à plurimis exiſtimatus eſt. De ejus calatho loquitur Macrobius lib. 1. Saturn. c. 20. *Calathum*, inquit, *ejus capiti infingunt.* Et paulò pòſt : *Cujus vertex inſignitus calatho, & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſtentat : quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur.* Alii calathum, modium appellant, & ad Oſiridem agriculturæ inventorem ſpectare contendunt.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ vulgaris & obvius, à Patino pag. 261. vulgatus eſt.

CARRHÆ.



ΚΟΜΜΟΔΟC. CΕΒ. Caput Commodi laureatum.

ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗ. ΠΟΛ. Κάῤῥα Κολωνία Μητρόπολις. Aſtrum ſeu Sol in creſcente Luna ſupra baſim ad ornamentum.

Carrhæ, urbs Meſopotamiæ antiquiſſima, ſi quidem Abraham olim ac Tarrhi ejus patris domicilio inſignis perhibetur apud Joſephum Antiq. lib. 1. cap. 7. p. 15. Θάῤῥου δὲ μισήσαντος τὴν Χαλδαίαν διὰ τὸ Ἀῤῥάνου πένθος, μετοικίζονται πάντες εἰς Χαῤῥὰν τῆς Μεσοποταμίας· ὅπου δὲ Θάῤῥον τελευτήσαντα θάπτουσιν, ἔτη βιώσαντα πέντε καὶ διακόσια. *Cæterùm cùm Tharrus exoſam haberet Chaldæam propter luctum Aranis, omnes ſimul migraverunt Carrhas Meſopotamiæ, ubi etiam Tharrum defunctum ſepelierunt, anno exactæ vitæ ducenteſimo-quinto.* Carrheni autem apud ſe conſtitutæ à Divis fratribus Coloniæ memores, Commodo Marci filio nummos ſuos conſecrarunt, in quibus Solem in creſcente Luna ob ſingularem Dei Luni cultum cælarunt, de quo in Marco & Vero ſuprà diximus, ut & de Græca in nummo epigraphe.

Hic nummus minimi moduli inter rariores adſcribendus.

CARTHAGO *Africæ.*



IMP. M. AVR. COMMODVS. Caput Commodi laureatum.

C. I. C. A. D. D. *Colonia Julia Carthago Antiqua. Decreto Decurionum.* Triremis cum remigantibus.

Carthago quondam Romæ æmula, diu jacens, Colonia Romana à Julio Cæſare conſtituta eſt, qui eam reſtituit, uti tradit Pauſanias in Corinth. p. 85. Ἀνοικίσαι δὲ καὶ Καρχηδόνα ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τῆς αὐτοῦ. *Nam & Carthaginem etiam Cæſar reſtituiſſe dicitur.* Deinde ita aucta & ampliata eſt, ut Mela, qui Claudii temporibus floruit, de ipſa dixerit lib. 1. cap. 7. *Jam quidem iterùm opulenta, etiam nunc tam priorum exordio rerum, quàm ope præſentium clarior.* Carthaginenſes Commodo nummos dedicaſſe videntur gratulabundi, quòd eorum urbem *Alexandriam Commodianam Togatam* vocaſſet, uti narrat Lampridius in ejus vita. *Ridiculè etiam Carthaginem* ALEXANDRIAM COMMODIANAM TOGATAM *appellavit.* Cùm Carthaginem, ſi Alexandrina frumenta ceſſaſſent, annonam urbi ſuppeditare poſſe exiſtimaret, Togatam quidem Alexandriam illam vocavit, quòd cùm Carthago eſſet Colonia, Romanorum more cives ejus togæ uſum habebant. Navis vel urbis ſitum in littore, vel claſſem ad obſequium Imperatoris paratam indicat.

Hic nummus minimæ formæ inter elegantiores numerandus.

COELLU.



IMP. CAES. MAR. COMMOD. Caput Commodi laureatum.

AEL. MVNICIP. COEL. *Ælium Municipium Coellitanum.* Dimidia navis, ſupra quam cornucopiæ. P. Harduinus pag. 13. legit AEL. MVNIC. COMM. pro COEL. & nummum perperam ad Æliam Capitolinam revocat.

Coellu urbs eſt Numidiæ littoralis, de qua dictum eſt in Antonino Pio, ab Hadriano Æliæ gentis nomen habuiſſe Ælium ob beneficia ipſi conceſſa, aut jus Municipiorum ei forſan collatum, quorum

quorum memores Coellutani, Commodo ejus pronepoti nummos consecrarunt; vel ipsi gratulantes quòd in Africam se venturum pronunciasset, cujus meminit Lampridius in ejus vita : *Simulavit se & in Africam iturum, ut sumptum itinerarium exigeret.* Vel quòd classem Africanam instituisset ad frumenta transmittenda, unde Africæ & Numidiæ provinciis ingens lucrum. Commodus etiam cùm spectacula edere profiteretur, Numidas jaculatores collegit, teste Herodiano in ejus vita p. 483. Συνῆσαν δὲ παιδεύοντες αὐτὸν Παρθυαίων οἱ τοξικὴν ἀκριβοῦντες, καὶ Μαυρουσίων οἱ ἀκοντίζειν ἄριστοι. *Erantque cum illo assiduè Parthorum lectissimi sagittarii, ac Numidæ præstantissimi jaculatores.* Dimidia navis in Coellutani Municipii nummis frequens urbis ad mare situm, ut cornucopiæ fructuum frugumque in ipsius agro ubertatem arguit.

Hic nummus minimæ molis pro raro & conspicuo habendus.

CORINTHUS.

IMP. L. AVR. COM. Caput Commodi laureatum.

COL. IVL. AVG. COR. *Colonia Julia Augusta Corinthus.* Neptunus stans pede proræ imposito, dextrâ Delphinum, sinistrâ tridentem gerit.

IMP. M. AVR. COM. ANTON. AVG. Caput Commodi laureatum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Neptunus sedens, dextrâ Delphinum, lævâ tridentem.

Corinthus cùm M. Aurelii & L. Veri plurimùm fuisset studiosa, Commodo Marci filio ad Imperium evecto nummos suos dedicavit, cui in urbem ex Germania redeunti plurimùm gratulati fuerant Romani, ut narrat Herodianus in ejus vita p. 471. Τοῦτον δὴ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις τε παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. *Talem igitur Imperatorem conspicati, faustis ominibus acclamationibusque & coronarum florumque sparsionibus exceperunt.* Neptunus ut tutelaris Corinthiorum Deus in ipsorum nummis exhibetur, de quo legas Pausaniam in Corinthiacis, & quæ de ipso in superioribus nummis sparsim diximus. Diodorus Siculus, cur maris Deus appellatus sit, narrat Histor. 5. Τῶν δ᾽ ἄλλων θεῶν φασὶ Ποσειδῶνα μὲν πρῶτον χρήσασθαι τὴν κατὰ θάλασσαν ἐργασίαις, καὶ στόλους συστήσασθαι, παραδόντος αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν ταύτην τοῦ Χρόνου. διὸ καὶ παραδέδοσθαι τοῖς ἐπιγινομένοις τοῦτον κύριον ὑπάρχειν τῶν κατὰ θάλασσαν πραττομένων, καὶ θυσίαις ὑπὸ τῶν ναυτιλλομένων τιμᾶσθαι. *Inter alios porrò Deos (aiunt) Neptunus maris negotia primus tractare cœpit, classemque instituit, præfecturam hanc à Neptuno adeptus : ideoque fama apud posteros increbuit, quæ in mari geruntur, in hujus potestate & arbitrio esse, & propterea solennibus eum sacris Nautæ honorant.*

Hic nummus minimi moduli obvius & tritus est.

IMP. M. COMMODVS ANTONINVS. Caput Commodi laureatum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Neptunus nudus stans, dextrâ pateram supra aram juxta arborem.

Neptunus tutelaris Corinthi Deus pateram super aram tenet, ad indicandum sibi sacrificium à Corinthiis pro Imperatoris Commodi salute & securitate perpetratum ad urbis Romæ forsan imitationem, de qua loquitur Herodianus lib. 1. pag. 477. Καὶ σωτήρια τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἐπανηγύριζε. *Sed & populus omnis pro Imperatoris salute diem lætabundus celebrabat.* Commodus autem insidiis Quadrati nobilissimi locupletissimique adolescentis, Perennis Prætorii Præfecti, deinde Materni militis, facti perditorum hominum ducis petitus est, quas cùm evitasset, *Felix* appellatus est, primusque Imperatorum hoc nomen in titulis tulit. Arbor juxta quam sacrificat Neptunus, pinus esse videtur, ad denotandum Neptuni templum in quo sacrificia fuerant confecta; nam alterum erat in Lechæo, alterum in Isthmo, juxta quod pinus erant consitæ.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro & conspicuo habendus est.



IMP. M. COMMODVS ANTONINVS. Caput Commodi laureatum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mercurius insidens rupibus, dextrâ extensâ, sinistrâ caduceum, pro pedibus aries.

Pausanias ad Mercurii pedes arietem poni tradit apud Corinthios, quòd ille greges tueri crederetur; ideò illum stabulis præesse in M. Aurelii & Veri nummis ex Hesiodo diximus. Unde Mercurius apud Giraldum dictus est Nomius, quoniam & pastorum Deus : quin & ei bucolicum carmen consecratum Donatus in Commentariis ait, ut Daphnidis patri pastorum principi. Mercurius scopulis insidens, ipsius templum in Acrocorintho significare videtur, licèt ejus nulla mentio habeatur apud Pausaniam, qui ipsius ædem cum signo erecto in foro collocat.

Hic nummus mediocris formæ nec rarus nec obvius.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Melicerta supra Delphinum extensus juxta arborem.

Puer ille Delphino substratus, in Corinthiorum nummis obvius & frequens, Melicerta est, cujus historiam narrat Pausanias in fine lib. 1. Arbor ei comes adjungitur, quòd ejus cadaver juxta pinum fuit à Sisypho repertum, & cùm Isthmici ludi fuissent ab eo in ipsius honorem instituti, victores ludorum in illius memoriam pinu coronabantur. Polybius Hist. lib. 2. pag. 101. narrat Romanos an. U. C. 525. à Corinthiis Isthmiorum ludorum participes factos ob primam eorum ad ipsos legationem. Ῥωμαῖοι μὲν εὐθέως ἄλλους πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν πρὸς Κορινθίους καὶ Ἀθηναίους· ὅτε δὴ καὶ Κορίνθιοι πρῶτον ἀπεδέξαντο, μετέχειν Ῥωμαίους τοῦ τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνος. *Legati deinceps alii ad Corinthios atque Athenienses missi fuere à Romanis: eoque primum tempore à Corinthiis decretum est, ut Isthmici ludicri participes Romani fierent.* Vide quæ passim de Melicerta suprà diximus.

Hic nummus secundæ magnitudinis vulgaris & tritus est.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Pegasus.

Pegasus, vulgaris est Corinthi typus, de quo in superioribus nummis abundè dictum est, imò etiam & in Coloniis Corinthiorum sæpè percussus, qualem videre est in Corcyreorum & Syracusanorum nummis, ut jam annotavit illustrissimus Spanhemius Differt. 3. retentis à filiabus matris insignibus, iis denique publicis monumentis ad memoriam originis arguendæ signatis. An revera fuerint Pegasi, alata illa monstra, mera fabula est; sed velocibus equis nomen id tributum videtur, sicut & in Circensibus ludis apud Romanos narrat idem auctor. Cùm autem Bellerophon Corinthi Heros celeri quodam usus esset equo, de eo facta est eadem propè fabula, ipsique aliger equus est attributus.

Hic nummus minimi moduli tritus & frequens est.



COMMODO CAES. AVG. FIL. GERM. Caput Commodi juvenile ſine laureâ.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victoria ſtans, dextrâ coronam, ſiniſtrâ palmam.

Nummus in honorem Commodi adhuc Cæſaris percuſſus eſt, & ad victoriam Germanicam ſpectat, unde *Germanici* nomen Commodo à patre communicatum, cùm res contra Germanos feliciter geſſiſſet, ut colligere eſt ex Capitolino in vita Marci. *Pannonias ergo Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, ſimul etiam Quadis extinctis, ſervitio liberavit, & Romæ cum Commodo, quem jam Cæſarem fecerat, filio, ut diximus, ſuo triumphavit.* Typum huic ferè ſimilem ſignavit ob eandem cauſam Senatus Romanus, in cujus poſteriori parte legitur, COMMODVS CAES. AVG. GERM. in poſteriori verò VIC. GER. Victoria clypeum tenet trunco arboris impoſitum, in quo S. C. viſitur, æternum Germanicæ victoriæ monimentum.

Hic nummulus inter rariores collocandus.



IMP. M. AVR. COMMODVS. Caput Commodi laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victoria dextrâ bigas agit, ſiniſtrâ palmam gerens.

Hunc Victoriæ bigas agentis typum non ad aliquam in bello, ſed in ludis victoriam auguramur; an in memoriam agonis Capitolini, quo tempore conjurationem Perennis contra Commodum detectam narrat Herodianus in ejus vita pag. 474. Ἐγνώσθη δ' ἡ ἐπιβουλὴ παραδόξῳ τρόπῳ· ἱερὸν ἀγῶνα τελοῦσι Ῥωμαῖοι Διὶ Καπετωλίῳ. *Proditæ autem ſunt inſidiæ incredibili quodam modo: ludos Romani Jovi Capitolino faciunt*, &c. An verò quòd Imperator in certamine curuli, cui ſe vehementer dederat, victor fuiſſet, ut innuere videtur Xiphilinus pag. 377. Τοῦ γὰρ Κομμόδου ἁρματηλασίαις καὶ ἀσελγείαις ἐνδεδωκότος ἑαυτὸν, καὶ τῶν τῇ ἀρχῇ προσηκόντων οὐδὲν (ὡς εἰπεῖν) πράττοντος. *Cùm enim Commodus ſe ſtudio agitandorum curruum, & libidinibus cujuſvis generis dedidiſſet; nec quidquam ferè ageret eorum quæ ad principatum ſpectarent.* Corinthii Imperatori adulantes, Victoriam in bigis exhibuerunt, qualem in Adrianopolitanorum, Pergamenorum & aliorum Græcorum nummis obſervamus.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro raro & præſtanti computandus.

GERME.



IMP. M. AVR. COM. ANTONINVS. Caput Commodi laureatum.
COL. AVG. F. GERMENO. *Colonia Auguſta Felix Germenorum.* Lupa puerulis ubera præbet.

Mirum in modum Antiquariorum ingenia torſit hic nummus ſub voce contracta GERMENO, pro integra GERMENORVM. Primus eum vulgavit Triſtanus tom. 1. p. 716. ſub nomine CERMENO, & de antiqua regione urbis Romæ parùm feliciter interpretatur, ut annotavere Spanhemius Diſſ. 9. pag. 767. & Luc. Holſtenius Not. in Stephan. pag. 84. cujus verba hîc referre liceat: *Ingenio ſuo abutitur vir egregius; dum numiſma iſtud de urbe Roma exponit.* Sed Spanhemius & Holſte-

Holstenius illud revocant ad Germen Hellesponti urbem, quam Coloniam ex Ptolemæo memorant, cùm Geographus ille Germen Coloniam in Galatia describat, ut jam vidit eruditus P. Harduinus p. 184. Germe quidem urbs gemina, una Hellesponti, teste Stephano. Γέρμη πόλις Ἑλλησποντία πλησίον Κυζίκου. *Germe urbs Hellespontia prope Cyzicum.* Altera urbs Galatiæ prope Pessinuntem apud Ptolemæum lib. 5. cap. 4. Γέρμα Κολωνία. Utriusque urbis gentile nomen *Germenus*, unde nummi obvii cum epigraphe ΓΕΡΜΗΝΩΝ ad Germen Hellesponti urbem spectant. Qui verò Latina epigraphe COL. GERMENO gaudent, ad Germen Galatiæ Coloniam pertinent, cujus meminisse videtur Notitia Græc. Episcop. in hac provincia sub voce Γερμοκολωνείας. Vulgaris est in hoc tractu Coloniarum inscriptionis usus, Colonia AVG. F. Germenorum, ut & Colonia IVL. AVG. F. COMANORVM in Caracalla. *Augustæ* nomen, Coloniam ab Augusto deductam indicat, & non à Vespasiano, vel Domitiano, quod denotari putat Holstenius loco cit. per litteram F. quæ hic non *Flavia*, sed *Felix* exponenda est, in honorem Commodi, qui teste Lampridio: *Quum occidisset Perennem, appellatus est Felix.* Quod cognomen primus omnium Imperatorum tulit. Lupa cum puerulis, Romanarum Coloniarum insigne est.

Hic nummus primæ magnitudinis, in Thesauro Regio, ut & similis Romæ in Gazophylacio Cardinalis Carpinei, eximiæ raritatis habendus.



IMP. COM. ANTONINVS. Caput Commodi laureatum.
COL. GERMEN. *Colonia Germenorum.* Aquila cippo imposita inter duo signa militaria.

Germe urbs Galatiæ in Bithyniæ & Phrygiæ confinio inter Pessinuntem & Ancyram, Colonia ab Augusto deducta, ut diximus, ex omnibus Imperatoribus soli Commodo nummos signavit; sed cùm diversos ipsi typos dedicaverit, beneficium quoddam ab Imperatore accepisse conjecturæ locus est. Urbs in Notitia Episcoporum Episcopalis, sub Archiep. Pessuntino uno verbo Γερμοκολωνεία, hodieque adhuc extat: *Girmasti* nomine dicta est, teste Leunclavio. Aquila inter signa militaria, Veteranos cujusdam Legionis, cujus nomen ignoratur, ab Augusto in eam transmissos indicat.

Hic nummus minimi moduli, è Cimelio Ill. Harlæi Procuratoris Generalis in Thesaurum Regium evectus, inter elegantissimos reponendus.

HIPPON.



IMP. CAES. AVR. COMMODVS. Caput Commodi laureatum.
C. G. I. H. P. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Pia.* Ceres gradiens, utrâque manu facem.

Similis in M. Aurelio vulgatus est nummus, quem ad Hipponem Regium Africæ littoralis urbem revocavimus, ideò *Gemellam* nuncupatam, quòd alia urbs sit hujus nominis Hippon Diarrhytos, id est *Irriguus.* Nomen alterum *Juliæ* præfert, ut Colonia à Julio Cæsare cum plurimis aliis in Africa constituta; *Piæ* verò alterum, ob collata Antonini Pii erga se beneficia: quapropter memor, M. Aurelio Cæsari filio ejus adoptivo nummos, ut & Commodo ipsius nato & successori dedicat. De Cereris Africanæ cultu ex Tertulliano in M. Aurelio diximus: cùm autem illa sit frugum Dea ab antiquis existimata, & Africa frumento abundet, nil mirum si Hipponensis Colonia Cererem sit venerata. Hujus urbis D. Augustinus fuit Episcopus.

Hic nummulus inter rariores numeratur.



C. G. I. H. P. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Pia.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Hipponensis Colonia Commodo per nummos gratulari videtur, quòd classem Africanam instituerit, quæ subsidio esset, si fortè Alexandrina frumenta defecissent. Hanc, ut tradit Lampridius in ejus vita, Commodianam Herculeam vocavit. *Quum classem quoque Africanam Commodianam Herculeam appellasset.* In cujus memoriam Senatus Romanus ipsi nummum percussit cum epigraphe, PROVIDENTIAE AVG. Commodus sub Herculis effigie, pede proræ imposito, spicas ab Africa Elephantis proboscide ornata accipit. Lupa cum puerulis in nummo signatur, ut Coloniæ Romanæ insigne, originem à Romulo & Remo indicans, de qua hæc narrat Livius Dec. 1. lib. 1. *Tenet fama, cùm fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse: eam summissas infantibus adeò mitem præbuisse mammas, ut linguâ lambentem pueros magister regii pecoris invenerit.*

Hic nummus tertiæ magnitudinis inter præstantiores reponendus.

PATRÆ.



IMP. M. COM. ANTONINVS. AVG. Caput Commodi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Jupiter sedens, dextrâ victoriam, lævâ hastam.

Patrenses Jovem Olympium colebant, cui apud Pausaniam in Achaïcis templum erexerunt, ut in Hadriano pag. 158. diximus. Ille sedens Victoriam dextrâ gerit, ob prælium aliquod à Commodi Legatis feliciter gestum, ut innuere videtur Lampridius in ejus vita. *Victi sunt sub eo tamen, quum ille sic viveret, per Legatos Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque compositæ: in Britannia, in Germania & in Dacia imperium ejus recusantibus provincialibus.* Patrenses Jovem Victoriam gestantem exhibuerunt, quasi Commodus eam Jovis ope reportasset.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habendus.



M. COMMODVS. ANT. AVG. Caput Commodi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Mercurius sedens in templo distylo, dextrâ extensâ, lævâ caduceum, pro pedibus aries.

Nulla est à Patrensibus Mercurii culti, nulla ejus statuæ aut ædis apud Pausaniam mentio; nummus tamen in templo ejus signum exhibet, quod Pharæ ditioni Patrensium ab Augusto adjectæ summa cum religione colebant sub *Agoræi* seu *Forensis* cognomine, ut idem Pausanias lib. 7. pag. 440. tradit. Ἑρμῆς τε ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ λίθου πεποιημένον ἄγαλμα, ἔχων καὶ γένεια. *In medio Mercurii signum marmoreum cum barba.* Καλεῖται μὲν δὴ Ἀγοραῖος, παρὰ δὲ αὐτῷ καὶ χρηστήριον καθέστηκε. *Cognomen ei est Agoræo, quod idem omnino est ac si Forensem dicas.* Forsan Mercurio templum à Patrensibus post Pausaniæ peregrinationem ædificatum aut restitutum est, alias antiquitates narrat Sponius Misc. sect. 10. pag. 364.

Hic nummus minimi moduli rarus est & conspicuus.



AVG. COM. ANTO. AVG. Caput Commodi laureâ inſigne.

COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Æſculapius ſtans, dextrâ ad latus appoſitâ, ſiniſtrâ baculo, cui ſerpens involutus eſt, innixâ.

Æſculapium apud Patrenſes cultum docet Pauſanias in Achaïcis, ubi refert ſignum ejus in area ex adverſa fori regione ſita, & templum illius ſub arce exſtructum. De ſigno ſic loquitur: Τὸ μὲν δὴ ἄγαλμα τοῦ Ἀσκληπιοῦ, πλὴν ἐσθῆτος, λίθου τὰ ἄλλα. *Ibi Æſculapii ſignum, præter veſtem, è marmore fabricatum.* De templo hæc habet: Ἔστι δὲ καὶ ἱερὸν Πατρεῦσιν Ἀσκληπιοῦ· τοῦτο τὸ ἱερὸν ὑπὲρ τὴν Ἀκρόπολιν τῶν πυλῶν ἐστιν ἐγγὺς αἳ ἐπὶ Μεσάτιν ἄγουσιν. *Eſt etiam apud Patrenſes ſupra arcem, ad eam partem per quam exeunt qui Meſſatin iter habent, Æſculapii templum.* Patrenſes Æſculapium in nummis Commodi forſan percuſſerunt ob ingentem peſtem quæ Romam depopulabatur, de qua Herodianus loquens, multa pro Commodi ſalute ſacrificia perpetrata commemorat.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 261. vulgatus, rarus eſt & elegans.



COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Apollo muliebri habitu ſtans, dextrâ arcum, ex adverſo Venus victrix ſeminuda, pariter ſtans, utrâque manu clypeum.

Patrenſes hoc in nummo Apollinem & Venerem ſimul in nummo percuſſerunt, Commodo & Criſpinæ blandientes, quòd ille Apollo *Palatinus* & *Monetalis* dici voluerit, ipſa *Venus* in nummis ſæpè vocata ſit, apud Patrenſes etiam, teſte Pauſania in Achaic. pag. 439. Templa Apollini & Veneri in eodem loco erant erecta, & iis in urbe communis erat area. Τὸ δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀφροδίτης πρὸς τῷ λιμένι δέ ἐστι τέμενος, λίθου μὲν πρόσωπον, καὶ ἄκραι χεῖρες καὶ πόδες, ξύλου δὲ τὰ λοιπὰ εἴργασται. Ἔστι δέ σφισι καὶ ἄλσος ἐπὶ θαλάσσῃ, δρόμους τε ἐπιτηδειοτάτους, καὶ ἐς τὰ ἄλλα δίαιταν ἡδεῖαν ὥρᾳ παρεχόμενον θερινῇ· ἐν τούτῳ τῷ ἄλσει καὶ ναοὶ θεῶν Ἀπόλλωνος, ὁ δὲ Ἀφροδίτης πεποίηνται, λίθου καὶ τούτοις τὰ ἀγάλματα. *Eſt ſacra etiam Apollini & Veneri communis area, cum ipſo ferè portu conjuncta: ſimulacris os, manus, & imi pedes è marmore; reliquæ partes è ligno ſunt. Eſt etiam in ipſa maritima ora lucus, in quo curricula luculenta & æſtivæ ſtationes valdè elegantes. In eodem luco Apollinis & Veneris delubra ſpectantur cum ſignis marmoreis.* Apollo & Venus ambo ex Jove nati ſunt, ille ex Latona, hæc ex Dione Nympha.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter elegantiores numerandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Figura muliebris ſedens, dextrâ haſtam juxta quam clypeus, coronatur ab Hercule lævâ clavam tenente.

Patrenſes Commodo adulantes, eum, ut Romani, ſub Herculis effigie repræſentarunt, cùm ille ſe Herculem appellari juſſiſſet, teſte Herodiano in ejus vita p. 483. Εἰς τοσοῦτον τε μανίας καὶ παροινίας προυχώρησεν, ὡς πρῶτον μὲν τὴν πατρῴαν προσηγορίαν παραιτήσασθαι, ἀντὶ δὲ Κομμόδου καὶ Μάρκου υἱοῦ Ἡρακλέα τε καὶ Διὸς υἱὸν αὐτὸν κελεύσας καλεῖσθαι, ἀποδυσάμενός τε τὸ Ῥωμαῖον καὶ βασίλειον σχῆμα, λεοντῆν ὑπεστρώννυτο, καὶ ῥόπαλον μετὰ χεῖρας φέρειν. *Eòque vecordiæ petulantiæque proceſſit, ut paternum primò cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio, Herculem ſe Jovis filium juſſerit appellari, depoſitoque principum Romanorum cultu, leonis pellem ſubſterneret, manuque clavam gereret.* Coronam imponit Romæ tanquam Deæ, cui Antoninus Pius ejus avus templum in urbe ſub titulo ROMAE AETERNAE erexerat: cujus Imperatoris ſtudioſi Patrenſes, in rei memoriam, M. Aurelium, L. Verum, & Commodum cum eodem ferè typo coronam Romæ imponentem exhibuerunt.

Hic nummus ſecundi moduli inter raros reponendus.

COL.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Caput muliebre turritum, pone quod cornucopiæ.

Caput muliebre turritum in nummis, solenne est urbium Principum symbolum, quod Patris convenit, si Straboni fides lib. 8. pag. 387. Μετὰ δὲ τούτοις Πάτραι, πόλις ἀξιόλογος. *Posteà sequuntur Patræ, urbs memorabilis.* Patrenses cùm olim apud Pausaniam floruissent, insigni verò clade plu-ribus præliis acceptâ fortunis propè omnibus eversis per agrum dispersi sunt, Augustus vel quòd ad navium appulsum Patras valde esse appositas judicaret, vel aliâ quacunque de causâ eos in urbem remigrare jussit, urbemque Coloniam Romanam constituit, eaque Achaiæ caput effecta est. Cornucopiæ fertilitatem agri indicat.

Hic nummus minimi moduli nec rarus nec obvius est.



IMP. CAES. M. AVR. COMMODVS. AVG. Caput Commodi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Figura muliebris turrita stans, dextrâ pateram, lævâ cornucopiæ.

Figura muliebris illa Genium urbis repræsentat pro salute Imperatoris sacrificium perpetrans, ob ingentem forsan pestilentiam per totam Italiam & Romæ præsertim sævientem, ita ut Commodo persuasum sit Laurentum secedere, teste Herodiano. Συνέβη δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ λοιμώδη νόσον κατασχεῖν τὴν Ἰταλίαν, μάλιστα δὲ τὸ πάθος τῇ Ῥωμαίων πόλει ἤκμασεν, ἅτε πολυανθρώπῳ τε οὔσῃ καὶ τοὺς πανταχόθεν ὑποδεχομένῃ. Τότε ὁ Κόμμοδος συμβουλευσάντων αὐτῷ τινῶν ἰατρῶν εἰς τὴν Λαύρεντον ἀνεχώρησεν. *Per idem tempus accidit, ut ingens Italiam quidem universam pestilentia occuparet : sed in civitatem Romanam vehementiùs tamen sæviret, utpote quæ & per se populo abundaret, & advenas toto orbe confluentes exciperet. Tum Commodus (ita scilicet quidam medicinæ periti persuaserant) Laurentum secessit.* Cornucopiæ, solenne est Genii symbolum, utpote qui rerum gignendarum vim habere perhibeatur, vel ad indicandam soli feracitatem.

Hic nummus secundæ magnitudinis obvius est.



IMP. ANTONINVS. COMMODVS. Caput Commodi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Colonus agens boves, dextrâ vexillum.

Patrenses ad originem Coloniæ indicandam, modò Colonum, modò signa militaria in nummis percusserunt : imò in hoc illa conjungunt ; Colonus enim dextrâ signum militare, sinistrâ aratrum ducit ; illud Coloniæ militaris, hoc plebeiæ symbolum. Veteranos Legionis vigesimæ-secundæ, cognomine *Primigeniæ*, Patras transmissos, ex nummis accepimus. Pausanias verò, multitudine ex oppidulis vicinis ab Augusto in hanc urbem remigrare jussâ, eandem ab eo Coloniam constitutam tradit in Achaïcis pag. 432. Καὶ ἐς τὰ ἄλλα γέρας ὀφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ῥωμαῖοι νομίζουσι. *Atque alia in eam civitatem beneficia contulit, quibus à se deductas Colonias Romani afficere consueverunt.* Hæc autem ex septem pagis frequentata est, teste Strabone.

Hic nummus secundi moduli, à Patino pag. 261. vulgatus, inter obvios relegandus.



AV. COM. ANTO. AVG. Caput Commodi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Patrensis Coloniæ situm describit Plinius lib. 4. cap. 4. *Patræ Colonia, in longissimo Promontorio Peloponnesi condita; ex adverso Ætoliæ & fluminis Eveni.* Illa signa militaria, in originis Coloniæ ex Veteranis constitutæ memoriam cælata sunt; Augustum emeritos Legionis vigesimæ-secundæ milites Patras traduxisse nos edocuerunt nummi cum epigraphe XXII. signis militaribus ornati; Augustus enim, qui Lepidi & M. Antonii Legiones partim in suas adsciverat, post provinciarum cum populo divisionem, plurimos milites exauctoravit, in Coloniasque deduxit, ut ex plurimis nummis colligimus, quorum rariores nobis Legionum nomina exhibuerunt.

Hic nummus tertiæ magnitudinis inter obvios collocatur.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Coloniæ Romanæ Lupam cum gemellis, ad originem indicandam, in nummis cudere consueverunt, ut eadem jura habere dicerentur cum Roma, quæ Romulum à Lupa nutritum jactabat, de quo Messala Corvinus lib. de Aug. Progenie inquit: *Regio edicto in Tybridis alveo exponuntur gemini. Fama est in Lupam geminos lambentem, regium pastorem Faustulum casu quodam incidisse, qui uxori Laurentiæ nutriendos dedit.* Unde Roma pro insigni Lupam cum puerulis ejus ubera sugentibus exhibuit, de quibus Virgilius lib 8. in Æneæ clypeo signatis.

Geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos, illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos & fingere corpora linguâ.

Hic nummus minimæ molis pro vulgari notandus.



IMP. M. COMM. ANTONINVS. Caput Commodi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Figura paludata Colossi ferè magnitudine supra columnam basi rotundæ & prægrandi imposita.

Colonia Patrensis ab Augusto deducta est, ideò columnam hanc ipsi dicatam suspicati sumus; sed cùm plurimos Patrenses illi, ut & Claudio & Neroni, nummos dedicarint, in quibus typus ille non est percussus, Domitiano ob restitutam Græcis libertatem à Vespasiano patre ademptam, fortasse erecta est. Græcis beneficium à Romanis bis, imò ter declaratum est. Plutarchus, Quintium Flamininum & Neronem liberos suis legibus illos pronuntiasse, Quintium verò per præconem, Neronem verò pro tribunali in foro concionem ad populum habentem tradit: Vespasianus ipsis infensus libertatem abstulit; Domitianus iis benevolus illam iterum restituit, & Græcorum imitatione, Romæ ludos constituit, teste Suetonio cap. 4. *Instituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum.* Togamque Græcorum assumpsit in eorum celebratione: *Certamini præsedit crepidatus, pupureâque amictus togâ Græcanicâ.* An verò columna hæc Augusto Coloniæ fundatori, vel Domitiano libertatis Græciæ restauratori tribuenda sit, penès eruditos sit judicium, opus quidem illud insigne fuisse videtur, ut in Augustorum nummis repræsentetur.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro rarissimo adscribendus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Prospectus urbis, in cujus vertice tria templa, in imo duæ triremes in mari, in cujus littore statua basi imposita, in medio duplicis columnarum ordinis ædificium.

Patras urbem aspectu decoram fuisse utpote in clivo conditam oportet, ut prospectus ejus in nummis exhibeatur, imò ejus inter cæteras Peloponnesi urbes grata celebratur habitatio apud Ciceronem epist. lib. 7. ad Curionem 28. *Erat enim multò domicilium hujus urbis aptius humanitati & suavitati tuæ, quàm tota Peloponnesus, nedum Patræ.* In superiori nummi parte templa urbis celebriora, in ima ædificium quoddam columnis ornatum, quod Circum seu stadium Sponius in 2. tom. Itin. pag. 12. fuisse putat, de quibus non meminit Pausanias in urbis descriptione: sed cùm aspectu digniora in nummo repræsententur, Odeum in theatri formam exstructum, quod ille auctor magnificentissimum tradit in Achaïcis, apud Patras extitisse, potiùs scalptum fuisse existimamus. Κεκόσμηται ᾗ καὶ ἐς ἄλλα τὸ ᾠδεῖον ἀξιολογώτατα τῶν ἐν Ἕλλησι, πλὴν γε δὴ τοῦ Ἀθήνῃσι· τοῦτο γὰρ μεγέθει τε καὶ ἐς τὴν πᾶσαν ὑπερῆρκε κατασκευήν. *Exornatum Odeum illud est omnium, quæ in Græcia sunt, magnificentissimè, excepto duntaxat eo quod Athenis est: illud enim & magnitudine & ornamentorum insignibus facilè superat.* In imo duæ conspiciuntur triremes, cùm urbs sit littoralis & portu ornata, ut idem Pausanias innuit p. 432. Αὔγουστος δὲ ἦ τοῦ προσάπαλε νομίζων κεῖσθαι καλῶς τὰς Πάτρας. *Augustus deinde, vel quòd ad navium appulsum Patras valdè esse appositas judicaret.* Patrenses in rei memoriam Augusti ut Coloniæ fundatoris statuam in littore posuisse videntur, præsertim cùm hæc figura paludata sit.

Hic nummus mediocris moduli, licet paululùm diversus à Sponio lib. Itin. pag. 172. vulgatus, eximiæ raritatis habendus.

PHILIPPI.



IMP. L. AVR. COMMODVS. Caput Commodi laureatum.
COL. AVG. IVL. PHILIP. *Colonia Augusta Julia Philippensis.* Lupa puerulis ubera præbens.

Philippi, urbs est Macedoniæ, quæ olim *Datus* nominata est; & antè etiam *Crenides*, id est *fontes*, quòd ii crebri circa eum tumulum scaturiant; à Philippo Alexandri M. patre de nomine suo appellata, teste Appiano de Bel. Civ. l. 4. qui situm ejus describit. Φίλιππος ᾗ ὡς εὐφυὲς ἐπὶ Θρᾷκας χωρίον ὠχύρωσέ τε καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ Φιλίππους προσεῖπεν. Ἔστι τε, δὲ ἡ πόλις ἐπὶ λόφου περικρήμνου, τοσαύτη τὸ μέγεθος, ὅσον ἐστὶ τοῦ λόφου τὸ εὖρος. *Hunc locum, ut opportunum bello adversus Thraces gerendo, Philippus muniit; & appellavit de suo nomine. Sita est urbs in prærupto tumulo; totam ejus latitudinem occupans*, &c. Lupa cum puerulis solenne est Coloniarum symbolum, de quo passim.

Hic nummus minimæ formæ pro raro & conspicuo numerandus.

TROAS.



COMMODO CAESARI. AVG. F. GERM. SARM. Caput Commodi nudum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troadensis.* Apollo stans in cippo, dextrâ pateram, lævâ arcum, in aliis ad imum basis ara ignita, pone quam laurus.

Troadenſes Commodo Cæſari patre vivente nummos dedicarunt; nam M. Aurelius tribunitiam poteſtatem ipſi communicaverat, nummis & Capitolino teſtibus. *Commodum deinde ſibi Collegam in tribunitiam poteſtatem junxit.* Frequens Apollinis in Troadenſium nummis typus ſummâ veneratione in eorum urbe cultum docet, de quo in M. Aurelio dictum eſt; Apollo quidem in aliarum urbium nummis lauri ramum aut lyram gerit, & tripus ei comes ut plurimum datur, ſed Troadenſes illi arcum præſertim tribuunt.

Hic nummus mediæ & tertiæ magnitudinis pro raro habendus.



COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Silenus ſtans, dextrâ elatâ, humero lævo utrem hircinum gerit.

Severus, à morum asperitate, 48. 77
Sextia gens, plebeia, 26
Sextum Firmum Julium urbs Hisp. Bæticæ, 64
Sextus, prænomen à numero, 69. 89
Sicambri, Hispaniæ populi, 11
Sicilia cum Sardinia, quando Augusto cessit, 6
Sicoris, fluv. Hisp. Tarraconensis, 36
Siculi, à quo cives Romani facti, 52
Signum Æsculapii cum Hygeia apud Corinthios, 200
Æsculapii Patris, ex adversa fori regione, 216
Bacchi, Corinthi geminum, 182
Dianæ Laphriæ, Patris, 194
Veneris armatæ apud Corinthios, 201
Signum militare, Coloniæ militaris symbolum, 16. 21. 102. 189. 218.
Cohortium insignia, 64
Silanus à filo dictus, cognomen Juniæ gentis, 114
Silanus, Consul cum Augusto, 44
Silenus, Bacchi nutricius & pædagogus, 194
Bacchum ad virtutem & gloriam excitavit, 220
vites coluit, 194
utrem hircinum humeris gerit, ibid.
in Troadensium nummis M. Aurelio cusis, ibid.
Commodo, 220
Silus, à naso sursum repando, 114
Simpulum, vas non cyatho dissimile, 41
collegii Pontificum insigne, 10. 47
Sinope urbs Ponti, vetustissima Romanorum Colonia, 161. 193
ipsius æra in nummis varia, 193
Hadriano nummos cusit, 161. M. Aurelio, 193
Sisyphus Ephyræ seu Corinthi Rex, 187. 200
Æoli filius, Melicertæ patruus, 187
Sol unde dictus emissor, 156
tutelaris Corinthi Deus, 119. 156. 181.
ipsi Acrocorinthus adjudicata, 32
illius aræ in Acrocorintho, 156
quadrigas agit in nummis, 181. 199
flagrum gerit tanquam auriga, 181
caput ejus in nummis Æliæ Hadriano cusis, 153
idem in Corinthiis, 181
Solstitium hibernum à Capricorno, 39
Sosius M. Antonii Præfectus, 8
Ezech. Spanhemius, de nummis bene meritus, de iis eruditè disseruit, 126
Sparsus, cognomen Fulviæ gentis, 39
Spica, frumenti copiam arguit, 59
Spolia leonis, Herculis insignia, 182
Jac. Sponius D. M. de re nummaria bene meritus, 106
Statia gens, plebeia, 19
Statilius Taurus cum Augusto Consul, 44
Statua Jovi Liberatori à Patrensibus posita, 123
Apollinis in Patrarum Odeo, 172
Augusti in Cæsareæ Palæstinæ templo, 168
eidem à Philippensibus posita, 159
à Turiasonibus Hispaniæ erecta, 83
Liviæ ab Uticensibus, 87
Tiberio & Sejano conjunctim, 66
equestris Tiberio cur à Cæsaraugustanis, 70
Neroni à Patrensibus, 122
Steropes unus ex tribus Cyclopibus, 185
Stobi, urbs Macedoniæ regionis Pelagoniæ, 143
eadem, Flaviæ gentis studiosa, 136. 147
nummos dicavit Vespasiano, 132. Tito, 135
Domitiano, 143. Trajano, 149
Stratonis turris, urbs Palæstinæ, cur Cæsarea dicta, 48
Suffetes, Carthaginis summi Magistratus, 49
non dissimiles Consulibus, 90

Suillia gens, à ſuibus dicta, 19
Sulca, cognomen Bæbiæ gentis, 22
Sulpicia gens, patricia, 85
C. Sulpicius ſub Tiberio Conſul, 82
Sura, cognomen à ludo ſpheræ, 39. 80
Surdaones Hiſpaniæ populi, 36
Syracuſani Corinthiorum Coloni, 192. 212
Syria pro Othone contra Vitellium ſtetit, 129
interfecto rectore defectionem cogitat, 198
ipſi cudendæ monetæ facultas à Pompeio M. conceſſa, 129

T

TAbula Veneris è mari exeuntis, 114
Tacfarinas in Numidia rebellavit, 87
Tadia gens, incerta, 88
S. Tadius Uticæ Duumvir, *ibid.*
Tadder, fluvius Hiſp. Tarraconenſis, 77
Tagus, fluvius Luſitaniæ, 34. 61
Tampilus, cognomen Bæbiæ gentis, 22
Tarquinius Rex paludamentum à Tuſcis devictis ſumpſit, 84
Tarracina, gentis Corneliæ cognomen, 29. 95
Tarraco, urbs & Colonia Hiſp. citerioris, 44
à Scipione Africano condita, *ibid.*
Victrix, à felici quodam eventu dicta, 61
contra Pompeii legatos ad Cæſarem tranſiit, 44
Auguſti ſtudioſiſſima, 35. 61
ipſi legatos cur Romam miſit, 45. 53
Tauromenitæ Cretenſium Coloni, 192
Taurus inter aſtra conſtitutus, 106
Taxilus, cognomen à tali vitio, 89
Tecteri, Hiſpaniæ populi, 11
Teleſia, urbs & Colonia, 6
Templorum cura, penes Cenſores & Duumviros Quinquennales, 26. 27
Templum Æſculapii Corinthi, 152. 162
Apollinis, Antiochiæ Syriæ, 181
ejuſdem, Delphis à Nerone ſpoliatum, 128
Patris, in foro, 172
ejuſdem cum Venere, eodem loco, 216
Aſtartes, Æliæ Capitolinæ, 166. 176
ejuſdem, Beryti in Commodo, 208
Auguſti in plurimis urbibus, 37. 132
apud Corinthios, 32. 74
ipſi, à Tiberio Romæ dedicatum, 40
apud Stobenſes Macedoniæ, 133. 149
ejus æternitati apud Tarraconenſes, 45. 63
ipſius Genio dicatum, 122
Bellerophontis, apud Corinthios, 157. 170
Dianæ, in Agra terræ Atticæ regiuncula, 205
Dianæ Laphriæ apud Patrenſes, 123
Dianæ Priapinæ in Ponto, 193
Flaviæ gentis, Romæ, 143
Fortunæ apud Corinthios, 158
ejuſdem Romæ ab Hadriano, 161
Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali, 121
Jovis à Baccho in arena ædificatum, 132
Capitolini, Æliæ Capitolinæ, 153. 176
ejuſdem apud Corinthios, 155
Romæ à Domitiano erectum, 143
Jovis Cuſtodis Romæ ab eodem, *ibid.*
Jovis Eleutherii à Platenſibus, 123
Jovis Olympii apud Athenienſes, *ibid.*
Iſidis apud Corinthios, 151
Liviæ, 36
ejuſdem ſub Pietatis Auguſtæ nomine, 50
Melicertæ apud Corinthios, 184. 200
Mercurii in Acrocorintho, 212
in foro Corinthi, 182
apud Patrenſes, 216
Minervæ apud Corinthios, 191
ejuſdem apud Patrenſes, *ibid.*
Neptuni in Iſthmo Corinthi, 169
ejuſdem in Lechæo, *ibid.*
Octaviæ Auguſti ſororis apud Corinthios, 32
Pacis Romæ à Veſpaſiano, 148
Portuni Romæ, 170
Romæ Æternæ ab Ant. Pio, 205
Serapidis extra Alexandriæ muros, 176
Sileni in Eleorum urbe, 220
Veneris in Acrocorintho, 32. 157. 203
Melanitidis cognomine in Cenchræis, 170. 186
ejuſdem Romæ in theatro Pompeii, 186
Paphiæ apud Cyprios, 93
Terentia gens, plebeia, 36
à Tereno voce Sabina, quæ molle ſignificat, 78
Teucer Telamonis filius, 93
Tharrus Abrahami pater anno 205. mortuus, 210
Thaſus, urbs à Pariis condita, 189
Thera, fluvius Hiſpaniæ, 11
Therebes, fluvius Hiſpaniæ, 64
Theſeus Iſthmiorum ludorum in Neptuni honorem inſtitutor, 188
Thurium, urbs magnæ Græciæ, 4
Thyrſus, Bacchi inſigne, 165. 182
Tiberinus unde dictus, cognomen Semproniæ gentis, 13
Tiberis, fluvius Italiæ notiſſimus, *ibid.*
Tiberius, prænomen Clodiæ gentis, 16
Tiberius, ab Auguſto quando adoptatus, 44. 81
Imperium Liviæ matri debebat, 67
templum Auguſti inchoavit, 15
ob matris, morbum Romam properat, 82
nullum per ſe bellum Imperator geſſit, 64
an deduxerit Colonias, 63
nullum Imperatoris titulum, Germanico mortuo, conſequutus eſt, 85
Druſo filio defuncto, Germani filios patribus commendavit, 98
Neronis & Druſi Cæſarum diem tyrocinii congiario celebravit, 99
ob illos Diis commendatos valde commotus, *ibid.*
Domui Germanici nunquam mitis, *ibid.*
Sejanum litteris apud Senatum accuſavit, 70
Corinthi Duumvir renunciatus, 74
Quinquennalis in Colonia, 75
valetudine proſperrima uſus eſt, 67
Timotheus, à ſacrificiis Ptolemæi Regis, 161. 193
Tingeterra, vetus nomen Juliæ Traductæ, 46
Tingis, urbs Mauritaniæ Tingitanæ, 105
Tingitani, ex Julia Traducta in avitas ſedes reducti, *ibid.*
Tiridates Vologæſis Parthorum Regis frater, 180
Titia gens, plebeia, 18
Titullus, cognomen Minatiæ & Vibiæ gentis, 102
Titus, prænomen à quo, 7. 67
Titus, patris legatus Antiochiam venit, 134
Judæos didrachmum pendere juſſit, 175
cum patre omnium Imperii curarum particeps, 134
quas Colonias conſtituit, *ibid.*
VI. Conſulatum geſſit cum patre, 135
VII. eundem etiam cum illo iniit, 134
Domitiani fratris amicitiam precatus eſt, 136
ſolus duos annos regnavit, 134
Toga unde dicta, & ejus forma, 120
ipſius uſus in pace, *ibid.*
virilis Neroni maturè conceſſa, 112
Traducta urbs gemina, 46
una Bæticæ, à Traductis civibus dicta, *ibid.*
Traductani, in Turdulis à Ptolemæo locati, 58
Trajanus, princeps ab omnibus deſideratus, 149
ex Germania anno imperii ſecundo redit, 148
Daciam Imperio acquiſivit, 149
ex Armenia victor regreſſus, 146
Athenas inviſit, 152
Aſiam peragravit, 149
in Syriam bellum cum Parthis geſturus profectus eſt, 146
Conſulatum VI. cum Vergiliano Pedone iniit, *ibid.*
Imperii limites longè propagavit, *ibid.*
duas legiones inſtituit, *ibid.*
plurimas Colonias deduxit, *ibid.*
Tranquillus, à quietis moribus, 65
cognomen Plætoriæ gentis, 24
Tribunitia, poteſtas Imperii ſucceſſori communicata, 55
in quinquennium Agrippæ, ab Auguſto conceſſa, 57

Tito, à Vespasiano patre data, 134
in omnibus Imperatorum nummis valde exoptanda, 184
Tridens, peculiare Neptuni symbolum, 11
triplicem aquæ naturam denotat, 146
Trinacria, cur appellata Sicilia, 39
Triquetra, Siciliæ symbolum, ibid.
Triremes, nostris navibus utiliores, 120
in nummis urbis situm arguunt, 80
cum remigantibus in Carthaginensibus, 210
Triton, Neptuni & Salaciæ nymphæ filius, 113
Triumphus M. Aurelii & L. Veri, 199
à Romanis quomodo celebratus, 202
geminus Domitiano, à Senatu decretus, 140
Triumviri deducendæ Coloniæ, 13
Troas, à Trojæ ruderibus Alexandri jussu, condita, 161
ex augurio deinde ædificata, 223
Julio Cæsari grata, 222
Colonia ab Augusto deducta, 151
se Romanæ originis parentem jactat, 220
nummos Trajano percussit, 149. Hadriano, 161. Ant. Pio, 173. M. Aurelio, 193. Commodo, 219. Crispinæ, 223
Troezenii tridentem pro Neptuno signarunt, 185
Trophæum, arboris truncus hostium spoliis ornatus, 176
ad provinciarum adquisitarum memoriam erectum, 198
Tubertus, cognomen Postumiæ gentis, 21
Tuderte Fida, urbs & Colonia, 6
Tulcis, fluvius prope Tarraconem, 44
Tullus, prænomen gentis Niceroæ, 13
Turditani & Turduli iidem, 58
Hispaniæ Bæticæ populi, 59
vino plurimo abundant, 58
Turias, Hisp. citerioris fluvius, 4
Turiaso, urbs & Municipium Hisp. Tarracon. 47
Turulbia gens, parum nota, 27
Turulis, fluvius Hispaniæ Tarraconensis, 79
Tusculum, urbs & Municipium Latii, 19
Typhon Gigas Deos perterruit, 39

V

Valentia, urbs Hisp. Citerioris à Pompeio deleta, 4
Colonia à Julio Cæsare deducta, ibid.
ab Augusto pro horreo & apotheca constituta, 12
Valeria gens, è Sabinis oriunda, 17
inter patricias & plebeias divisa, 25. 84
Valerius, cognomen à medio quodam temperamento decorum, 84
Varia gens, plebeia, 85
Q. Varius Sucronensis, cognominatus Hybrida, ibid.
Varus, cognomen à curvis cruribus desumptum, 19
Vascones, Galliæ populi, 24
Vates, qua ratione factus Apollo, 223
Vegetus, cognomen à bono animi seu corporis habitu, 84
Vehicularius cursus à Nerva remissus, 221
Velorum inventrix ad navigationem Isis credita, 151
Velum, divinitatis symbolum, 50
Venafrum, urbs & Colonia Samnii, 6
Venationem primùm exercuit Diana, 205
Ventidius M. Antonii Præfectus, 8
Venus Jovis ex Dione nympha filia, 216
ex spuma maris genita, 113
variis nominibus appellata, 186
Anadyomene, quod ex mari exiret, 113
Aphrodite cur & Pelagia, ibid.
Architis, unde dicta, 208
Melanitis apud Corinthios, 201
Victrix in nummis, 186. 201
Amorum, Gratiarum, & pulchritudinis Dea, 119
Acrocorinthi tutelare numen, 113
à quo tutelam accepit, 186
Adonim Amasium flevit, 155
Cupidini clypeum porrigit, 201
clypeos cudere docuit, 207
in curru à Tritone & una ex Nereidibus vecta, 113
in Agrippinæ nummis, 112. 113. Neronis, 119
in templo nummi M. Aurelio dicati, 176
ejus signum in foro Corinthi, 170
templum ejus in Cenchræis, 113
Vergentum urbs, postea Julii Genius, 46
Vergilianus Pedo Consul cum Trajano terræ motu extinctus, 146
Verria gens, incerta, 17
Verulæ urbs, & Colonia in Latio, 144
Verus Ælii Cæsaris F. per adoptionem ad imperium evectus, 198
sub Ant. Pio pro Augusti filio tantum habitus, 196
post ejus mortem Cæsaris nomen gessit, ibid.
M. Aurelii in Imperio consors, 175
ejus habitus robustus & ad rem militarem aptus, 181
bellum Parthicum suscepit, 176
in Apulia venando tempus terebat, 198
apud Canusium ægrotavit, 200
Corinthum adiit, 180. 198
in Syriam venit, 200
Antiochiæ mansit initio belli Parthici, 197
ad Euphratem usque progressus, 197
per legatos maximam belli partem confecit, 201
regna Regibus, & provincias legatis suis regendas dedit, 202
Armeniaci & Parthici nomina adeptus est, 201
Carrhas & Singaram Colonias annuente Marco, constituit, 196
de Parthis triumphavit, 202
luxuriæ deditus, 201. 203
omnibus deliciis, ludis, & locis decenter aptissimus, 21
Eques barbarum impetens, in Corinthiorum nummis signatus, 201
quadrigas agit triumphales, 202
Romæ coronam imponit in nummis Patrensibus, 204
Vespasianus, Alexandriæ Serapidem consulit, 198
Antiochiam urbem restituit, 137
Cæsaream Palæstinæ, Coloniam deduxit, 195
capitis tributum Cæsariensibus remisit, 135
templum Pacis magnificentissimum Romæ construxit, 148
vectigalia à Galba omissa revocavit, 132
Græcis libertatem ademit, 133
tres Legiones instituit, 131
Veterani plurimi devicto Antonio in Colonias ab Augusto missi, 56
Berytum Coloni ab eo traducti, 11
Vettia gens, plebeia, 17
Vettiacus, nullibi memoratus, 69
Vetus, cognomen Antistiæ gentis, 22
Vexillum, militaris Coloniæ symbolum, 10. 64. 149
aræ impositum, pro signo deductæ Coloniæ, 19. 135
Vibenna Etruscus Cælio monti Romæ nomen indit, 53
Vibia gens, plebeia, sed consularis, 89
à Vibo Brutiorum urbe dicta, 31
Vibius habitus Consul, 92
Vibius Marsus Germanici Legatus, 85
Africæ Proconsul, 87
in Smyrnæorum causa sententiam in Senatu dixit, 87
Vibus Brutiorum urbs, 31
Victimarius in Corinthiorum nummis, 187
Victores ludorum Isthmiorum pinu coronabantur, 204
Victoria gradiens, quid denotat, 196
cur ei pennæ datæ, 148
Astarti coronam cur imponit, 213
in bigis, in memoriam Agonis Capitolini; 213
in Æliæ Capitolinæ nummis L. Vero dicatis, 196
in Corinthiorum nummis Commodo cusis, 213
Victrix & Julia, cur urbs Celsa dicta, 28
cur Oscæ, Victricis nomen, 38
Viduæ Cererem in Africa venerabantur, 189
Vinicia gens, plebeia, sed consularis, 119
M. Vinucius Tiberii progener, 40
Vinum in utre hircino repositum, 194
rixas & lites excitat, 182
Vipsania gens, inter incertas recensita, 32
Vipsania Agrippina, Tiberii uxor, 55
Virga Mercurio ab Apolline data, 182
Virgo currum agit in Patrensibus nummis, 190
Virtus Julia, olim Ituci urbs, 46

Virtus Augusti, quomodo in nummis signata, 201
Vitellius sub Claudio Censor, 109
Vitellius in Germania Imperator electus, 129
ipsius nummi in Coloniis hactenus non observati, ibid.
Vites jussit exscindere Domitianus, 139
Vitis plantandi ratio Baccho tributa, 182
Ulabra, urbs & Colonia, 6
Ulpia Tamucas, Colonia in Numidiam à Trajano deducta, 146
Ulpia Trajana, Colonia in Gallia Belgica ab eodem constituta, ibid.
Ulpia Trajana Hadrumetina, in Byzacena Asiæ Colonia, à Trajano facta, ibid.
Ulpia Trajana Zarmis Ægethusa, Colonia in Dacia à Trajano condita, ibid.
Volaterra, urbs & Colonia Hetruriæ, 6
Volagæsus Romanis bellum indixit, 175
ipsis dat obsides, 180
cum iis amicitiam redintegrat, ibid.
Volumnia gens, plebeia, sed Consularis & Censoria, 125
Vota Marti pro salute & reditu Augusti, 107
pro reditu Claudii ex Britannia, ibid.
Urbes de antiquitate inter se disputare solebant, 162
maritimæ, Neptuni studiosæ, 142
Urbs magna, cur Osca dicta, 38
Usipetes, Hispaniæ populi, 11
Utica contra Pompeium Julio Cæsari adhæsit, 85
Municipium ab ipso factum, ibid.
ei jus civitatis ab Augusto concessum, ibid.
illius Duumvirorum nomina separatim in nummis, 89
Uvæ racemus quid denotet in nummis, 55
Vulcanus, Cabirorum pater, 185
Uxores Drusi & Germanici inter se discrepantes, 90
Weheler Eques Anglus peregrinationes suas cum nummis vulgavit, 142

Z

Zelitani Africæ in Hispaniam traducti, 46
Ζεὺς Ἐλευθέριος, ab Atheniensibus cultus, 122

ERRATA.

Pag. 2. *lin.* 14. *lege* 494.
6. *lin.* 21. *lege* ἐνεχρόνισε, *lin.* 22. *lege* παρεδόθωσι.
9. *lin.* 18. *lege* Legionis,
13. *lin.* 1. *lege* DIVI F.
15. *lin.* 31. *lege* L. IVVENT.
22. *lin.* 33. *lege* ἐπιδεσμῶν.
24. *lin.* 32. *lege* Prudentius *lin.* 37. prænomen.
30. *lin.* 19. *lege* Heraclito.
37. *lin.* 36. *lege* ordinatè.
39. *lin.* 40. *lege* admiratus.
45. *lin.* 13. *lege* majoris.
46. *lin.* 37. *lege* Bocharto.
48. *lin.* 46. *lege* collocari. *ibid.* nimiæ nos fiduciæ.
51. *lin.* 23. *lege* ITALIC. *lin.* 30. Αὐγουστείῳ. *lin.* 31. Liviam.
65. *lin.* 20. *lege* Phœniciâ.
93. *lin.* 21. *lege* ΑΝΘΥΠΑ. *lin.* 25. Veneris.
97. *lin.* 10. *lege* Pandatariam.
99. *lin.* 37. AVGVSTALI.
104. *lin.* 7. *lege* ὑπατεῦσι.
109. *lin.* 40. *lege* ἀντέδωκε.
113. *lin.* 7. *lege* Cenchræis.
132. *lin.* 6. *lege* Samum, *lin.* 8. *lege* Trachæam.
133. *lin.* 41. *lege* ἄποικος, *lin.* 4. *lege* Samum.
138. *lin.* 33. *lege* dedidisse.
141. *lin.* 16. *lege* Samum, *lin.* 20. πωπεδῶσιν.
143. *lin.* 29. *lege* gentis.
146. *lin.* 16. *lege* Imperii adeptionem.
151. *lin.* 14. *lege* hoc se.
151. *lin.* 18. *lege* Pharia.
153. *lin.* 5. *lege* COILLU.
154. *lin.* 3. *lege* Τὰ ἱερά.
154. *lin.* 36. *lege* Illa in Ascalonitarum nummis, superiore.
154. *lin.* 36. *lege* & infimâ, piscis exhibetur.
157. *lin.* 17. *lege* φιλόθηρος.

NUMISMATA
ÆREA
IMPERATORUM,
AUGUSTARUM ET CÆSARUM,
IN COLONIIS ET MUNICIPIIS
Ex omni modulo percuſſa.

PARS ALTERA.

Auctore IO-FOY-VAILLANT *Bellovaco, Doct. Med. & Seren. Ducis Cenomanenſium Antiquario.*



PARISIIS,

SUMPTIBUS AUCTORIS,

Apud DANIELEM HORTHEMELS, in vico Jacobæo ſub ſigno Mæcenatis.

M. DC. XCV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



NUMISMATA
IN COLONIIS ET MUNICIPIIS PERCUSSA.

SEPTIMIUS SEVERUS.





UCIUS Septimius Severus Mesopotamiam sub Commodo à Parthis occupatam recuperavit: Colonias *Helviam Ricinam* in Picenum, *Laodiceam* in Syriam, *Nisibim* in Mesopotamiam, *Pataviam* hodie *Passaw* in Noricum, *Rhesainam* in Mesopotamiam, TYRUM in Phœniciam deduxit. Heliopolis Phœniciæ, Carthago, Leptis Magna, & Utica Africæ ab eo juris Italici factæ sunt; Legiones tres nomine Parthicas constituit, primam & tertiam in Mesopotamia, secundam in Italia hiemare jussit.

SEVERI *nummi primæ magnitudinis rari sunt, secundæ & minimæ obvii.*

ÆLIA CAPITOLINA.



IMP. L. SEP. SEVERVS AVG. Caput Sept. Severi laureatum.

COL. AEL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.* Astarte seu Venus tutullato capite stans in templo tetrastylo, dextrâ caput Serapidis, lævâ scipionem, pede fluvio imposito.

Eques Ursatus de Not. Rom. Comment. pag. 97. epigraphen COL. AEL. CAP. COMM. malè *Colonia Ælia Capua Commodiana* interpretatur. Jac. Oiselius tab. 17. num. 4. nummum cum eadem inscriptione perperam ad Hadrianum revocat, & de templo Jovis Capitolini explanat. Com. Mediobarbus pag. 185. illius sententiam sequutus est. P. Harduinus pag. 13. epigraphen nummi mutilam, COL. AEL. COMM. protulit: sed aliud commentum addidit; AEL. MVNIC. COMM. *Ælium Municipium Commodianum*, quasi verò Ælia Capitolina eodem ferè tempore Colonia & Municipium fuerit: posterior quidem nummus, etsi mutilus, ad Municipium Coellutanum Numidiæ pertinet.

Ælia Capitolina Colonia Palæstinæ ab Hadriano deducta, fundatori & adoptivo ejus filio Ant. Pio non modò percussit, sed & M. Aurelio & L. Vero etiam Hadriani jussu adoptatis pariter consecravit: nulli verò Imperat. Commodi Marci filio nobis supersunt, licèt Æliam Coloniam ex Numismatum ipsorum fide *Commodianam* ab ipso dictam noverimus, ob beneficium aliquod in illam ab

eo collatum forſan ſub ejus imperii finem. Cùm autem Severus poſt occiſum Commodum ſolus eorum qui Imperatores Romani fuerant acclamati, ſuperſtes & victor extiterit, Capitolienſes præſertim ipſi, quòd ſe Marci filium & Commodi fratrem aſſeruiſſet, nummos percuſſerunt, Severum lætantes Commodum erga ſe munificentiſſimum Principem inter Divos referri juſſiſſe, ut narrat Spartianus in ejus vita. *Commodum inter Divos referendum cenſuit, quaſi hoc genere ſe de Senatu poſſet ulciſci, primuſque inter milites Divum Commodum pronunciavit.* De Aſtarte ſeu Venere, & de ejus templo, in Ant. Pio abundè dictum, cujus cultum Capitolienſes à Bybliis accepiſſe retulimus.

Hic nummus ſecundæ formæ in rariorum ſerie deſcribendus.

ANTIOCHIA Piſidiæ.



IMP. CAES. L. SEP. SEVERVS. PER. AVG. Caput Severi laureatum.

COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæſarea Antiochenſis.* In area S. R. *Senatus Romanus.* Deus Lunus ſtans cum pileo Phrygio in capite, creſcente Luna dorſo appoſita, dextrâ haſtam, lævâ victoriam, pro pedibus gallus gallinaceus.

Antiochenſes Piſidiæ hunc nummum in Severi honorem poſt Peſcennium & Albinum devictos percuſſiſſe videntur ob victoriam globo impoſitam, quam gerit Lunus ipſorum tutelaris Deus, quaſi Oriente poſt occiſum Peſcennium, & Occidente poſt interfectum Albinum in ejus poteſtate redactis, orbis dominus extiterit, ſeu, ut in nummis inſcribitur PACATOR ORBIS. Antiochiæ Piſidiæ meminit Strabo lib. 12. pag. 569. Τὴν γὰρ Ἀντιόχειαν ἔχων τὴν πρὸς τῇ Πισιδίᾳ. *Cùm enim Antiochiam Piſidiæ conterminam haberet.* In hac urbe Deum Lunum ſummâ veneratione cultum in Antonino Pio diximus, cui comes additur gallus gallinaceus, quòd cùm idem ſit Lunus & Luna, hæc parturientibus favere dicatur, ut & gallum iis adeſſe, facileſque partus efficere narrat Ælianus lib. 5. de varia Hiſt.

Hic nummus majoris formæ inter rariores numerandus.



SEVERVS PIVS AVG. Caput Severi laureatum.

COL. ANTIOCHEN. *Colonia Antiochenſis.* Mulier cum calatho in capite ſtolata ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtra cornucopiæ.

Antiochenſes in nummis Severi Genium urbis ſuæ cum patera ſignare videntur, ut ſacrificia ſe in victoriæ omen perpetraſſe teſtarentur, ipſo in Parthos contendente; nam illi Meſopotamiam occupaverant, dum is Albino bellum intulerat, ut tradit Dio lib. 75. pag. 853. Μετὰ δὲ ταῦτα ὁ Σεβῆρος ἐξεστράτευσε κατὰ τῶν Πάρθων. ἀσχολουμένου γὰρ αὐτοῦ ἐς τοὺς ἐμφυλίους πολέμους, ἐκεῖνοι ἄδειας λαβόμενοι, τήν τε Μεσοποταμίαν εἷλον, στρατεύσαντες παμπληθεί. *Poſt hæc bellum intulit Parthis, qui occupato Severo in bellis civilibus, arreptâ licentiâ Meſopotamiam ceperant, magnis copiis conductis.* Mos enim Romanis erat precari Deos ut felix belli eſſet eventus, adſtipulante Livio Dec. 4. lib. 4. *Res divinas facere majoribus hoſtiis juſſerunt in omnibus fanis, precarique quòd Senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res Senatui Populoque Romano bene atque feliciter eveniret.* Ideò Genius urbis pateram vas ſacrificiis aptum gerit. Ejus meminit Cicero 6. Verr. *Patera quâ mulieres ad res divinas uterentur.*

Hic nummus minimi moduli obvius eſt & tritus.



COL. ANTIOCH. *Colonia Antiochensis.* Mulier ut suprà, dextrâ ramum lauri, sinistrâ cornucopiæ.

Iterùm prodit mulier stolata, quam Isim putat Patinus in Indice, sed Genius Antiochensis sub Romanæ fœminæ habitu; stola enim honestæ Romanæ matronæ vestis fuit, quæ usque ad imos pedes dimissa erat, & cujus extremam partem ambibat instita assuta, quæ erat fasciola quædam sive limbus: eâ utebantur fœminæ Antiochenses ut Colonæ. Hæc lauri ramum, ad indicandam Severi de Parthis victoriam, de qua Herodianus in ejus vita p. 529. Φυγόντος δὲ τοῦ βασιλέως σὺν ὀλίγοις ἱππεῦσι, τοὺς τε θησαυροὺς τῶν χρημάτων αὐτοῦ αἴρουσι, καὶ πάντα τὸν κόσμον καὶ κειμήλια ἁρπάσαντες, ἐπανίασιν· οὕτω μὲν δὴ Σεβῆρος τύχῃ μᾶλλον ἢ γνώμῃ, τῇ κατὰ Παρθυαίων νίκῃ κεκόσμητο. *Tantùm ipso Rege cum paucis equitibus elapso, thesauris illius ornatuque omni & supellectile potiti, victores regrediuntur. Ita Severus fortunâ magis quàm consilio Parthicam victoriam adeptus est.* Laurus ipsa victoriam apud Scriptores significat: triumphantes enim laureâ coronabantur.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 281. vulgatus, frequens est.



GEN. ANTIOCH. *Genio Coloniæ Antiochensis.* Mulier ut suprà, dextrâ temonem, sinistrâ cornucopiæ.

Mulier hæc stolata, pro Genio Coloniæ Antiochensis in superioribus nummis existimata, in hoc tandem Genii nomen præfert: temo autem non ad situm urbis denotandum signatus est; illa enim haud littoralis est, totaque Pisidia mediterraneis limitibus undique circumscribitur, Antiochia verò in colle sita est apud Strabonem pag. 577. H. ἡ ἐπὶ λόφου ἔχουσα, ἀποικίαν Ῥωμαίων. *Hæc in colle, & Coloniam habens Romanam.* Genios autem populi & urbes proprios Deos vocabant, in quorum erant moderamine & tutela, unde Prudentius contra Symmachum lib. 2,

Sic urbibus adfert
Hora diesque suum, cùm primùm mœnia surgunt,
Aut fatum aut Genium, cujus moderamine regnent.

Deos illos Commentator erud. P. Chamillard, ἐθνάρχας, πολιάρχους θεοὺς ex Juliano appellat, *Gentium rectores, urbiumque curatores Genios.* Festus iis dat rerum omnium gerendarum facultatem, ideò forsan Genio temo & cornucopiæ tribuuntur, ad denotandam ejus in terra & mari vim seu potentiam.

Hic nummulus inter raros locum habere meretur.

BERYTUS.



SEPT. SEVERVS AVG. COL. *Colonia.* Caput Severi radiatum.
ANTONINVS CAES. BER. *Berytus.* Caput Caracallæ nudum, ante quod aquila.

In civili bello post interfectum Pertinacem Syriæ Legiones Pescennium Imperatorem proclamarunt, totaque Syria & Phœnicia partibus ejus adhæserunt: sed cùm Severus ab Illyricis electus, à Senatu confirmatus, Æmilianum Pescennii ducem ad Cyzicum delevisset, seditio discordiaque urbes Phœniciæ Syriæque æmulatione quâdam & dissentione invasit, inter quas Laodicea Antiochenorum odio & Tyrus Berytiis infensa, ut tradit Herod. l. 3. p. 518. Λαοδίκεια μὲν κατὰ Συρίαν, Αντιοχέων μίσει, κατὰ δὲ Φοινίκην Τύριοι, Βηρυτίων ἔχθει, μαθόντες τε τὸν Νίγρον πεφευγότα, τὰς μὲν τιμὰς ἐκείνου καθελεῖν ἐπετόλμησαν, τὸν δὲ Σεβῆρον εὐφήμησαν. *Laodicea quidem in Syria, Antiochenorum odio: Tyros autem in Phœnicia, Berytiis infensa, quæ nuntiatâ Nigri fugâ, sublatis illius honoribus, Severo prosperè acclamarunt.* Sed cùm ex Spartiano in vita Caracallæ, Severum filii interventu Antiochensibus pepercisse docemur; ita hic nummus eundem Berytiis veniam dedisse testis est luculentissimus, cujus rei ipsi memores Caracallam in eodem nummo cum Severo patre percusserunt.

Hic nummus minimi moduli in præstantiorum serie collocandus.



IMP. CAES. L. SEVERVS ET ANTON. CAES. Capita Severi laureati & Caracallæ ſine laurea adverſa.

FEL. BER. DECENNALES ANTONIN. COS. III. *Felix Berytus, Decennales Antonini Conſulis tertium.* Aſtarte cum attributis in templo quatuor columnarum coronatur, Victoria columnæ impoſita.

Apud Com. Mediobarbum ex Schedis Sponianis, pro DECENNALES. ANTONINI. AVG. repone ſuperiorem epigraphen.

Berytii in honorem Caracallæ, quòd ejus interventu Severo fuiſſent reconciliati, patrem & filium ex una parte percuſſerunt, ex altera verò in eo ſe vota decennalia pro Caracalla ſuſcepiſſe & ſolviſſe indicantes, ut voces COS. III. denotant. Caracalla autem Tribunitiam poteſtatem agebat decimam, cùm is Conſul III. cum Geta fratre II. factus eſt, ut docent Faſti Capitolini, antequam ipſi in Britanniam cum patre proficiſcerentur. De Aſtarte & ejus templo in Berytiorum nummis ſæpiùs dictum eſt.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ inter rariores reponendus.



IMP. L. SEPT. SEVERVS. AVG. Caput Sept. Severi laureatum. In aliis capita Severi & Caracallæ adverſa.

COL. BER. *Colonia Berytus.* Neptunus ſtans, pede proræ impoſito, dextrâ delphinum, lævâ tridentem.

Dionyſius Afer in Orbis deſcriptione Berytum vocat amœnam, Βηρυτῦ τ᾽ αἶαν ἐραννὴν *Berytique terram amœnam*: quod Ammianus Marcellinus ſuo ævo confirmat, eamque inter celebres Phœniciæ urbes collocat. *In quibus*, ait, *amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon & Berytus.* Erat enim in littore Phœniciæ ſita, teſte Scylace in Deſcriptione Syriæ & Phœniciæ, ut & Mela lib. 2. cap. 6. *Et in ora ejus urbes Seleucia, Paltos, Berytus, &c.* Ideò Berytus Neptunum maris Deum pro tutelari Numine venerata eſt; ille forſan iratus, quòd Tryphon Syriæ Tyrannus urbem, ut ex Strabone colligimus, diruiſſet, Tryphonianos milites per maris fluctus in terram irruentes, alios in mare abreptos, alios in locis concavis relictos ſuffocavit: unde Sarpedon Demetrii dux Neptuno ſacrificavit, teſte Athenæo lib. 8. cap. 2. Καὶ οἱ περὶ τὸν Σαρπηδόνα ἀκούσαντες τὴν συμφορὰν, ἐπελθόντες, τοῖς μὲν τῶν πολεμίων σώμασιν ἐφήσθησαν, ἰχθύων τε ἀφθονίαν ἀπηνέγκαντο, καὶ ἔθυσαν ΠΟΣΕΙΔΩΝΙ ΤΡΟΠΑΙΩ πρὸς τοῖς προαστείοις τῆς πόλεως. *Quam Tryphonis calamitatem Sarpedon cùm intellexiſſet, eò celeriter reverſus, hoſtium quidem corporibus pepercit, piſces verò abundè multos collegit, & ante ſuburbium oppidi* AVERSORI NEPTVNO *ſacrificavit.* De ejus Tridente, & Delphino ipſi dicato, dictum eſt.

Uterque nummus minimi moduli, prior obvius eſt; poſterior rariſſimus.

CARRHÆ.



СЕП. СЕОΥΗΡΟС. СЕ. Caput Severi laureatum.

ΚΟΛ. ΚΑΡΡ. Κολωνία Καῤῥηνῶν. *Colonia Carrhenorum.* Creſcens Luna cippo impoſita, ante quam caput turritum.

Carrhæ, urbs Meſopotamiæ ad Chaboram fluvium, de qua in M. Aurelio, L. Vero & Commodo diximus, à divis Fratribus Colonia facta, nummos Severo dedicaſſe videtur, cùm ille in Meſopotamiam venit contra Vologæſem Parthorum Regem; ſed ut ait Xiphilinus in Epiſt. Dionis. Τῶν δὲ Παρθῶν οὐ μεινάντων αὐτὸν, ἀλλ᾽ οἴκοι ἀναχωρησάντων. *Parthi adventu Severi minimè expectato, domum ſunt reverſi.* Severus Seleuciam & Babylonem cepit, Cteſiphontem diripiendam dedit militibus: ſed induciis cum Vologæſe Rege conſtitutis, Imperator receſſit, & poſt Atram Barſemii Regis urbem fruſtrà tentatam, in Palæſtinam contendit. Carrheni creſcentem Lunam in nummo ſignarunt, & ex adverſo caput turritum, ut ſingularem ſuam erga Deum Lunum & urbis Genium tutelare Numen venerationem indicarent.

Hic nummus infimæ molis inter raros recenſendus.



ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ. ΙΟΥ. ΔΟΜΝΑ. Capita Sept. Severi & Juliæ ejus uxoris adversa.
ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝ. Κολωνίας Καῤῥηνῶν. *Coloniæ Carrhenorum.* Caput Caracallæ, ex adverso crescens Luna in qua astrum.

Carrheni in hoc nummo imperialem familiam signarunt, in rei fortè memoriam quòd Severus in Mesopotamiam contra Parthorum Regem profectus, unà cum Julia uxore & Caracalla filio in urbem suam venerit; vel forsan Caracalla in aversa parte signatus est, quòd milites illum ob Parthicam victoriam Imperii participem appellarint, ut Spartianus innuit in vita Severi *Æstate igitur jam exeunte Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso Rege pervenit & cepit... & Parthicum nomen meruit. Ob hoc etiam filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum decimum-tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites.* Crescens Luna cum astro ad Dei Luni cultum, de quo in M. Aurelio & Vero dictum est, spectat.

Hic nummus minimi moduli rarissimus est.

CASSANDRIA.



IMP. L. SEP. SEVER. Caput Severi laureatum.
COL. I. AVG. CASS. in aliis C. IVL. AV. CASSAN. *Colonia Julia Augusta Cassandrensis* Caput Jovis Ammonis.

Cassandria urbs est Macedoniæ, de qua Livius Dec. 5. lib. 4. *Condita est à Cassandro Rege in ipsis faucibus quæ Pallenensem agrum cæteræ Macedoniæ jungunt, hinc Toronaico, hinc Macedonico septa mari. Eminet namque in altum lingua in qua sita est.* Opportunus itaque situs in causa forsan fuit, cur Julius Cæsar urbem constituerit Coloniam, & Augustus eam novis iterum frequentarit Colonis, unde illi *Juliæ* & *Augustæ* nomina. Hæc Severo nummos cusisse videtur ad obsequium ipsi in bello civili indicandum: nam ille in provincias proximas milites miserat, ne eas Pescennius invaderet, teste Spartiano in Severi vita. *Miserat sanè Legionem quæ Græciam Thraciamque præriperet, ne eas Pescennius occuparet: sed jam Byzantium Niger tenebat.* De Jovis Ammonis in Cassandrensi Colonia cultu vide Claudii & Neronis nummos.

Hic nummus minutus pro raro notandus.

CORINTHUS.



L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. III. Caput Severi laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Hercules, sinistrâ axillâ clavæ impositâ.

In civili bello Severi contra Pescennium, Græcia prioris partibus adhæsit, Corinthusque nummos ipsi dedicavit, & hunc præcipuè cum titulo Imperatoris tertium, quem exercitu Pescennii in Bithynia deleto reportavit. Corinthii inter plurimos quos venerarentur Deos, Herculem in aversa parte signasse videntur, Severo blandientes, quòd ille eum præcipuè coleret, cujus testes sunt illius nummi S. C. percussi, in quibus hæc epigraphe, DIIS AVSPICIBVS, cum Hercule & Baccho, quod confirmat Xiphilinus in Ep. Dion. in ejus vita pag. 424. Καὶ πολλὰ μὲν οἰκοδομήματα ἐκαίνισε, πολλὰ δὲ καὶ ἐπεσκεύασεν· ὅς γε καὶ τῷ Διονύσῳ καὶ τῷ Ηρακλεῖ νεὼν ὑπερμεγέθη ᾠκοδομήσατο. *Nova ædificia extruxit, vetera restituit: quippe Baccho & Herculi templum maximum ædificavit.* Vide quæ de Neptuno in Corinthiorum nummis M. Aurelio dicatis diximus.

Hic nummus secundæ & minimæ magnitudinis pro raro habendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Bellerophon decertans contra Chimæram.

Cicero pro Lege Manilia Corinthum *totius Græciæ lumen* appellat, cujus ſitum deſcribit in Lege Agrar. ad Pop. *Erat enim poſita in anguſtiis atque in faucibus Græciæ, ſic ut terra clauſtra locorum teneret, & duo maria maximè navigationi diverſa pænè conjungeret cum pertenui diſcrimine ſepararentur.* Opportunus loci ſitus urbem in eo jam Moyſis circa tempora condendi occaſionem dedit, ut liquet ex Euſebio in Chron. *Corinthus condita eſt, quæ priùs Ephyra vocabatur*, anno M. 2486. ante Chriſt. 1517. ab Ephyro Myrmecis uxoris Epimethei filio, ut Stephano videtur: ſed Euſtathius ad Iliad. B. pag. 290. aliter ſentit. Ἐκαλεῖτο δέ φασι ἡ Κόρινθος ποτὲ καὶ Ἐφύρα ἀπὸ Ἐφύρης τινὸς ἡρωΐνης. *Vocatur verò, inquiunt, Corinthus, quæ & Ephyra ab Ephyra quadam Heroïna.* Illam Pauſanias Oceani filiam vocat, urbs tandem *Ephyra* à Corintho Marathonis filio *Corinthi* nomen habuit. Corintho autem ſine liberis mortuo, Corinthus Siſypho Æoli filio ceſſit, cujus nepos Bellerophontes ob egregia belli facinora à Corinthiis pro Deo habitus eſt, in cujus memoriam poſt tot ſæcula illum contra Chimæram certantem in nummis ſignarunt, ſi quidem ille an. M. 2660. ante Chr. 1343. florebat, ut tradit Simſonius in Chron. part. 2. De Chimæra abundè dictum eſt.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ obvius eſt.



L. SEVER. AVG. IMP. VIII. Caput Severi laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Puer nudus Delphino ſubſtratus, prope arborem.

Corinthii plurimos nummos Severo dedicarunt cum titulo Imperatoris III. ipſi ob Peſcennii exercitum in Bithynia profligatum delato: hunc verò nummum cum IMP. VIII. ob expugnatum Byzantium percuſſerunt, quod ejus facti fama longè citiùs ad ipſos quàm aliorum belli facinorum ab Imperatore editorum pervenerit. Cùm de Melicerta ſæpiùs dictum ſit, ipſius etymon examinandum liceat. Ino mater ejus, Cadmi filia, Agenoris Tyri Regis neptis, Herculis patrui Numinis cognomentum filio indidiſſe videtur, Tyrius ille Hercules Phœnicum linguâ Μέλκαρθος vocabatur, ut docet Euſebius Præp. lib. 1. *Melcarthus, eſt Melec Cartha, rex urbis,* Quod magnus haberetur Patronus civitatis ipſorum & tutelaris Deus.

Hic nummus ſecundi & minimi moduli, à Patino vulgatus pag. 282. *non obvius eſt.*



L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. III. Caput Severi laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Templum rotundum à latere cum Delphino in corona, ante quod taurus & arbor.

Templum illud rotundum Melicertæ eſt, jam ejus figura in M. Aurelii nummis vulgata eſt, in cujus medio ipſe Delphino ſubſtratus exhibebatur; arbor illa videtur eſſe pinus, ſub qua Melicertæ corpus ad maris littus inventum eſt; taurus ad ſacrificium in hoc templo perpetrandum ſpectat, fortaſſe ob ludos Iſthmicos in Melicertæ honorem hoc anno celebratos, quos Siſyphum Corinthi Regem in nepotis memoriam inſtituiſſe narrat Pauſanias lib. 2. Glaucus Siſyphi F. in patruelis honorem illos continuavit, ſi quidem apud Clementem notat vetus Chronologus. A raptu Ganymedis ad expeditionem Perſæi. Ὅτε καὶ Γλαῦκος ἐπὶ Μελικέρτῃ τὰ Ἴσθμια ἔθηκεν. Anni ſunt quindecim, imò Corintho à Romanis excisâ ludi non intermiſſi ſunt, ſed Sicyoniis, quibus majorem agri partem conceſſerat Mummius, eorum cura commiſſa eſt. Verùm hæc urbs à D. Cæſare reſtaurata, eademque Colonia facta, priſtino ludorum honore inſignita eſt, ut tradit Pauſanias in Corinth. p. 88. ὁ δὲ Ἰσθμικὸς

ἀγὼν

ἀγὼν ἐδὲ ἀναςάντων ὑπὸ Μεμμίε Κορινθίων ἐξέλιπεν. Ἀλλ' ὅσον μὲν χρόνον ἠρήμωτο ἡ πόλις, Σικυωνίοις ἄγειν ἐπετέτραπτο τὰ Ἴσθμια οἰκισθείσης δὲ αὖθις, εἰς τὰς νῦν οἰκήτορας περιῆλθεν ἡ τιμή. *Isthmici ludi ne excisâ quidem à Mummio Corintho, intermissi sunt : sed etiam in ipsa urbis vastitate, ut eos faciundos curarent, datum negotium fuit Sicyoniis. Restitutâ Corintho, ad eos qui nunc sunt inquilinos pristinus honos rediit.*

Hic nummus mediæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 282. in rariorum serie scribendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Minerva stans, dextrâ Victoriam, lævâ hastam; pro pedibus hinc noctua, in aliis ara, inde clypeus.

Minerva summo honore Corinthi culta fuit, si quidem in foro ejus statua posita erat, & templum in via quæ ab Isthmo Cenchreas ducit exstructum, in quo signum ejus pervetus ligneum. De statua quæ in foro conspiciebatur audias Pausaniam lib. 2. p. 89. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐστὶν Ἀθηνᾶ χαλκῆ, τῷ βάθρῳ δὲ αὐτῆς ἐστι Μουσῶν ἀγάλματα ἐπειργασμένα. *In medio foro est Minerva ex ære, in cujus basi Musæ inscalptæ sunt.* Minerva in primis Pallas dicta est variis de causis, inter quas, ἀπὸ δὲ πάλλειν τὸ δόρυ, à vibranda & concutienda hasta, ideò Bellatrix à Silio lib. 3. dicitur.

Hinc qui stagna colunt Tritonidos alta paludis
Qua virgo (at fama est) Bellatrix edita lympha.

Corinthii ipsi Victoriæ signum in manu posuerunt, Severo gratulantes ob victoriam de Pescennii duce relatam, propter quam nummus Severum indicat Imperatorem tertiò fuisse proclamatum.

Hic nummus secundi moduli pro raro notandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mulier stans, altero pede supra petram, altero suspenso, dextrâ puerulum brachia extendentem, & non Victoriam ut putat Com. Mediobarbus pag. 280. in imo Delphin.

Mulier ista Ino est, Cadmi & Hermiones filia, Athamantis Thebarum Regis uxor, Dea à Græcis habita, de qua Ovid. 4. Metam.

Hermione & Cadmo generata parentibus Ino :
Cui conjux Athamas, Dea fingitur inde marina.

Hæc cùm mariti furorem fugeret, accepto minore filio Melicerta se præcipitem in mare è Moluride saxo egit : Delphinus filium dorso impositum in Isthmum transtulit, Deorum miseratione illa in Deam marinam mutata est, quam Leucotheam Græci, Matutam verò Latini vocant; Melicerta autem Palæmon, quem Portunum dicunt, nominatus est, de quibus Pausanias in Atticis sub finem pag. 83. Λόγοι δέ εἰσιν ἐς τὰς πέτρας αἳ κατὰ τὸ στενὸν τῆς ὁδοῦ μάλιστα ἀνέχουσιν, ἐς μὲν τὴν Μολουρίδα ὡς ἀπὸ ταύτης αὑτὴν ἐς θάλασσαν Ἰνὼ ῥίψαι. *De saxis verò quæ in viæ angustiis eminent, fabula prodita est ejusmodi. Ino se cum Melicerta natu minore filio, de saxo, quam Moluridem petram appellant, in mare præcipitem dedisse.* Ino supra Moluridem petram pede uno consistit, Melicerta perterritus extendit manus versus matrem : Delphin in imo paratus ad eum recipiendum.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino pag. 282. vulgatus, inter rarissimos collocandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mulier seminuda insidens rupibus, quibus lævâ innititur, dextrâ poculum gerit.

Figuram hanc feminudam, ob urceum quem illa gerit, P. Harduinus pag. 126. Bacchum esse putat, cujus duo ipsius simulacra, alterum nomine Λύσιον & Βακχεῖον, alterum in foro fuisse narrat Pausanias; sed figura rupibus insidens, ad Acrocorinthum spectare videtur, ideò esse Nympham Pirenen suspicamur: cùm enim illa filium Cenchriam lugeret, quem Diana per imprudentiam occiderat, tantam profudisse lacrymarum vim fertur, ut in fontem sui nominis conversa fuerit. Fons ille in Acrocorintho à tergo Veneris delubri est, de quo Pausanias l. 2. p. 93. Ηκουσα ἢ ἤδη τὴν Πειρήνην φασκόντων εἶναι ταύτην, καὶ τὸ ὕδωρ αὐτόθεν ὑπορρεῖν ἐν τῇ πόλει. *Audivi etiam qui dicerent eum fontem Pirenen esse, & aquam ex eo in oppidum defluere.* Quamobrem nummus Pirenen Nympham cum poculo Acrocorintho insidentem exhibet, cujus iconem vide rursus infrà in Plautilla.

Hic nummus minimi moduli inter præstantiores numerandus.



IMP. L. SEP. SEVERVS. AVG. Caput Severi laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Bigæ aurigante Victoria, sinistrâ flagrum.

Victoria in bigis cum palma à Corinthiis percussa, non ad Severi de hostibus victorias, sed ad præmium de bigis in agone Capitolino à Caracalla suo & patris nomine relatum spectat. Severus agonem Capitolinum an. U. C. 958. Caracallâ & Getâ Coss. celebravit, Mediobarbus hunc vigesimum-nonum à Nerone qui id ludicrum an. U. C. 813. instituit, fuisse refert. Bigarum cursum his in ludis Olymp. 93. receptum narrat Diodorus l. 13. p. 370. Προσετέθη δὲ καὶ Συνωρὶς κατὰ τὴν Ολυμπιάδα. *Hac Olympiade Synoris (equorum duorum jugum dixeris) insuper adjecta fuit.* Corinthii Severo gratulantes quòd hi ludi ad Græcorum imitationem celebrarentur, seu quòd Caracalla ejus filius victor ex iis recessisset, nummum similem Romanis ex omni metallo cum hoc typo & epigraphe VICTORIAE AVGG. signatis percusserunt.

Hic nummus mediæ magnitudinis pro raro & conspicuo habendus.

DIUM.



IMP. L. SEPT. SEVERVS. AVG. Caput Severi laureatum.
COL. IVL. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Diensis, Decreto Decurionum.* Jupiter stans, dextrâ pateram, lævâ hastam, in imo prora navis: in aliis aquila.

Dium, urbs est Macedoniæ littoralis in Pieria regione, de qua Livius Dec. 5. l. 3. *Ipse Dium urbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam publicis locis & multitudine statuarum, munitamque egregiè.* Dienses Severo nummos obsequium suum testantes dicarunt: nam ille Legionem in Macedoniam & Græciam ne has provincias occuparet Pescennius, miserat. Dium Coloniam à Julio constitutam, & ab Augusto Colonis iterum frequentatam in Antonino Pio diximus: unde in quibusdam ejus nummis *Juliæ* & *Augustæ* nomina, sed in hoc *Juliæ* tantùm appellationem ad antiquitatem indicandam præfert. Jupiter cultum suum in hac urbe denotat, quod innuere videtur Stephanus, qui certamen Olympiacum in eo celebrare solitum tradit. Δῖον πόλις Μακεδονίας ἔνθα τὸν Ολυμπικὸν ἀγῶνα ἐτέλουν. *Dium urbs Macedoniæ, ubi Olympiacum celebrabant certamen.* Magna quidem ab Hercule Pisæ circa Olympiam Eleæ regionis urbem, minora verò Dio celebrabantur ab Archelao Rege instituta, quod nos docet Demosthenis Scholiastes ad Orat. περὶ παραπρεσβείας, his verbis. Τὰ Ολύμπια δὲ πρῶτος Αρχέλαος ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας κατέδειξεν, ἤγετο δὲ ἐπ' ἐννέα, ὥς φησιν, ἡμέρας ἰσαρίθμους ταῖς Μούσαις. Olympici autem ludi Jovi erant dicati. Prora navis urbis situm ad maris littus arguit.

Hic nummus minimæ formæ inter raros adscribitur.



IMP. CA. SEP. SEVERVM PE. AVG. Caput Severi laureatum.

COL. IVL. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Dienſis, Decreto Decurionum.* Jupiter in templo diſtylo, dextrâ fulmen.

Dienſes Jovem in ſuperiori nummo ſignarunt, eundem in templo exhibent, cùm autem Dio celebrarentur Olympia certamina, Jovis fanum extra urbem exſtructum erat, cujus Livius Dec. 5. lib. 3. meminit. *Secundis caſtris pervenit ad Dium, metarique ſub ipſo templo, ne quid ſacro in loco violaretur, juſſit;* cùm paulò antè dixiſſet, *Partem planiciæ aut Jovis templum, aut oppidum tenet.* Polybius Scopam Ætolorum ducem hoc templum ſpoliaſſe narrat Hiſt. lib. 4. pag. 326. Ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὸ Δῖον· ἐκλειπόντων δὲ τῶν κατοικούντων τὸν τόπον εἰσελθὼν, τὰ τείχη κατέσκαψε καὶ τὰς οἰκίας, καὶ τὸ γυμνάσιον· πρὸς δὲ τούτοις ἐνέπρησε τὰς στοὰς τὰς περὶ τὸ τέμενος, καὶ τὰ λοιπὰ διέφθειρε τῶν ἀναθημάτων, ὅσα πρὸς κόσμον, ἢ χρείαν ὑπῆρχε τοῖς εἰς τὰς πανηγύρεις συμπορευομένοις. *Dium iter avertit: urbemque ab incolis derelictam ingreſſus, muros ac parietes ſolo æquavit, porticus ad hæc circa fanum incendit, quæ vel ornatus causâ eò loci poſita erant, vel ad uſus eorum qui ad ſolennium celebrationem undique illuc ſoliti convenire.* Jupiter fulmen pro ſymbolo gerit, unde dictus Altitonans apud Nævium, à quo deſumpſit Virgilius.

Panditur intereà domus Altitonantis Olympi.

Hic nummus minimæ formæ, apud celeberrimum Antiquarium Joſephum Magnavacca Bononienſem ſingulari amicitiâ mihi conjunctum, inter rariſſimos aſſervandus.



IMP. L. SEP. SEVERVS. AVG. Caput Severi laureatum.

COL. IVL. AVG. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Auguſta Dienſis, Decreto Decurionum.* Minerva galeata ſtans, dextrâ pateram, lævâ haſtam.

Jam ſignata eſt Minerva in Dienſium nummis Antonino Pio dicatis, quam Alcidam à Macedonibus cognominatam diximus. Pauſanias Dienſes Apollinis ſignum Delphis dicaſſe refert in Phocicis p. 633. Ἀνέθεσαν καὶ Μακεδόνων οἱ ὑπὸ τῇ Πιερίᾳ πόλιν Δῖον οἰκοῦντες... Μακεδόνες δὲ οἱ ἐν Δίῳ τὸν Ἀπόλλωνα ὃς εἰλημμένος ἐστὶ τῆς ἐλάφου. *Dedicarunt & Macedones qui ſub Pieria Dion urbem incolunt .... Diatæ verò Apollinem cervam prenſantem.* Polybius Perſeum Gentii Regis Legatos ad fœdus contra Romanos ineundum miſſos apud Dium recepiſſe tradit Excerpt. Leg. 85. Ὁ δὲ Περσεὺς παραγινομένων εἰς τὴν Μακεδονίαν τῶν πρεσβευτῶν παρὰ τοῦ Γεντίου... μετὰ πάντων τῶν ἱππέων, ἀπήντα τοῖς προειρημένοις εἰς τὸ Δῖον. *Perſeus verò venientibus in Macedoniam Legatis Gentii ... cum omni equitatu profectus, ad Dium occurrit.* Urbs erat enim Macedoniæ percelebris. Minerva galeata eſt, & haſtam gerit, quia bellatrix fuiſſe dicitur, de qua Diodorus lib. pag. 142. Ζηλῶσαι δὲ καὶ τὰ κατὰ τὸν πόλεμον, ἀλκῇ καὶ ῥώμῃ διαφέρουσαν. *Cumque animi & corporis robore præſtaret, rebus etiam bellicis operam navaſſe.* Illa pateram gerit ob ſacrificia ipſi pro Severo perpetrata.

Hic nummus minuti moduli pro raro cenſendus.

HELIOPOLIS.



IMP. L. SEPT. SEVERVS. AVG. Caput Severi laureatum.

COL. HEL. *Colonia Heliopolis* vel *Heliopolitana.* Caput muliebre velatum & turritum, pone quod lauri ramus, in aliis cornucopiæ.

Heliopolis urbs gemina, una Ægypti, altera Phœniciæ, ad quam pertinet nummus, ut in Hadriano diximus, & non ad Ægyptiacam, ut Onuphrio placet in Remp. Rom. Comm. lib. 3. & Triſtano tom. 2. pag 105. In Ægypto enim nulla fuit Romanorum Colonia: hæc à Julio deducta eſt, & non à Sept. Severo, ut Holſtenius in Stephan. pag. 129. & alii putant ob Ulpiani verba lib. 1. de Cenſibus. *Eſt & Heliopolitana, quæ à Divo Severo per belli civilis occaſionem, Italicæ Coloniæ Rempublicam accepit.* Quæ de Colonia deducta non intelligenda, ſi quidem *Juliæ* & *Auguſtæ*, & non *Septimiæ* nomina præfert; ſed de jure Italico ipſi à Severo conceſſo, ut Paulus lib. 2. de Cenſibus, jus idem Carthagini & Lepti Coloniis, & Uticæ Municipio ab eodem conceſſum tradit. *In Africa, Carthago, Utica & Leptis Magna à Divis Severo & Antonino juris Italici*

factæ ſunt. Cùm Ulpianus tradit Heliopolitanam Coloniam per belli civilis occaſionem hanc immunitatem accepiſſe, ſciendum eſt Syriæ & Phœniciæ urbes, quæ Peſcennii partibus favebant poſt Æmiliani exercitum in Bithynia deletum, ſeditiones inter ſe agitaſſe, inter quas apud Herodianum Laodicea & Tyrus Severo acclamarunt, Heliopolis earum exemplum ſequuta ex Ulpiano videtur, ob id illæ Coloniæ deductæ, hæc jam conſtituta jus Italicum obtinuit, ipſis à Severo conceſſum, ut innuit idem Ulpianus loco laudato. Caput turritum, urbium illuſtrium inſigne, imò vulgare Syriæ, Phœniciæ & Meſopotamiæ ſymbolum. De lauro & cornucopiæ in Caracalla dicturi.

Hic nummus minimi moduli non obvius eſt.



COL. HEL. *Colonia Heliopolis* vel *Heliopolitana.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea.

Aquilam legionariam in Coloniarum nummis ſignari ad originem ex cujuſdam Legionis Veteranis indicandam, ſuprà paſſim diximus; imò quando duæ aquilæ exhibentur, Colonos ex duarum Legionum militibus tranſmiſſos arguunt, quod in Heliopolitana Colonia factum penitùs ignoraremus, niſi rariſſimi ejus ſuperſtites nummi nos Quintæ Macedonicæ & Octavæ Auguſtæ Veteranos in eam deductos docerent, ut in Philippo patre uberiùs videbimus. Coloniæ autem & urbes de antiquitate inter ſe plurimùm gloriabantur, & in nummis ſæpe quæ ad illam ſpectarent conſignarunt. Heliopolis hæc juxta Libanum montem ſita eſt, ut tradit Anonymus quem vulgavit Gothofredus in Exegeſi totius Mundi §. 10. Ἡλιόπολις, ἣ πλησιάζει τῷ Λιβάνῳ ὄρει. *Helopolis quæ propinqua eſt Libano monti.* Ex quo loco colligitur cur Libaniſia dicatur ab auctore Chronici Alexandrini; cui perperam Holſtenius in Steph. pag 129. Caracallæ cum viro equum ducente tribuit, in quo ſcripſit ΗΛΙΟΠ. ΠΡΟϹ ΛΙΒΑΝΟΝ. pro ΛΑΟΔΙΚ. ΠΡΟϹ ΛΙΒΑΝΩ. Holſtenium ſequutus eſt P. Harduinus pag. 192. qui eundem Caracallæ profert cum hac epigraphe, ΗΛΙΟΠΟΛΙϹ ΠΡΟϹ ΛΙΒΑΝΟΝ, & alterum adjicit. ΗΛΙΟΠΟΛΙϹ ΕΝ ΛΙΒΑΝΩ, cum his verbis *Alius quem vidimus*; ſed hallucinatur Erud. P. Græci Coloniæ Heliopoli ad Libanum nummi haud conveniunt, ſed illi ad Laodiceam Cæleſyriæ ad Libanum, quæ Cabioſa dicitur, pertinent, ut ipſe P. Harduinus pag. 285. agnoſcit, dum eundem Caracallæ nummum cum hac epigraphe in Cimelio Regio, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟϹ ΛΙΒΑΝΩ, recenſet, quem ſuprà Heliopoli ad Libanum tribuit.

Hic nummus tertiæ magnitudinis nec rarus nec obvius eſt.



IMP. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. Caput Severi laureatum.
COL. HEL. I. O. M. H. *Colonia Heliopolit. Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.* Templum decem columnis ſuffultum.

Templum illud dicatum eſt Jovi, qui à Colonis urbis Heliopolis, Heliopolitanus dictus eſt, ut Romæ vocarunt Romani Capitolinum, quem Optimum Maximum appellabant, teſte Cicerone de Natura Deorum. *Quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia P. Rom.* OPTIMUM, *propter vim* MAXIMUM *nominant.* Pontifices ex numero civium Romanorum decti, etiamſi Deorum cultum in Colonias in quas deducebantur, deferebant, ſacra etiam urbium in quibus erant collocati, ſequebantur. Hoc templum Jovi Optimo Maximo Helvio in Colonia Helvia Piceni erectum refert Patinus, quem ſequuti ſunt Cuperus pag. 208. & Mediobarbus pag. 28. quod ad Heliopolim Cæleſyriæ pertinere jam notavit P. Harduinus pag. 191.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 281. pro raro habendus.



DIVO SEVERO. Caput Severi laureatum.
COL. HEL. I. O. M. H. *Colonia Heliopolis Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.* Templum decem columnarum cum gradibus à latere.

Idem esse Jovis templum à latere cælatum, eadem Jovis Optimi Maximi Heliopolitani epigraphe, & idem columnarum in fronte numerus demonstrant. Tristanus tom. 2. pag. 167. fanum illud Helvio Pertinaci in Helvia Piceni Colonia unà & Sept. Severo post ejus mortem quem, vocatum Jovem Optimum Maximum Helvianum contendit, consecratum perperam tradit. Heliopolitani Cælesyriæ beneficiis Severi devincti, qui iis jus Italicum, ut diximus, concesserat, memores, nummos cum Jovis Optimi Maximi Heliopolitani nomine ad instar Capitolini dedicarunt: sed an hunc cui inscriptum est DIVO SEVERO, in consecrationis ejus memoriam illi percusserint, dubium aliquod movere potest corona capitis laurea, nisi forsan pro radiata, hæc invicto Imperatori in æternum concessa sit.

Hic nummus secundi moduli, à Tristano tom. 1. pag. 106. vulgatus, inter rariores numerandus.

PATRÆ.



IMP. C. L. SE. SEVERVS PIVS. Caput Severi laureatum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Neptunus stans, pede dextro basi columnæ imposito, dextrâ Victoriam, lævâ tridentem.

Patrenses, de quibus passim dictum est, nummos suos victori Severo obtulerunt; Neptunus enim Victoriam dextrâ gerit in memoriam illius quam de Parthis retulit, si conjecturæ locus, ob *Pii* titulum quem usurpasse videtur in Tribunitia potestate VIII. relicto *Pertinacis* nomine, de quo Spartianus in ejus vita. *Se quoque Pertinacem vocari jussit, quamvis posteà id nomen aboleri voluerit, querimoniâ amicorum.* In Neptuni honorem templum Patris ædificatum cum ejus signo narrat Pausanias in Achaicis. Πρὸς δὲ λιμένι Ποσειδῶνός τε ναὸς ϗ ἄγαλμά ἐστιν ὀρθὸν λίθου. *Proximè ad portum Neptuni ædes est, cum signo marmoreo, cujus rectus est status.* Tridens, Neptuni peculiare est sceptrum.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro numerandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroë Patrensis.* Figura militaris stans, & altera muliebris sedens, utraque pateram super aram tenet.

Figura illa militaris videtur esse Severus; hæc muliebris, urbs, sub Genii figura; ille stans ut Mortalis, hæc sedens ut Dea; ille pateram tenet ipsi sacrificans, hæc quoque alteram gerit, ut sacrificium sibi gratum denotet. Severus imperatorio & militari habitu ad bellum proficiscens sacrificat; sacra enim tum ut Imperator, tum ut Pontifex Maximus facere poterat. Sacrificari velato capite cœptum narrant ex Ænea. Cùm ille sacrificium in littore ageret, traditur fortè advertisse Argivam classem in qua Ulysses erat: cùmque vereretur ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse: inde posteris traditum morem ita sacrificandi.

Hic nummus secundæ magnitudinis, inter raros computandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Caput muliebre turritum, pone quod Cornucopiæ.

Caput muliebre turritum, vulgare urbium symbolum esse non semel diximus, quòd Patræ sæpius usurparunt, seu ut urbs memorabilis dicta Straboni, seu ut antiqua, Silio 15.

Urbe olim veteri gaudebat Achaia Patris.

Alii Patras urbem à Patreo Preugenis filio conditam memorant: alii Aroes priùs dictæ pomœrio tantùm ampliato veterem oppidi ambitum novo inclusisse tradunt. Plutarchus autem Alcibiadem in ejus vita Patrensibus suasisse, ut muris utrimque exporrectis urbem cum mari conjungerent. Turres supra caput mulieris apponi videntur, propter quod urbes & arces in summitate montium antiquitus extruebantur: urbs autem Patrensis in edito loco erat condita, arcemque habebat, ex Pausania. Πατρεῦσι δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ πόλει Λαφρίας ἱερόν ἐστιν Ἀρτέμιδος. *Est Patrensibus in arce Laphriæ Dianæ fanum.*

Hic nummus secundæ & minimæ formæ obvius est.

PTOLEMAIS.



IMP. C. L. SEP. SEVERVS. Caput Augusti laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Caput Serapidis cum modio.

Ptolemais urbs Phœniciæ littoralis, de qua dictum est in Claudio, Nerone, & Trajano, Colonia à Claudio deducta, nullâ immunitate præter Coloniæ titulum donata est, si Ulpianum audias lib. 1. de Censibus. *Ptolemensium enim Colonia, quæ inter Phœnicem & Palæstinam sita est, nil præter nomen Coloniæ habet.* Serapis cum modio in plurimis Phœniciæ & Palæstinæ nummis occurrit, cujus cultum illæ urbes ex Ægypto, ubi summâ veneratione habetur, acceperunt: supremus enim erat ejus provinciæ Deus, teste Juliano in Cæss. Καὶ ὁ Ζεὺς, ἀπιδὼν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Σάραπιν, καὶ τὸν Οὐεσπασιανὸν δείξας, Πέμπε, εἶπε, τὸν σμικρὸν τοῦτον ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου ταχέως, ἵνα τὴν φλόγα ταύτην κατασβέσῃ. *Deinde Jupiter derepente ad Serapim fratrem suum conversus, Vespasianum ostendens, Mitte, inquit, & hunc parcum & restrictum virum, quàm citissimè fieri poterit, ex Ægypto, qui hanc flammam extinguat.* De ejus calatho quid dixerit Macrobius, vide in Domitiano pag. 138.

Hic nummus secundi & minimi moduli pro raro & conspicuo habendus.



IMP. C. L. SE. SEVERVS. AVG. Caput Severi laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Caput medio pectore tenus, barba prolixa in floccos convoluta, & plurimis veluti cornibus ornatum, ante quod cornucopiæ.

Cujusnam Numinis hoc caput esset in Ptolemaidensium nummis obsignatum pronuntiare, diu ancipites hæsimus, ac modò illud ad Panem ob cornua velut hircina, tandem ad Nilum esse revocandum suspicati sumus. Ptolemaidenses, ut Serapim ex Ægypto acceperunt, ita & Nilum, quem ut Jovem Ægyptii colebant, de quo citatur Parmenides in Græcis Comment. Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε. Fluviorum simulacra in nummis cum ejusmodi barba incompta & capillis horridis exhibentur, ut sæpe ipsius Nili effigies in Ægyptiis occurrit: cornua illis apponuntur ad diversa eorum ostia in mare effundentia denotanda, unde Virgilius Æn. 8. Rhenum vocat Bicornem: Nilus verò plurima habere videtur, quòd in septem, ut ferunt, brachia, dividatur, ut canit ipse Virgilius Æn. 6.

Et septem gemini turbant rapida ostia Nili.

Cornucopiæ fertilitatem & frugum omnium abundantiam indicat.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rarissimos numerandus.



IMP. C. L. SEP. SEVERVS. AVG. Caput Severi laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Mulier turrita ſtans, & ſtolata, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ, ad ſiniſtrum latus columna, cui impoſita Lupa cum puerulis.

Mulier illa turrita, Genius eſt urbis, cujus ſitum non longè à Belo fluvio in campo videas apud Joſephum de Bel. Jud. l. 1. cap. 17. in cujus amplitudine narrat Judæos Petronio à Caligula miſſo occurriſſe, ac ſupplicaſſe de non collocanda in templo Jeroſolymitano Imperatoris ſtatua. Ἰουδαῖοι δὲ μετὰ γυναικῶν καὶ τέκνων ἀθροισθέντες εἰς τὸ πεδίον τὸ πρὸς Πτολεμαΐδα, καθικέτευον τὸν Πετρώνιον. *Judæi autem cum mulieribus & filiis collecti in campum, in quo ſita eſt Ptolemais, Petronio ſupplicabant.* Ptolemaidenſis Colonia à Claudio deducta, ad indicandam originem, Lupæ ubera Romulo & Remo præbentis ſimulacrum impoſuit, ut omnes Coloniæ ſolebant in foro, ut nos Senis urbe Hetruriæ pervetere adhuc vidimus, ejuſdemque Lupæ typum Coloniæ ut plurimùm in nummis ſignarunt, cujus rei teſtes ſunt reſidui illi præ manibus Antiquariorum obvii.

Hic nummus ſecundi moduli inter præſtantiores adſcribendus.



IMP. C. SEPT. SEVERVS. AVG. Caput Sept. Severi laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Fulmen.

Fulmen, notum eſt Providentiæ ac Imperii ſymbolum; ſed in hoc Ptolemaidis nummo ad aliquam urbis hiſtoriam ſpectare videtur, forſan ut Ptolemaidenſes ab Ægyptiis vicinis eorum Numinum cultus admiſerunt; ſic & Seleucenſium Jovem Ceraunium ſub fulminis figura veneratos fuiſſe conjecturæ locus eſt. De fulmine pro Deo Seleuciæ habito audias Appianum de Syriacis p. 125. Φασὶ δὲ αὐτῷ τὰς Σελευκείας οἰκίζοντι, τὴν μὲν ἐπὶ θαλάσσῃ διοσημίαν ἡγήσασθαι κεραυνοῦ, καὶ διὰ τοῦτο θεὸν αὐτοῖς κεραυνὸν ἔθετο, καὶ θρησκεύουσι καὶ ὑμνοῦσι καὶ νῦν κεραυνόν. *Aiuntque in condenda ad mare Seleucia, ſecutum augurium fulminis, ideoque ibi fulmen tanquam numen conſecratum, hodieque coli hymnis propriis ac ceremoniis.* Illud poſteà Jovem fulminatorem nuncuparunt, ipſique templum dedicarunt, ut narrat Joan. Malela Antiochenus in Seleuco. *Poſt triduum in Jovis Fulminatoris fano ſacrificavit.* Seleucienſes ideò in nummis Syriæ Regibus ſeu Imperatoribus à ſe dicatis, fulmen exhibuerunt: Regios in Hiſtoria noſtra Syriaca pag. 348. Imperiales verò apud Eq. Patinum pag. 282. conſulas.

Hic nummus mediocris moduli inter præſtantiores habendus.

STOBI.



IMP. C. SE. SEVERVS. Caput Severi laureatum.
MVNIC. STOBENS. *Municipium Stobenſium.* Victoria gradiens, dextrâ coronam, lævâ palmam.

Stobi urbs eſt Macedoniæ, de qua in Veſpaſiano, Tito, Domitiano & Trajano dictum. Paulus lib. 2. de Cenſib. Stobenſes juris Italici facit. *In provincia Macedoniæ, Dyrracheni, Caſſandrenſes, Philippenſes, Dienſes, Stobenſes juris Italici ſunt.* Victoriam gradientem in nummis Severi cælaſſe videntur Stobenſes, in monimentum ejus victoriæ quam ille ad Cyzicum contra Peſcennii duces retulit: gradiens autem effingitur, ad alias properans, ſoletque ita depingi poſt primam de hoſtibus reportatam.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis non obvius eſt.

TROAS.



IMP. C. SEP. SEVERVS. Caput Severi laureatum.
COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troas* seu *Troadensis.* Equus pascens.

Troas urbs Phrygiæ minoris, de qua passim dictum est, & præsertim de equi pascentis typo in Commodo, quem ad indicandam immunitatem omnium onerum à Claudio Coloniæ concessam spectare retulimus: illa autem inter alias Colonias ab Augusto fundatore deductas juris Italici pronunciata est, si quidem ejus meminit Caius lib. 6. ad Legem Juliam & Papiam, *Juris Italici sunt*, Τρωὰς, Βηρυτὸς, Δυῤῥάχιον, id est, *Troas, Berytus & Dyrrachium.* Quod confirmat Paulus l. 2. de Censibus. *In provincia Asia duæ juris Italici sunt.* Cùm omni onere soluti essent Troadenses, equum ideò solutum in nummis signarunt, qui typus præsertim cursum equorum publicum penitùs sublatum indicare videtur. Appositè ergo ab iis in Severo cælatus est, ob illa quæ de ipso narrat Spartianus in ejus vita. *Rei vehiculariæ munus à privatis ad fiscum traduxit*, ut se ejus oneris immunes facti denotarent.

Hic nummus minimi moduli tritus est & frequens.

TYRUS.



IMP. CAES. L. SEPT. SEVERVS. Caput Severi laureatum.
COL. SEPT. TYRVS METROP. *Colonia Septimia Tyrus Metropolis.* Colonus agens boves; pone vexillum in quo LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica.*

Tyrus urbs ad mare sita, Phœniciæ Metropolis, à Sept. Severo Colonia ob belli civilis merita constituta est; à Pescennii autem partibus ut tota provincia stetit, sed nunciatâ apud Cyzicum ejus exercitus clade, Severo cum Laodiceæ protinus acclamavit, quâ re auditâ Niger cùm Antiochiæ ageret, ejus defectione irritatus Mauros utrique urbi immittit jussos occidere obvium quemque: illi Laodicenis de improviso oppressis, deinde Tyrum pervenerunt, ut tradit Herodianus l. 3. p. 518. Ἐκεῖθέν τε ὁρμήσαντες ἐπὶ τὴν Τύρον, πᾶσάν τε ἐνέπρησαν, καὶ, πολλὴν ἁρπαγὴν καὶ φόνον εἰργάσαντο. *Inde Tyrum pergentes, direptis omnium bonis, ac patrata ingenti cæde, totam incenderunt.* Severus miseratione ductus Coloniam in fidei monumentum illi indito *Septimiæ* gentis nomine eam deduxit, jusque ipsi Italicum concessit Ulpiano teste lib. 1. de Censibus. *Huic enim Divus Severus ob egregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum concessit.* Tyrum perperam Coloniam ab Elagabalo deductam refert Scaliger lib. 3. Can. Isag. pag. 301. Vexillum in quo legitur LEG. III. GAL. *Legio tertia Gallica*, nos docet Veteranos ejus Legionis in Phœnice à Vespasiano locatæ, & tunc hiemantis Colonos in eam à Severo transmissos.

Hic nummus primæ magnitudinis rarissimus est.

IMP. CAES. L. SEPT. SEVER. PII. PERT. AVG.
PARTH. ET. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINI.
PII. FELIC. AVG. PARTH. MAX. BRITANN.
MAX. P. P. ET. IVLIAE. AVG. MATR. AVG.
N. ET. SENAT. ET. PATRIAE. ET. CASTR.
MINERVAE. AVG. SACR.
DASIMIVS. FIRMAN. CORN. LEG. ET. AVR.
VICTORIN. ACTAR. CVM. IMM. LIB.
EX EXACTIS VOT. M. F.

Ex Sponio pag. 270.

JULIA

JULIA DOMNA.



JULIÆ DOMNÆ *nummi ſecundæ & minimæ formæ rari ſunt, primæ verò rariſſimi.*

ANTIOCHIA Piſidiæ.



IVLIA DOMNA AVG. Caput Juliæ Domnæ.
COL. CAESAR. ANTIOCH. *Colonia Cæſarea Antiochenſis.* Deus Lunus ſtans cum creſcente Luna humeris appoſita, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ Victoriam, pro pedibus gallus gallinaceus.

Antiochia, urbs Piſidiæ, Cæſarea dicta, nummos plurimos in Severi honorem percuſſit; nil mirum igitur ſi Juliæ Domnæ ejus uxori hunc ipſi conſecrarit. Xiphilinus in Dionis Epit. Juliam Plautiani calumniis impetitam ſe ſtudio Philoſophiæ conſolari ſolitam tradit. Καὶ ἡ μὲν αὐτὴ φιλοσοφεῖν διὰ ταῦτ' ἤρξατο, καὶ σοφισταῖς συνημέρευσεν. *Quæ dum ob eam cauſam philoſopharetur, & tempus cum Sophiſtis tranſigeret.* Ipſa Severo forſan ob id grata, cùm ille Spartiano teſte Latinis Græciſque litteris eſſet inſtructiſſimus. De Dei Luni apud Antiochenſes cultu, vide in Antonino Pio. Ipſe Victoriam gerit in monimentum earum quas retulit Severus. Gallus gallinaceus ei ſæpe comes in Latonæ matris memoriam, vel ob ejus vigilantiam additur.

Hic nummus minimi moduli inter raros collocandus.

APAMEA Bithyniæ.



IVL. DOMNA. AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.
COL. IVL. CONC. AVG. APAM. *Colonia Julia Concordia Auguſta Apamea* vel *Apamena.* Figura muliebris tunicata inſidens Delphino, dextrâ victoriolam, lævâ acroſtolium ut in nummo nobis viſum eſt.

Apameæ nominis urbes plurimæ ſunt, de quibus eruditam vide Octavii Falconerii de nummo Apamenſi Diſſertationem: ſed nulla præter illam quæ in Bithynia ad oſtia Rhyndaci fluminis ſita eſt, Colonia Romanorum fuit: ejus meminit Strabo lib. 12. pag. 564. Οἱ δ' Απαμιεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο Ῥωμαίων. *Apameam Colonia deducta eſt.* Nomen *Juliæ* à Julio Cæſare conditam arguit. Pruſienſes & Apameni Bithyniæ cùm pro Julio contra Pompeium ſtetiſſent, illi libertatem ſunt conſequuti, hi Coloni ab eo facti ſunt: utramque eorum urbem Pruſias Zielæ F. Bithyniæ Rex, è ruderibus excitatam, Cium, de nomine ſuo Pruſiadem, Myrleam verò ab uxore, Apameam appellavit; quas ob cauſas *Concordia* in nummo Apamea dicta videtur. *Auguſtæ* cognomen quando *Julium* non ſequitur, non ab Auguſto inditum, ſed aliam ob cauſam, ut in plurimis Coloniis obſervatur, adjectum eſt. Mulier Delphino inſidens, ad veterem aliquam urbis hiſtoriam ſpectat. Mulier illa

forſan Myrlea eſt Amazon, quæ urbem condidit, ut alicubi legimus. Οἱ δ' ἀπὸ Μυρλείας Ἀμάζονος. *Alii autem ab Amazone Myrlea.* Quod confirmat Strabo eod. lib. cit. pag. 550. Πρότερον δ' ὑπὸ Ἀμαζόνων, καὶ ἐπωνύμους πόλεις τινὰς εἶναι φασί. Καὶ γὰρ Ἔφεσον, καὶ Σμύρνην, καὶ Κύμην, καὶ Μυρλείαν. *Et aiunt urbes quaſdam Amazonum eſſe cognomines, Epheſum, Smyrnam, Cumam, Myrleam.* Veſtitus mulieris plurimùm Amazoni convenit; illa Delphino inſidet, & acroſtolium dextrâ gerit, quòd navim, cui nomen Delphini ob velocitatem inditum, forſan conſcenderit, ſupra quam victoriam acroſtolio deſignatam reportavit. Nummi hujus olim apud Gottifredum, nunc in Gaza Chriſtinæ Reginæ aſſervati epigraphen Lucas Holſtenius Not. in Stephan. pag. 26. ita corruptè legit COL. IVL. CONC. CAYCAPMA, quam ad Aliſarnam Troadis urbem revocavit.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

BERYTUS.



IVLIA AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Aſtarte in templo tetraſtylo, dextrâ ſcipionem, ex adverſo Victoria columnæ impoſita, ipſi coronam porrigit.

Berytus Phœniciæ, quæ priùs Peſcennii partibus faverat, veniâ à Severo acceptâ, Juliæ Auguſtæ uxori forſan interventu ipſi nummos memor dedicavit; illa enim Syra erat, ut tradit Spartianus in vita Severi. *Quum audiiſſet eſſe in Syria quandam quæ id genituræ haberet, ut Regi jungeretur, eandem uxorem petiit, Juliam ſcilicet: & accepit interventu amicorum.* Berytenſes Aſtarten ſeu Venerem in Juliæ nummis percuſſerunt, illam tanquam Deam topicam venerantes. Quidam volunt Aſtartes nomen ab Aſtarto Tyri Rege derivatum: *Aſtoret* verò Regum l. 3. c. 11. v. 5. ſeptuaginta Interpretes vertunt Aſtarten. Plutarchus eam ita deſcribit in M. Craſſo p. 553. Γίνεσθαι δὲ πρῶτον αὐτῷ σημεῖον ἀπὸ τῆς θεοῦ ταύτης, ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι, καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν. *Omen primum ei offertur ab hac Dea, quam Venerem, alii Junonem, nonnulli eam quæ incunabula & ſemina omnibus ex humido præbuit, cauſam & naturam arbitrantur eſſe, & quæ principium omnium bonorum docuit mortales.* Ipſa ſeminuda in nummis, Venus potiùs, quàm Juno videtur.

Hic nummus mediocris formæ inter raros adhibendus.



IVLIA DOMNA AVG. Caput Juliæ Domnæ.

COL. BER. *Colonia Berytus.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea.

Berytenſes aquilas legionarias in nummis percuſſiſſe ſæpiùs diximus, ad memoriam Colonorum ex Legionum V. Macedonicæ & VIII. Auguſtæ Veteranis ab Auguſto in urbem tranſmiſſorum; ſed in nummis Juliæ fortaſſe militaria hæc ſigna percuſſerunt, alludentes Senatui, qui illam ante ſigna caſtrenſia ſacra facientem in nummis ſignaverat, ob *Matris caſtrorum* titulum ipſi conceſſum, ad imitationem Fauſtinæ Junioris, cui illum Marcus Aurelius dederat, quòd eum ad caſtra proficiſcentem comitaretur, ut narrat Capitolinus in ejus vita. *Divam etiam Fauſtinam à Senatu appellatam gratulatus eſt: quam ſecum & in æſtivis habuerat, ut Matrem caſtrorum appellaret.* Nam ut Severus Divi Marci filium nuncupari voluit, ſic Senatus Imperatori adulans, Juliæ Domnæ, ut Fauſtinæ Aurelii uxori *Matris caſtrorum* titulum decrevit; imò nummi ejus Romani nos docent magnificos *Matris Auguſtorum, Matris Senatus, Matris Patriæ* fuiſſe ipſi tributos.

Hic nummus minimi moduli, inter præſtantiores collocandus.

CÆSAREA Palæstinæ.



IVL. DOMNA. AVG. Caput Juliæ Domnæ.
COL. PR. FL. AVG. CAESAREA. Venus ſeu Aſtarte, pede ſaxo impoſito, dextrâ caput Serapidis, ſiniſtrâ ſcipionem, pro pedibus Fluvius emergens.

Aſtarte, ſeu Venus Byblia iterùm prodit in Cæſareæ nummis, quam in Hadriano & Fauſtina Juniore vidimus; hæc Dea caput dextrâ tenet, illud nempe papyraceum, quod Lucianus ipſemet vidit quotannis in mare projectum, & diabolicâ vi Byblum ſeptem diebus ex Alexandria Ægypti delatum, & cujus capitis adventus planctus Adonidis indicabat; unde pro pedibus Veneris ipſa Adonidis figura ſub Fluvii ſpecie emergens: cujus rei meminiſſe videtur Eſaias 18. 1. *Væ terræ cymbali orarum quæ eſt trans flumina Thus, mittenti in mare imagines, idque in vaſis papyraceis ſuper aquas.* Nec diſſimilia habent D. Cyrillus & Procopius in hunc Prophetam. Vaſa porrò papyracea ſunt Ægyptiaca navigia, quæ ex papyro fiebant, teſte Theophraſto. Αὐτὸς ἢ ὁ πάπυρος πρὸς πλεῖστα χρήσιμος, καὶ γὰρ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ. *Ipſe quidem papyrus ad plura utilis, ex eo enim navigia texunt.* Bochartus caput illud Oſiridis eſſe refert, lib. 4. cap. 2. ſed Oſiris idem eſt cum Serapide.

Hic nummus minimæ formæ, inter elegantiores recenſendus.



IVLIA DOMNA. AVG. Caput Juliæ Domnæ.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Minerva galeata ſtans, dextrâ Victoriam, lævâ haſtam, pro pedibus hinc ara, inde clypeus.

Corinthus, quam Cicero *totius Græciæ lumen* appellat, pro Lege Manilia, cujus ager optimus & fructuoſiſſimus L. Mummii imperio ac felicitate ad vectigalia P. Romano adjunctus fuerat, Julius Cæſar ad eumdem colendum libertinos tranſmiſit, & Corinthum Coloniam deduxit eodem tempore quo Carthaginem, ut tradit Plutarchus in Julio pag. 734. ὧν ἐπιφανέσταται Καρχηδὼν καὶ Κόρινθος ἦσαν· αἷς καὶ πρότερον τὴν ἅλωσιν, καὶ τότε τὴν ἀνάληψιν ἅμα, καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀμφοτέραις γενέσθαι συνέτυχεν. *Quarum fuerunt clariſſimæ Carthago & Corinthus: quibus & capi ante & tunc inſtaurari unâ eademque tempeſtate ambabus contigit.* Corinthii ſicut Severo, ita Juliæ uxori nummos, ut amborum benevolentiam ſibi conciliarent, Pallade in utroque ſignata, dedicarunt: ſed in hoc nummo Victoriæ ſignum forſan Domnæ tanquam Palladi bellorum Præſidi tribuerunt, vel quia Victoria adſtitrix Minervæ in bello contra Gigantes data eſt; Corinthii hoc modo Juliæ blandientes, quòd illa Severo in bello comes fuerit. Minervæ ſtatuam in medio Corinthi foro poſitam narrat Pauſanias lib. pag. 89. Ἐν μέσῳ δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐστιν Ἀθηνᾶ χαλκῆ. *In medio foro eſt Minerva ex ære.* Et ejus fanum prope Medeæ filiorum ſepulcrum locat pag. 91. Τοῦ μνήματος δέ ἐστιν οὐ πόῤῥω Χαλινίτιδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. *A ſepulcro non multùm diſtat Frænatricis Minervæ* (Chalinitida appellant) *fanum.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, rarus eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victoria gradiens, dextrâ coronam, lævâ palmam.

Corinthii Victoriam in nummis Juliæ, ut in Severo exhibentes, eorum exiſtimationis erga Auguſtam monimentum eſt, ipſi Severum Juliæ conſiliis ad bellum uſum fuiſſe indicantes: illa enim

non modò litteris erat imbuta, ſed ingenio conſilioque præpollebat. Dio eam Caracallæ filii libellorum ac epiſtolarum curam habuiſſe narrat lib. 77. pag. 878. Οὐδὲ ἐπείθετο τῇ μητρὶ πολλὰ καὶ χρηστὰ παραινούσῃ· καί τοι καὶ τὴν τῶν βιβλίων τῶν τε ἐπιστολῶν ἑκατέρων, πλὴν τῶν πάνυ ἀναγκαίων διοίκησιν αὐτῇ ἐπιτρέψας. *Non obtemperabat matri, juſta & utilia monenti, licèt ei curam libellorum atque epiſtolarum utriuſque generis, præter admodum neceſſarias, commiſiſſet.* Ob id *Mater caſtrorum* videtur appellata, quod nomen jam quarto ſcilicet Imperii anno poſt vaſtatam Arabiam, Parthoſque & Adiabenos devictos, ei vetus inſcriptio apud Gruterum pag. 277. tribuit.

IVLIAE DOMNAE AVGVSTAE
IMP. CAES. L. SEPTIMI SEVERI PII PERT. AVG.
ARABICI ADIABENICI
P. P. P. M. TR. POT. IIII. IMP. VIII. COS. II.
ET. M. AVRELI. ANTONINI. CAES. MATRI
ITEMQ. CASTRORVM.
DECVMANI. NARBON.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 289. vulgatus, pro raro habendus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Pegaſus.

Pegaſus ſæpe occurrit in Corinthiorum nummis, ita ut ab illo olim monetam *Pullum* vocari Jul. Pollux vulgaverit; hunc ad antiquitatem urbis indicandam ſignari paſſim diximus: eo enim uſus eſt Bellerophon Glauci Ephyræ ſeu Corinthi Regis filius, cùm per imprudentiam Deliadem fratrem interemiſſet, contra Chimæram certaturus, in Acrocorintho ad fontem Pirenen ille bibentem cepit, hujus fontis aqua apud Athenæum lib. 2. cap. 6. erat frigidiſſima. Ἐπὶ Κορίνθου παράγουσι, φησὶ, ἡμῖν διὰ τῆς Κοντοπορίας καλουμένης καὶ τὴν ἀκρώρειαν προσβαίνουσιν, εἶναι κρήνην νᾶμα ἀνιεῖσαν χιόνος ψυχρότερον. *Corinthum*, inquit, *nos cùm eſſemus progreſſi per viam quam Contoporiam nuncupant, cùmque ad montis ſummum jugum perveniſſemus, fons occurrit aquam nive gelidiorem effundens.* Pegaſus ἀπὸ τῆς πηγῆς, id eſt *à fonte*, nomen habuit, quòd juxta πηγὰς, i. fontes Oceani natus ſit.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ; pro raro computandus.

E M I S A.



ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. Caput Juliæ Domnæ.

ΕΜΙΣΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ. ΗΚΦ. id eſt *anno* 528. Ædificium pulcherrimum cum duplici ordine, & tribus ſtatuis in utroque.

Emiſa, urbs eſt Phœniciæ ad Libanum montem, celebris, amœna, & valdè vetuſta, teſte Amm. Marcellino lib. 24. cap. 26. *In quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon, & Berytus, iiſdemque pares, Emiſa & Damaſcus, ſæculis conditæ priſcis.* Hæc patria Juliæ Domnæ Syræ fuiſſe videtur, ſi quidem Herodianus Juliam Mæſam ejus ſororem in ipſa urbe natam ſcribit lib. 5. Μαῖσα ἦν τις ὄνομα, τὸ γένος Φοίνισσα, ἀπὸ τῆς Ἐμέσου καλουμένης οὕτω πόλεως ἐν Φοινίκῃ. *Mæſa erat quædam nomine Phœniſſa mulier ab Emeſa urbe Phœniciæ.* Nil mirum ſi Emiſa in matris honorem Colonia ab Antonino Caracalla filio deducta ſit, de qua Paulus lib. 2. de Cenſibus. *Imperator noſter Antoninus civitatem Emiſenorum, Coloniam & juris Italici fecit.* Emiſeni in grati animi monimentum Juliæ Auguſtæ baſilicam ſeu templum condiderunt, cujus figuram in nummis conſignarunt. Notæ Η. Κ. Φ. ad annos 528. æræ urbis Emiſæ ſpectant, de qua in Caracallæ nummis.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 290. & à Spanhemio pag. 369. vulgatus, inter præſtantiores habendus.

HELIOPOLIS.

IVLIA FEL. AVG. *Julia Felix Augusta.* Caput Juliæ Domnæ.
COL. HEL. *Colonia Heliopolis* seu *Heliopolitana.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea.

Heliopolitani Phœniciæ ad Libanum montem, beneficiorum à Severo acceptorum (ut in ejus nummis diximus) memores, Juliæ Auguftæ ejus uxori nummos dedicarunt; & inter alios typos figna militaria, quæ in aliis ad antiquitatem Coloniæ indicandam exhibentur, infculpfere: in hoc verò ad imitationem Berytiorum, & in memoriam adulatorii *Matris castrorum* tituli Juliæ domnæ à Senatu delati, eadem hæc figna percufferunt. Ideò videtur à filio Caracalla nomen ejus cum exercitus nomine adfcribi apud Dionem lib. 77. pag. 878. Καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐν ταῖς πρὸς τὴν βουλὴν ἐπιστολαῖς ὁμοίως τῷ τε ἰδίῳ καὶ τῷ τῶν στρατευμάτων, ὅτι σώζεται, μεθ' ἐπαίνων πολλῶν ἐνέγραφεν. *Ejusque nomen pariter cum suo & exercitus nomine poneret adjunctis multis laudibus in epistolis, quas mittebat ad Senatum, dum omnes valere scriberet.* Heliopolitani Juliæ plurimùm adulabantur, cùm illa ex ipforum provincia effet oriunda.

Hic nummus minimæ formæ, pro raro habendus.

PTOLEMAIS.

IVLIA DOMNA. AVG. Caput Juliæ Domnæ.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Mulier turrita infidens rupibus, dextrâ fpicas. In aliis figura Fluvii emergens.

Ptolemais Phœniciæ urbs, de qua in Claudio, Nerone, Trajano & Severo diximus, Colonia à Claudio deducta eft, fed fine ulla immunitate. Situm ejus vide in Severo ad littus maris, ex altera cujus parte campus adeft, in quo Beleus fluvius non longè ab urbe præterfluit. Ptolemaidenfes Genium urbis in nummo Domnæ percufferunt, ei adulantes, tanquam ipforum urbs fub ejus patrocinio, quafi fub Genii tutela foret. Ptolemais urbs quidem magna fuit, quondam *Ace* dicta; quo tempore Strabo narrat eâ Perfas veluti receptaculo adverfus Ægyptum ufos fuiffe. Deinde à Perfis ab Alexandro ablata, tandem à Ptolemæo Ægypti Rege nomen habet; fed ignoratur quis ille fuerit Ptolemæus, cùm omnes idem nomen prætulerint.

Hic nummus secundi & minimi moduli, inter raros & elegantes adscribendus.

SEBASTE.

IVLIA. DOMNA. AVG. Caput Juliæ Domnæ.
COL. SEBASTE. *Colonia Sebaste*, vel *Sebastena.* Tres figuræ ftantes in templo tetraftylo.

Sebafte, urbs eft Palæftinæ in monte fita, tefte Plinio lib. 5. cap. 13. *Sebaste in monte & altiore Gamala.* Antè Samaria dicta eft, fed illam Herodes Rex Judææ in Augufti honorem Sebaften nominavit, ut innuit Jofephus Antiq. l. 13. cap. 18. Καὶ στρατεύει μὲν ἐπὶ Σαμάρειαν πόλιν ὀχυρωτάτην, περὶ ἧς ὅτι καλεῖται νῦν Σεβαστὴ κτισθεῖσα ὑπὸ Ἡρώδου, κατὰ χώραν δηλώσομεν. *Quapropter duxit exercitum ad Samariam urbem munitissimam, quæ quod nunc Sebaste vocetur ab Herode condita; cùm erit opportunum dicemus.* Sebafte Colonia à Sept. Severo conftituta eft, ut liquet ex Ulpiano lib. 1. de Cenfibus.

Divus quoque Severus in Sebastenam civitatem Coloniam deduxit. Nil mirum igitur si Sebasteni nummos Juliæ Domnæ Fundatoris uxori dedicarint. Templum exhibet tres figuras stantes, quarum media est Jupiter, cui fanum exstructum videtur, duæ aliæ non rectè distinguntur.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ, rarissimus est.



COL. SEBASTE. *Colonia Sebaste*, vel *Sebastena.* Figura militaris paludata stans coronatur à Victoria, ex adverso mulier stolata stat, capite turrito, dextrâ extensâ, lævâ cornucopiæ.

Herodes cùm haberet duas arces in urbe, tertiam foris munire voluit, itaque Samariam ob situm in monte selegit, eamque Sebasten vocavit, ùt narrat Josephus Antiq. l. 15. c. 11. Τρίτον παντὶ τῷ λαῷ τὴν Σαμάρειαν ἐννόησεν ἐπιτείχισμα, καλέσας μὲν αὐτὴν Σεβαστὴν, οἰόμενος ἢ κατὰ τὸ χωρίου οὐδὲν ἔλαττον ἰσχυροποιεῖν τὸ τόπον, ἀπέχοντα μὲν Ἱεροσολύμων μιᾶς ὁδὸν ἡμέρας. *Visum est tertiam quoque munire Samariam, mutato nomine Sebasten, quæ foris totam gentem contineret in officio, abest ab Hierosolymis itinere unius diei.* Ejus situm eleganter describit Benjamin Thudelensis in suo Itinerario pag. 66. *Unde die uno Sebasten me contuli, dictam ab antiquis Samariam: hodieque Achabi Israëlitarum Regis aulæ dignoscuntur ibi vestigia. Urbs in monte quondam munitissima, fontibus est irrigua.* Sebasteni Severum Coloniæ fundatorem, ob egregia belli facinora contra Parthos, Adiabenos & Arabes devictos à Victoria coronatum spectante urbis Genio, in Juliæ Domnæ exhibent, qualem ejus fortè statuam in foro beneficiorum memores erexerunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis, inter rarissimos & præstantissimos reponendus.

S T O B I.



IVL. DOMNA. AVG. Caput Juliæ Domnæ.

MVNICIP. STOBENS. *Municipium Stobensium.* Figura capite turrito stans, dextrâ hastam, cui involutus serpens, sinistrâ cornucopiæ.

Stobenses Macedoniæ ut Severo, ita & Juliæ uxori nummos cum Victoriæ signo percusserunt, sed in Julia Victoriam cum Genio urbis conjunxerunt. De ipsius Deæ alis loquitur Ovidius Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Victoria Dea te solitis circumvolet alis.

Serpens Victoriæ comes adjungitur, quia illam portendit, ut innuit Valerius Maximus de Sylla lib. 1. cap. 6. Caput præfert turritum, ut Genius urbis depingi solet; Cornucopiæ gerit Genii symbolum, ut vim rerum omnium gignendarum habens. Itaque Victoria sub Genii forma exhibetur à Stobensibus in nummo Juliæ, tanquam ipsa urbis seu Imperatoris Genius Victoriæ comes.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 189. vulgatus, pro raro habendus.

T R O A S.



IVLIA. PIA. AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.

COL. ALEX. AVG. TRO. *Colonia Alexandrina Augusta Troadensis*, vel *Colonia Alexandria Augusta Troas.* Diversæ sunt epigraphæ. Equus pascens.

Troadenses plurimis antè Imperatoribus nummos suos quidem dedicaverunt, sed urbs non se Alexandriam Troadem nuncupavit, licèt Troas & Alexandria eadem sit apud veteres Historicos, ut videre

videre eſt apud Strabonem lib. 2. pag. 134. Εν δὲ τοῖς περὶ Αλεξάνδρειαν μέρεσι τῆς Τρωάδος. *Inde apud Alexandream Troadis.* Troas autem ab Alexandro Magno dicta eſt *Alexandria*, ut diximus: cùm autem Troadenſes Caracallam Alexandri Magni eſſe amantiſſimum intelligerent, ut ipſi adularentur, nomen Alexandriæ in nummis addiderunt; ille enim ſe Alexandrum verè prædicabat, ut narrat Dio lib. 78. pag. 873. Καὶ οὐδὲ ταῦτα μέν τοι αὐτῷ ἐξήρκεσε, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον Εῷον Αὔγουστον ἐπεκαλεῖτο. *Quibus rebus minimè contentus, ſeſe Alexandrum Orientalem Auguſtum appellavit.* Nummus in Juliæ honorem poſt Severi mortem, cùm illa Troadem unà cùm Caracalla veniſſet, percuſſus eſt. Equus paſcens, ad immunitates urbis indicandas ſignatus videtur.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 289. vulgatus, inter raros locum habere meretur.

TYRUS.



IVLIA AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.


COLON. SEP. TYRO. in aliis TYRVS METROP. *Colonia Septimia Tyrus Metropolis.* Bos ante quod conchylium, & pone vexillum, in quo LEG. III. GAL.

Tyrus de Phœniciæ Metropoli cum Sidone ab antiquo decertavit apud Strabonem lib. 16. p. 756. Αμφότεραι δ᾽ οὖν ἔνδοξοι, καὶ λαμπραὶ, καὶ παλαὶ, καὶ νῦν· ὁπότεραν δ᾽ ἄν τις εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐστίν. *Ergo ambæ & nunc & antiquitus claræ illuſtreſque ſunt, controverſumque manet, utra earum Phœnicum Metropolis dici debeat.* Suidas Tyriis Hadrianum Metropoleos dignitatem in gratiam Pauli Tyrii conceſſiſſe narrat, quod confirmat nummus noſter; ſed Sidon Colonia ab Elagabalo conſtituta, Metropolis etiam nuncupata eſt, ut infrà videbimus. Bos ad civium deductionem ſpectat: vexillum ſeu labarum in quo LEG. III. GAL. Veteranos etiam Legionis tertiæ Gallicæ in Phœnicia hiemantes ad eam tranſmiſſos indicat. Conchylium, urbis Tyri inſigne eſt, ex ejus enim cruore purpureus fiebat ille color toto orbe celeberrimus, ut tradit Strabo pag. 757. Πολὺ γὰρ ἐξήτασαι πασῶν ἡ Τυρία καλλίστη πορφύρα. *Tyria enim purpura optima omnium perhibetur.* De qua Virg. Georg. 2.

Et Tyrio conſpectus in oſtro.

Ad Tyrum pertinet Juliæ Domnæ nummus, quem Triſtanus tom. 2. pag. 136. ſub nomine SEPHYRVS vulgavit, & non ad Sephorim Galilææ, ut putat Spanhemius Diſſ. 9. pag. 775. De hac dubius hæret Patinus 323. qui LEG. XII. pro III. ſcribit in vexillo. Pro Sephyro certat Mediobarbus pag. 283. & capedunculam pro conchylio ponit; P. Harduinus pag. 513. ex noſtro Regio Catalogo legit SEP. TYRVS, ſed errorem hauſit Patini LEG. XII. pro LEG. III.

Hic nummus ſecundæ formæ, à Triſtano tomo 2. pag. 136. vulgatus, inter rariores recenſendus.





CARACALLA.




NTONINUS Severi filius, *Britannici* nomen cum patre cepit, sed Getâ fratre Imperii consorte occiso, in Germaniam profectus, *Germanici* cognomen, *Britannico* relicto, desumpsit; deinde bellum Parthicum insidiis egit. Colonias ANTIOCHIAM ad Orontem in Syria, EDESSAM in Mesopotamia, EMISAM in Phœnice constituit.

CARACALLÆ *nummi ex omni forma & modulo obvii & frequentes.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΜΑ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ϹΕ. Caput Caracallæ laureatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area verò S. C. Δ. Ε. Mulier turrita sedens in rupibus, dextrâ extensâ, in aliis spicas gerit, pro pedibus Fluvius, in vertice aries.

Antiochia urbs Syriæ ad Orontem, à Seleuco Syriaci Imperii fundatore condita, sub Regibus suis diu stetit: at verò post Antiochum Asiaticum seu Callinicum Syriæ regno à Pompeio spoliatum, illa αὐτονομίαν ab ipso emit, teste Porphyrio in Græcis Euseb. Scaligeri pag. 227. deinde Romanis subdita, à Pescennii partibus contra Severum stetit. Illi autem hic iratus privilegia ademit, eaque Laodiceæ tribuit, ut tradit Herodianus lib. 3. pag. 523. Τὸ Βυζάντιον κώμη δουλεύειν Περινθίοις δῶρον ἐδόθη, ὥσπερ καὶ Αντιόχεια Λαοδικεῦσιν. *Byzantium urbs in vici formam redacta, Perinthiisque in servitutem adjudicata est, quemadmodum Antiochia Laodicenis.* Sed tandem Caracallæ interventu ei Severus jura & immunitates reddidit, si Spartiano fides in Caracallæ vita. *Antiochensibus & Byzantinis interventu suo jura vetusta restituit, quibus iratus fuit Severus, quòd Nigrum juverant.* Antiochenses beneficii per filium à patre accepti memores, Caracallæ urbem suam ingredienti plurimos honores tribuerunt, ut narrat idem Herodianus. Εἰς τὴν Αντιόχειαν ἀφίκετο, ἐκεῖ τε ὑποδεχθεὶς πολυτελῶς, καὶ διατρίψας χρόνε τινός. *Devenit Antiochiam: ibi exceptus honorificentissimè, atque aliquandiù moratus.* Caracalla illam bello civili populo exhaustam, Coloniam Romanam tandem constituit, sed salvis tributis, ut notat Paulus lib. 2. de Censibus. *Divus Antoninus Antiochenses Colonos fecit salvis tributis.* Quem Pauli locum Ill. Spanhemius Diss. 8. pag. 755. de Antonino Pio intelligendum, & non de Caracalla, ex nummorum penu contendit, sed nullos ante Caracallam inveneris, qui ei Coloniæ nummos tribuant. Nec audiendus Scaliger, qui Antiochiam à M. Aurelio deductam tradit Can. Isagog. p. 301. De muliere rupibus insidente, & notis S. C. Δ. Ε. in nummo sequente.

Hic nummus primi moduli obvius & frequens est.

ANTIO-



ANTIOXEΩN. MH. KO. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. E. Mulier ut suprà sedens.

Mulier insidens rupibus, Genius est urbis, vestitu patrio, non Romano: turribus coronatur velut provinciæ Metropolis. Dio in Hadriano: Εν τῇ μητροπόλει Συρίας Αντιοχείᾳ. *Antiochia, quæ urbs est Metropolis Syriæ.* Rupibus insidet, ad situm in colle notandum, utpotè in clivo Silpii montis, ut tradit Eustathius in Comm. ad Dion. lib. *Ea verò juxta Silpium montem est sita.* Pro pedibus Fluvius est Orontes, de quo Strabo lib. 16. pag. 750. Ρεῖ δὲ τῆς πόλεως πλησίον Ορόντης ποταμός. *Prope urbem Orontes labitur.* Spicas gerit, ad frugum abundantiam in agro suo indicandam. Notas S. C. ob facultatem monetæ Antiochensibus à Senatu concessam appositas, in Othone diximus: has verò Δ. E. Antiquarii interpretantur Δημαρχικῆς ἐξουσίας, *Tribunitia potestate*, quam Tristanus tom. 2. pag. 225. ad Imperatorem, & non ad urbem spectare tradit; sed nos ad urbem potiùs, quàm ad Imperatorem pertinere suspicamur: In omnibus enim Antiochiæ nummis eædem litteræ semper occurrunt, quæ Populi auctoritate, vel Populi jussu referunt, quòd facultas cudendæ monetæ ut à Senatu, ita à Populo Romano Antiochensibus concessa fuerit.

Hic nummus mediocris formæ, à Tristano tom. 2. pag. 225. & à Patino pag. 302. vulgatus, frequens & obvius est.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



IMP. CAE. M. AVR. ANTON. AVG. Caput Caracallæ laureatum.

COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæsarea Antiochensis.* In area S. R. Colonus agens boves; pone duo signa militaria.

Ad Antiochiam Pisidiæ pertinet nummus; hæc enim per *Cæsareæ* nomen ipsi ab Augusto datum, ut diximus, ab aliis distinguitur. Seleucus autem Imperii Syriaci fundator de patris Antiochi nomine sexdecim urbes condidit Antiochias, & sex à matre Laodiceas, teste Appiano pag. 124. in Syriacis. Πόλεις δὲ ᾤκισεν ἐπὶ τὸ μῆκος τῆς ἀρχῆς ὅλης, ἑκκαίδεκα μὲν Αντιοχείας, ἐπὶ τῷ πατρί. *Ornavit autem Imperium suum, exstructis per totam ejus longitudinem urbibus, quarum sexdecim à patre denominavit Antiochias, &c.* Augustus verò cùm eam deduxit Coloniam, nomen suum veteri in beneficii memoriam addidit: quam ob rem Antiochenses in hoc Caracallæ nummo, ad Coloniæ originem indicandam, Coloni typum & signa militaria cælarunt, ut non modò cives Romanos, sed Legionum etiam Veteranos à se receptos denotarent. Hæ litteræ S. R. *Senatus Romanus*, pro S. C. *Senatusconsulto*, ad arguendam nummorum cudendorum facultatem à Senatu concessam videntur appositæ, quòd forsan majoris formæ sint; nam ejusmodi signare haud solent Coloniæ.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro numerandus.



COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæsarea Antiochensis.* Jupiter stans, dextrâ aquilam, sinistrâ hastam gerit.

Antiochiam hanc Pisidiæ memorat Stephanus: Αντιόχεια, τετάρτη Πισιδίας, *Antiochia quarta Pisidiæ.* Ipsa plurimos Severo & Juliæ Antonini Caracallæ parentibus consecravit: nil mirum si in filii honorem

honorem tot ſignet, in iiſque præcipua urbis Numina exponat. En Jupiter, quem ſupremum antiquitas Deum exiſtimabat, ut innuit Virgilius Æneid. 10.

Juppiter omnipotens divûm Pater atque hominum Rex.

Aquilam Jovi attributam Lactantius ita tradit. Cùm Jupiter ex Inſula Naxo contra Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret in littore, aquilam ad eum advolaſſe ferunt, auſpiciumque feciſſe: hinc ergo victor bono omine aquilam acceptam tutelæ ſuæ Jupiter ſubjugavit.

Hic nummus ſecundæ formæ in rariorum numero collocandus.



COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæſarea Antiochenſis.* Deus Lunus ſtans cum creſcente Luna humeris impoſita, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ Victoriam, pro pedibus gallus gallinaceus.

Lunam marem & fœminam eſſe non modo Ægyptii exiſtimarunt, ut apud Euſebium & Diodorum obſervamus, ſed & Græci. Strabo enim l. 12. p. 557. in Phrygia & in Armenia minori templum Menſis, id eſt Luni, ſed præcipuè in agro Antiocheno ſub *Aſcæi* nomine templum fuiſſe narrat. Ἐστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερὸν, καθάπερ τὸ ἐν Ἀλβανοῖς, καὶ ἐν Φρυγίᾳ, τό, τε τοῦ Μηνὸς ἐν τῷ ὁμωνύμῳ τόπῳ, καὶ τὸ τοῦ Ἀσκαίου τὸ πρὸς τῇ Ἀντιοχείᾳ τῇ πρὸς Πισιδίαν, καὶ τὸ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἀντιοχέων. *Eſt autem hoc quoque templum Lunæ, ut quod in Albanis eſt, & quod in Phrygia, & Menſis aliud in loco cognomine, & Aſcæi apud Antiochiam Piſidiæ, & quod eſt in agro Antiocheno.* Antiochenſes præ Luni manibus poſuerunt Victoriam, in memoriam illius quam de Germanis vel de Parthis Imperator reportavit. Gallus gallinaceus huic Deo Luno comes ſemper aſtitit, quòd Diana, quæ Lucina dicta, parturientibus favere exiſtimata ſit, ut Catullus ad Dianam.

Tu Lucina dolentibus,
Juno dicta, puerperis.

Gallus verò apud Ælianum Hiſt. annimal. parientibus etiam feliciter adeſt; eis enim faciles partus efficit.

Hic nummus mediocris moduli obvius eſt.



COL. ANTIOCH. *Colonia Antiochenſis.* Diana venatrix ſtans, dextrâ telum è pharetra dorſo impoſita extrahit, ſiniſtrâ extenſâ arcum.

Ad Antiochiam Piſidiæ pertinet nummus, etſi ſolitum *Cæſareæ* nomen non præferat, ſola ex duabus illis Coloniis quas ex ſexdecim nomine Antiochias urbes diximus, conſtitutas, linguâ Latinâ nummos exhibet; Antiochia enim Syriæ à Caracalla deducta, Græcam exhibet epigraphen, & Metropolis dignitate ornatur; minuti autem nummi ſæpe inſcriptiones contrahunt. Dianæ effigies variæ à diverſis locis ubi culta eſt deſumptæ; hæc venatricis habitu effingitur, ut narrat Pauſanias in Achaicis. Ἐστι δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ ἱερὸν Ἀρτέμιδος, τοξευούσῃ δὲ εἴκασται. *In foro etiam eſt Dianæ templum: ſagittas Dea ejaculantis effigiem præ ſe fert.* Quòd illa venationibus operam dediſſet, & forſan Antiochenſes eam in nummis Caracallæ ſignarunt ob venationis Imperatoris ſtudium.

Hic nummulus pro raro habendus.



GEN. COL. ANTIOCH. *Genio Coloniæ Antiochenſis.* Mulier ſtolata ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ.

Spectat & hic nummus ad Antiochiam Piſidiæ, & non ad Antiochiam Syriæ, ut putat Patinus pag.

pag. 301. Antiochia autem Syriæ Græcè ſuos nummos cum Metropolis titulo inſcribit. Similem jam nummum Antiochenſes cum Genii typo patri Severo dedicarunt, ſed cum temone pro patera. Genius modò ſub Dei habitu effingitur, modò ſub Deæ effigie; ille Imperatorem, hæc Auguſtam repræſentat. Itaque mulier hæc ſub Genii forma in Severo & Caracalla Juliam exhibet. Antiochenſes illi per uxorem, huic per matrem blandientes, urbem ſuam in Auguſtæ tutela poſuerunt, in cujus rei monimentum utrique Imperatori nummos ſuos dedicarunt.

Hic nummus minimi moduli obvius eſt.



COL. CAES. ANTIOCH. S. R. *Colonia Cæſarea Antiochenſis.* Lupa cum puerulis Romulò & Remo ſub arbore.

Coloniæ Romanæ pro ſymbolo in nummis plerumque Lupam cum puerulis ad indicandam urbis originem ſignabant. Arbor, ficus erat illa Ruminalis, juxta quam Romulus & Remus Lupæ ubera ſugentes, inventi ſunt, ut tradit Plutarchus in Romulo p. 19. Ἦν δὲ πλησίον ἐρινεὸς, ὃν Ρωμινάλιον ἐκάλουν..... Ἐνταῦθα δὲ τοῖς βρέφεσι κειμένοις τήν τε λύκαιναν ἱστοροῦσι θηλαζομένην. *Erat juxta ficus, quam Ruminalem dicebant..... Ad pueros ibi jacentes Lupam tradunt lactantem curſum flexiſſe.* Cùm autem ipſi inter ſe de condenda urbe tractarent, Romuluſque vellet de nomine illam Romam vocare; Remus autem Remuriam appellare, res in Romuli gratiam auſpiciis peracta eſt; Romaque urbs pro inſigni Lupam cum puerulis uſurpavit.

Hic nummus primæ magnitudinis in rariorum ſerie numerandus.

APAMEA Bithyniæ.



M. AVREL. ANTONINVS. P. F. AVG. Caput Caracallæ laureatum.
COL. IVL. CONC. APAM. AVG. D. D. *Colonia Julia Concordia Apamena Auguſtà, Decreto Decurionum.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Apamea Bithyniæ urbs & Colonia jam nummum Juliæ Domnæ obtulit, ſic & Caracallæ ſuos dedicat, quando forſan ille Nicomediæ Bithyniæ Metropoli moratus eſt, ut Dio tradit lib. 77. pag. 878. Πρὶν δὲ ἀπᾶραι ἀπὸ Νικομηδείας, ἀγῶνα μονομαχίας ἐν αὐτῇ ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις ἐποίησεν. *Antoninus antequam excederet Nicomedia, ludos gladiatorios fecit ſuo natali die.* Nicomedia autem à Nicomede Bithyniæ Rege nomen habet, & Apamea ab Apama ejus uxore; teſte Euſtathio in Dionyſ. Perieg. *At veluti Apamia, quam excellens Nicomedes condidit; nomen accepit à muliere quadam Apama.* De Apamenorum privilegiis narrat Plinius Epiſt. lib. 10. ad Trajanum. *Quùm vellem Apameæ, Domine, cognoſcere publicos debitores, & reditum, & impendia, reſponſum eſt mihi, cupere quidem univerſos, ut à me rationes Coloniæ legerentur, nunquam tamen eſſe lectas ab ullo Proconſulum; habuiſſe privilegium, & vetuſtiſſimum morem, arbitrio ſuo Rempublicam adminiſtrare.* Aquila legionaria & ſigna militaria, deductorum in Coloniam Veteranorum inſignia ſunt, ad illius antiquitatem arguendam percuſſa; ſed ex qua Legione tranſmiſſi ſint illi, ignoratur, niſi fortè fortunâ alius nummus illius nomen exhibeat.

Hic nummus primi moduli, à nobis Theſauro Regio additus, rariſſimus & elegantiſſimus eſt.

BERYTUS.



IMP. M. AVR. ANTONIN. Caput Caracallæ laureatum.
COL. BER. *Colonia Berytus.* Neptunus ſtans, pede proræ impoſito, dextrâ Delphinum, lævâ tridentem.

Stephanus Byzantinus Berytum urbem, κτίσμα Χρόνου, *Saturni opus*, eſſe tradit. Sanchoniaton apud Euſebium lib. 1. Præparat. illam Neptuno deinde conceſſam narrat. Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Χρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι· Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι καὶ Καβήροις. *Interea Saturnus Byblum quidem urbem Deæ Baaltidi, quæ & Dione, dono dedit : Berytum autem Neptuno & Caberis.* Nil mirum ſi frequens in Berytenſium nummis occurrat tutelaris urbis Deus, urbem Saturnus condidit, quam Neptuno dedit ; Neptunus forſan in Beroes Nymphæ gratiam, Beroam vocavit, quæ à Romanis dicta eſt Berytus, ut refert Nonnus in Dionyſ. Vide apud eundem Stephanum aliam Beryti etymologiam, de qua Thomas Luſitanus ejus Commentator egregiè diſſeruit.

Hic nummus tertiæ magnitudinis obvius eſt.



IMP. M. AVR. SEV. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Neptunus in curru à quatuor equis marinis vecto, dextrâ Delphinum, lævâ tridentem.

Berytenſes à Peſcennii partibus ſtetiſſe notat Herodianus, ſed Severum iis ignoviſſe teſtantur nummi ejus Beryti percuſſi, & id interventu Caracallæ, qui Antiochenſes etiam patri reconciliaverat, factum fuiſſe ſuſpicati ſumus ; unde frequentes Berytenſium nummi in hujus Imperatoris honorem ſignati. Neptunus urbis tutelaris Deus exhibetur, cujus hic typus inſolens & non obvius : in curru autem cum equis marinis vehitur, tanquam Deus maris : Neptuno tribuuntur equi marini, parte anteriore equi figuram habentes, poſteriore piſcis, quòd ille perhibeatur primus equos domuiſſe, unde Hippius vocatus, id eſt equeſter. Phornutus ita dictum refert à velocitate navigationis maritimæ, quòdque naves in mari quaſi equi eſſe videantur.

Hic nummus minimæ formæ, rariſſimus eſt.



ANTONINVS PIVS. Caput Caracallæ laureatum.
COL. BER. *Colonia Berytus.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea.

Duas illas in nummo Beryti aquilas legionarias, Veteranos duarum Legionum Colonos in eam tranſmiſſos indicare ſæpiùs diximus ; porrò unam modò in Legione aquilam extitiſſe, cùm plura & ſigna & vexilla fuerint, videtur confirmare Tacitus Annal. lib. 1. *Primani ſtratis unà Viceſimanorum Principibus, aquilam abſtulere. Quo dolore accenſa Legio, & plura ſigna vexillaque ex hoſtibus rapuit.* Qualis verò fuerit aquilæ Legionariæ figura, Dionem audias lib. 40. pag. 128. Ὁ γὰρ ἀετὸς, ὠνομασμένος (ἔστι δὲ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ χρυσοῦς ἐνίδρυται) καθίσταταί τε ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ τοῦ καταλόγου στρατοπέδοις, καὶ οὐδαμόσε ἐκ τῶν χειμαδίων, πλὴν εἴποι σύμπας ὁ στρατὸς ἐξίοι, κινεῖται· καὶ αὐτὸν εἷς ἀνὴρ ἐπὶ δόρατος μικροῦ ἐς ὀξὺ τοῦ στύρακα ἀπηγμένου, ὥστε καὶ τὸ ἐς δάπεδον καταπήγνυσθαι, φέρει. *Aquila, exigua quædam eſt ſacelli effigies, inque ea, aquila aurea eſt collocata : conſtituitur autem in omnibus Legionibus Romanis, neque priùs hibernaculis effertur, quàm univerſus exercitus egrediatur. Eam aquilam haſtæ impoſitam unus quidam vir portat, cujus haſtæ pars infima præacuta eſt, ut in ſolum defigi poſſit.* Sed quia hæc avis Ro-

mani

mani Populi peculiaris erat, Marius in ſecundo conſulatu eam inter alia ſigna militaria dedicavit, eique primum in Legione locum attribuit.

Hic nummus minimi moduli, nec rarus nec obvius eſt.

C ÆSAREA Palæſtinæ.

IMP. M. AV. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

COL. PR. FL. AVG. CAES. *Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea.* Colonus velatus agens boves.

Cæſarea urbs Palæſtinæ prima, ſeu Metropolis, à Veſpaſiano Colonia deducta eſt. Colonus, Coloniæ ex civibus conflatæ ſymbolum eſt. Qui verò in novam Coloniam deduci volebant, ſua apud Triumviros deducendæ Coloniæ deſtinatos nomina conſcribebant; ſicque rei familiaris pondere gravati, ad novas quibus indigerent divitias gratis datas cum familia accedebant. Cæſarea verò ab Herode Rege condita, erat ditiſſima, plurimis ædificiis admodum ſuperba, cujus deſcriptionem legas apud Joſephum Antiq. 15. c. 13. quam à templo & ſtatua Cæſaris *Cæſaream* dictam refert. Περίκεινται δὲ κύκλῳ τὸν λιμένα, λειοτάτου λίθου κατασκευῇ, συνεχεῖς οἰκήσεις, κἀν τῷ μέσῳ κολωνός τις, ἐφ' οὗ νεὼς Καίσαρος ἄποπτος τοῖς εἰσπλέουσιν, ἔχων ἀγάλματα, τὸ μὲν Ῥώμης, τὸ δὲ Καίσαρος, ἥτε πόλις αὐτὴ, Καισάρεια καλεῖται, καλῆς τε ὕλης, καὶ κατασκευῆς τετυχηκυῖα. *Circum portum ædes continuatâ ſerie marmore politiſſimo exſtructæ ſunt, extante in medio tumulo, in quo templum Cæſaris à longè conſpicuum adnavigantibus, & in eo ſtatuæ, Romæ altera, altera Cæſaris; unde nomen Cæſareæ, urbi tam materiâ, quàm artificio ſtructuræ conſpicuæ.* Hæc duodecim annorum ſpatio eſt abſoluta, Rege nec labori parcente nec ſumptibus.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, pro raro habendus.

COL. CAESAREA LIB. ΑΛΦ. *Colonia Cæſarea Libera* 531. Perperam apud Triſtanum COL. CAESAREAE IN ΑΛΦ. Mulier loto inſignis pectore tenus in templo.

Quamvis religiosè admodum obſervaverimus nummos à nobis non inſpectos in hac ſerie non evulgare, liceat tamen hunc à Triſtano Caracallæ tributum tom. 2. pag. 168. in Tyronum gratiam proferre, ut quæ fides nummis alienâ manu tranſmiſſis adhibenda ſit, demonſtretur. Si vix eorum epigraphen, cùm illa paululùm detrita eſt, aſſequantur etiam peritiſſimi; Triſtanus nummum ad Caracallam, ſed P. Harduinus pag. 48. ad Elagabalum ſpectare contendit; plurimi autem Antiquarii hunc & illum Imperatorem confundunt. Triſtanus Letrinum Coloniam in Elidem à Caracalla nomine Cæſaream deductam hariolatur: P. Harduinus nummum ad Cæſaream Antiochenſem Piſidiæ revocat, & pro corrupta Triſtani voce BIN, ſubſtituit ANT. Ferè autem ſimilis epigraphe in ſuperiori Titi nummo Cimelio Chriſtinæ Reginæ, ad Cæſaream Palæſtinæ pertinere docet; exhibet ille COL. CAESAREA LIB. ΑΛΦ. In nummis Cæſareæ Palæſtinæ, ſæpe Aſtarte in templo repræſentatur, nec ulla in Cæſarea Antiochenſi æra; imò verò in nullis Piſidiæ nummis occurrit, quæ frequens in Syriæ provinciis reperitur, ſed contentio eſt, an voces ΑΛΦ. pro æra accipiendæ, vel *Flavia* exponendæ. Res jam in Tito dirempta videtur. Litteræ in hoc nummo inverſæ pro P. Harduino certant, & æram denotant, ſed ipſæ recto ordine in Tito ΦΑΛ. pro nomine gentis *Flaviæ* accipiendæ; nam in iiſdem nummis à ſe invicem tam longo tempore remotis eadem æra convenire nequit; quamobrem nummus Caracallæ à Triſtano datus, rectè à P. Harduino Elagabalo tribuitur, ob eandem Cæſarenſium Palæſtinæ, & Tripolitarum Phœniciæ in eodem littore æram à primo Seleucidarum anno inchoantem.

Hic nummus ſecundæ formæ; à Triſtano tom. 2. pag. 168. vulgatus; inter rariores collocandus.

C A R R H Æ.



ΑΥΤ. Κ. ΑΝΤ. ΓΕΤΑϹ. ΚΑΙ. Αὐτοκράτωρ Ἀντωνῖνος, Γέτας Καῖσαρ. Capita Caracallæ laureati & Getæ sine corona, adversa.

ΚΟΛ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Κολωνία Μητρόπολις Καῤῥηνῶν. Astrum in crescente Luna.

Carrhæ, urbs est Mesopotamiæ, Colonia sub M. Aurelio & L. Vero deducta, cùm hic Mesopotamiam Parthis ab Hadriano relictam recuperasset, quam Severus iterùm à Commodo dimissam recepit. Carrheni Severo gratulantes, quòd Ctesiphonte Parthorum regiâ captâ, milites ejus filios Caracallam scilicet Imperii participem, & Getam Cæsarem dixissent, nummos utrique in rei memoriam percusserunt. Spartianum in Severi vita audias. *Æstate jam exeunte Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso Rege pervenit, & cepit hiemali prope tempore .... & Parthicum nomen meruit. Ob hoc etiam filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum decimum-tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites. Getam quoque minorem filium, Cæsarem dixerunt. Harum appellationum causâ donativum militibus largissimum dedit, concessâ omni prædâ oppidi Parthici : quod milites quærebant.* Crescens Luna in qua astrum ad Deum Lunum, quem Carrheni summâ veneratione colebant, spectat, de quo in M. Aurelio diximus.

Hic nummulus in Cimeliarchio Ducis Cenomanensium, inter elegantissimos adscribendus.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. Caput Caracallæ laureatum.

ΚΑΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΚΟΛ. Κάῤῥα Μητρόπολις Κολωνία. Figura virilis pectore tenus in Luna crescente.

Elegans est nummus qui Deum Lunum uti à Carrhenis colebatur, exhibet; ille veluti chlamyde indutus videtur: crescentem Lunam in capite, ut Luna præfert. Lunus mas, & Luna fœmina idem est Carrhenis apud Spartianum in Caracalla. *Sciendum doctissimis quibusque id memoriæ proditum, atque ita nunc quoque à Carrhenis præcipuè haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat : at verò qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias. Unde quamvis Græci, vel Ægyptii, è genere quo fœminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, mysticè tamen Deum dicunt.* Carrheni verò hunc nummum Caracallæ obtulisse videntur, cùm ille in urbe sua hyemaret, ut narrat idem Historicus. *Deinde quum iterùm vellet Parthis bellum inferre, atque hibernare Edessæ, atque inde Carrhas Luni Dei gratiâ venisset.* Carrheni ideò Deum Lunum in rei memoriam signasse videntur. Κάῤῥα in singulari pro Κάῤῥαι in nummo Alex. Severi infrà describendo legitur.

Hic nummus minimi moduli, inter elegantiores & præstantiores numerandus.

C O I L L U vel C O E L L U.



ANTONINVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.

AEL. MVNIC. COIL. *Ælium Municipium Coillutanum.* Prora navis, desuper cornucopiæ.

Coellu & Coillu in nummis legitur, urbs est Numidiæ littoralis ad Ampsacæ ostia, de qua in Antonino Pio, & Commodo dictum. Caracallæ nummos dedicavit, ei forsan gratulans, quòd Augustus

Auguſtus à patre fuiſſet renunciatus, de quo Herodianus in vita Severi p. 527. Διατρίψας δὲ ἱκανοὺς χρόνους ἐν τῇ Ῥώμῃ τούς τε υἱοὺς αὐτοῦ κοινωνοὺς τῆς βασιλείας καὶ αὐτοκράτορας ἀποδείξας. *Igitur aliquamdiu Romæ moratus, participato filiis Imperio.* Caracallam jam Cæſarem nominavit Auguſtum, & Getam minorem filium, Cæſarem pronunciavit. Prora navis ſitum urbis ad mare indicat : cornucopiæ, illius agrum frugibus & fructibus abundare arguit : hoc autem idem fuiſſe exiſtimatur quod Hercules cum Archeloo in ſpeciem tauri mutato congreſſus, ei detraxit : id Naiades acceptum, & omnium fructuum primitiis refertum, Copiæ conſecrarunt : hujus meminit Ovidius.

Naiades hoc pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt, diveſque meo bona Copia cornu eſt.

Inſcriptionem Gruteri pag. 362. in qua MVNICIPI. CIVILITAN. ad hanc urbem ſpectantem, P. Harduinus Not. ad Plin. lib. 4. pag. 496. ad Cibilitanos populos Luſitaniæ ſtipendiarios revocat.

Hic nummulus, pro raro computatur.



ANTONINVS PIVS. A. Caput Caracallæ laureatum.

AEL. MVNICIP. COIL. *Æliam Municip. Coillutanum.* Diana ſtans Venatricis habitu, dextrâ ſagittam è pharetra dorſo impoſita depromit, ſiniſtrâ arcum geſtat.

Coillutani Dianam in nummo Caracallæ ſignarunt, cùm illam colerent, ut Caracallæ gratularentur, quòd venationi ſtuderet : ſed Caracallæ vocem in nummis haud quæras, ludibrii id cognomen eſt, quod illi inditum tradit Xiphilinus in Epiſt. Dionis, ob proprium genus indumenti in modum pænulæ ab eo excogitatum. Ὥστε καὶ Καράκαλλος διὰ τοῦτ' ἐπικληθῆναι, καὶ τοὺς στρατιώτας μάλιστα ἀμφιέννυσθαι ἐκέλευσεν. *Ex quo Caracallus cognominatus eſt, juſſitque militibus ut ſe eodem genere veſtis induerent.* P. Harduinus hunc Caracallæ nummum legit mutilum pag. 13. AEL. MVNIC. quem ad Æliam Capitolinam revocat ; & ut id probet, hæc addit. *Judaïcum egit triumphum Caracalla, ut Spartianus refert in Severo pag.* 76. Sed eruditus Pater ingenio ſuo abutitur, dum Æliam Capitolinam recenſet Coloniam, poſteà illam pro Municipio accipit, imò eodem loco ipſi Græcam ΙΕΡΑϹ ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩϹ alterius nummi Severi epigraphen tribuit.

Hic nummus minimi moduli, pro rariſſimo habendus.



IM. ANTONINVS PIVS. A. Caput Caracallæ laureatum.

AEL. MVNICIP. COIL. ANT. *Ælium Municipium Coillutanum Antoninianum.* Silenus digito dextro indicans, humero lævo utrem hircinum gerit.

Municipium Coillutanum inſigne quoddam à Caracalla beneficium accepiſſe videtur, ut in grati animi monimentum *Antoniniani* cognomen acceperit. Caracalla primò *Baſſianus* appellabatur, ſed Severus illius pater Antoninum appellavit, ut narrat Spartianus in vita Severi. *In itinere apud Viminatium filium ſuum majorem Baſſianum, appoſito Aurelii Antonini nomine Cæſarem appellavit ; & nomen quidem Antonini idcircò filio appoſuit, quòd ſomniaverat Antoninum ſibi ſucceſſurum.* Senex ille utrem gerens, Silenus eſt, quem Coillutani venerabantur ; nec ut exiſtimat P. Harduinus pag. 120. *Vir ſaccum humeris geſtat, Coloniæ argumentum, ut in nummis Neapoleos Samariæ.* Non modò enim Silenus Neapoli Samariæ, ſed apud Laodicenos Syriæ, Damaſcenos Cæleſyriæ, Troadenſes Phrygiæ, Deultanos Thraciæ, & in aliis regionibus, ut docent nummi, cultus eſt, quem in urbe Eleorum templum habuiſſe narrat Pauſanias lib. 6. P. Harduinus loco cit. redarguit eos qui nummum hunc ad Cæliobrigam Hiſpaniæ retulere, ſed ille non rectiùs ad Cœlium in Calabria non procul à Brunduſio revocavit : at verò Cœlium nequidem Municipium ab illis Geographis dictum eſt.

Hic nummus minutus, inter rariores collocandus.

COMANA.

IMP. CAES. M. AV. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

COL. IVL. AVG. F. COMANORVM. *Colonia Julia Augusta Felix Comanorum.* Mulier tunicata & calatho ornata in templo distylo, manibus extensis, dextrâ verò pateram.

Comana urbs ter gemina, una Cappadociæ, altera Ponti, tertia Pisidiæ, ad ultimam pertinent nummi in quibus ΚΟΜΑΝΕΩΝ epigraphe cum Deo Luno : is autem in hac provincia peculiariter cultus erat ; de prioribus tantùm ambigitur. Cappadocia Regibus usque ad Tiberium paruit ; Pontus verò post Mithridatem profligatum, Romana facta est provincia. At cum nummus *Juliæ* & *Augustæ* nomina præferat, ad Comana Pontica pertinere videtur, illum tamen ad Cappadocica spectare existimat P. Harduinus pag. 120. Videant eruditi Antiquarii. Illa urbs Colonia à Julio Cæsare post devictum Pharnacem Mithridatis filium deducta est, eodem forsan tempore quo in hoc tractu *Sinope*, unde ab eo *Juliæ* ambæ dictæ sunt : Comana verò urbs ab Augusto Veteranis frequentata, aut beneficio accepto dicta est Augusta. Caracalla videtur Ponticæ provinciæ beneficium aut immunitatem aliquam contulisse : non solùm enim Comani, sed & Sinopenses nummos ei dedicarunt, imò ipsi urbem suam Aureliam in accepti beneficii monimentum appellarunt. In ambobus Comanis seu Cappadocicis, vel Ponticis, Bellonæ sacra fiebant, quæ putabantur è Scythica Taurica ab Oreste ejusque sorore Iphigenia eò delata : in hac autem urbe Iphigeniam lugubrem deposuisse comam tradunt, unde Comana urbi nomen factum, teste Strabone l. 12. p. 557. Ὑπὲρ δὲ τῆς Φαναροίας ἐστὶ τὰ τε Κόμανα τὰ ἐν τῷ Πόντῳ, ὁμώνυμα τοῖς ἐν τῇ μεγάλῃ Καππαδοκίᾳ, καὶ τῇ αὐτῇ θεῷ καθιερωμένα, ἀφιδρυθέντα ἐκεῖθεν· σχεδὸν δέ τι καὶ τῇ ἀγωγῇ παραπλησίᾳ κεχρημένα τῶν τε ἱερουργιῶν, καὶ τῶν θεοφοριῶν, καὶ τῆς περὶ τοὺς ἱερέας τιμῆς. *Super Pharanæam sunt Comana Ponti, ejusdem nominis cum his quæ in magna sunt Cappadocia, eidemque consecrata, atque adeò inde imitata, sed & iisdem ferè utuntur ritibus sacrorum, divinorum instinctuum & honoribus sacerdotum.* Templum, in quo Bellona Dea calathum gerit, ut Genius urbis.

Cùm autem quædam litteræ in nummo per typum geminatæ fuerint, P. Harduinus pag. 120. ejus epigraphen ita protulit COL. IVL. AVG. C. I. F. COMMANORVM, & sic interpretatus est, *Colonia Julia Augusta Colonia Julia Felix Comanorum* ; sed cùm minùs arrideret, aliam substituit pariter adulterinam, *Colonia Julia Augusta Concordia Invicta Felix Comanorum.* Sed I. & C. expungendæ.

Hic nummus primæ magnitudinis, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

CORINTHUS.

M. AVREL. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Hercules nudus stans, dextram super femora admovet, lævâ axillâ innixâ clava, cyppo impositâ.

Corinthii eundem Herculis typum in Caracallæ & Severi nummis percusserunt ; quòd pater peculiarem illi cultum adhiberet : Herculem enim & Bacchum *Deos Auspices* vocabat, ipsisque Romæ templum erexit, teste Dione ; Corinthii etiam Herculem venerabantur, cujus statuas in urbe eidem positas tradit Pausanias lib. 2. Una est ultra Propylea, de qua in M. Aurelio pag. 182. diximus ; altera juxta templum Minervæ Frænatricis. Τὸ δὲ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Χαλινίτιδος πρὸς τῷ θεάτρῳ σφίσιν ἐστίν. Καὶ πλησίον ξόανον γυμνὸν Ἡρακλέους, Δαιδάλου δὲ αὐτὸ φασὶν εἶναι τέχνην. *Templum verò Minervæ Frænatricis juxta theatrum est, & ei proximum Herculis nudo corpore ligneum signum, quod à Dædalo factum tradunt.* Caracalla autem se ad Herculis virtutem accessisse jactabat, apud Spartianum ; quod apros frequenter excepisset, & contra leonem stetisset.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ, nec obvius nec rarus est.

IMP.



IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Puer Delphino ſubſtratus juxta arborem.

Puer ille Melicerta eſt à Delphino exceptus. Cùm autem Ino mater ſe in mare præcipitem cum eo dediſſet, illa à Megarenſibus ſuſcepta, Dea ab ipſis vocata eſt Leucothea; hic in Iſthmum deportatus, Palæmon à Corinthiis cognominatus eſt, de quibus Ovidius Metam. 4.

Leucotheaque Deum cum matre Palæmona dixit.

Arbor, pinus eſt, juxta quam inventum narrant Melicertæ corpus. Hujus arboris ramis victores ludorum Iſthmicorum in ejus honorem inſtitutorum ad rei memoriam ſunt coronati; nemus erectis & præaltis pinubus conſitum erat ad ſtadium, & templum in quo poſitæ victorum ſtatuæ, ut tradit Pauſanias lib. 2. pag. 86. & 87. Θέας δὲ αὐτόθι ἄξια ἐστὶ μὲν θέατρον, ἐστὶ δὲ στάδιον λίθου λευκοῦ. Ἐλθόντι δὲ ἐς τοῦ θεοῦ τὸ ἱερὸν τοῦτο μὲν ἀθλητῶν νικησάντων τὰ Ἴσθμια ἑστήκασιν εἰκόνες, τοῦτο δὲ πιτύων δένδρα ἐστὶ πεφυτευμένα ἐπὶ στοῖχον τὰ πολλὰ ἐς εὐθὺ αὐτῶν ἀνήκοντα. *Inſignia verò illic opera, theatrum & ſtadium è candido lapide. Quà ad ipſum Dei fanum aditus eſt, una in parte athletarum poſitæ ſunt ſtatuæ, qui victores in Iſthmiis renunciati fuère: in altera pinus conſitæ, & earum multæ quaſi ad rectam lineam.*

Hic nummus mediocris & minuti moduli tritus & frequens.



M. AVRELIVS ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victoria bigas agit, ſiniſtrâ flagrum.

Corinthii, ut patri Severo, ſic Caracallæ filio Victoriam bigas agentem; non ad victoriam de hoſtibus relatam, ſed ob eam quam ille in Agone Capitolino patris nomine reportavit, ſignaſſe videntur: Victoria enim flagrum & non palmam gerit, ut denotet ludos quos Caracallam plurimùm dilexiſſe tradit Dio lib. 77. pag. 873. Ἐκ δὲ τῶν φόνων ἐς τὰς παιδιὰς ἀπεκλίνων. *Poſt hæc ex his cædibus animum ad ludos applicat.* Et pag. 874. Προσέτι καὶ θέατρα κυνηγετικὰ, καὶ ἱπποδρόμους πανταχοῦ, ὅπουπερ καὶ ἐχείμασεν, ἢ καὶ χειμάσειν ἤλπισε, κατεσκευάσαμεν, μηδὲν παρ' αὐτοῦ λαβόντες. *Prætereà amphitheatra, & circos in omnibus locis, in quibus hiemavit, aut ſe ſperavit hiematurum, gratis exſtruximus, eaque diruebantur illico.* Bigas in ludis & agonibus Olympicis tandem admiſſas alicubi diximus.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro raro notandus.

DEULTUM.



IMP. M. AVREL. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacenſis Deultum.* Pallas galeata ſtans, dextrâ clypeo innixa, ſiniſtrâ haſtam.

Deultum urbs Thraciæ nummos Caracallæ forſan conſecravit, dum ille per Thraciam in Syriam proficiſceretur, ut meminit Herodianus l. 4. in ejus vita p. 584. Ἐπεὶ δὲ τὰ περὶ τῷ Ἴστρῳ στρατόπεδα διῴκησε, κατῆλθέ τε εἰς Θρᾴκην, Μακεδόσι γειτνιῶσαν. *Sed ubi milites apud Danubium ordinavit, atque in Thraciam Macedonibus conterminam diſceſſit.* Deultum Colonia à Veſpaſiano ex Veteranis deducta eſt, & de nomine gentis ſuæ dicta eſt *Flavia*, & à cultu Deæ Pacis, cui templum Romæ in quarta regione ædificavit; teſte P. Victore de Reg. urbis, *Pacenſis* vocata eſt. Nummus exhibet Miner-

vam, cui fortè templum Deultani, Domitiano Fundatoris filio gratulantes, erexerunt, ob peculiarem ejus Imperatoris erga hanc Deam cultum. Minerva seu Pallas eadem est, ut innuit Virgilius Æneid. 1.

Nata Jovis Pallas, suprà est quæ dicta Minerva.

Hic nummus mediocris moduli, inter rariores numerandus.



COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

En Deulti alterum erga Caracallam observantiæ monimentum; urbs Romani juris facta, Lupam cum puerulis exhibet, ad originem Romæ indicandam: Coloniæ quidem Romanæ symbolum est hic typus, sed non constitutæ ex Romanis militibus argumentum, ut refert P. Harduinus pag. 137. Deductæ civium Coloniæ index Colonus est agens boves: aquila legionaria, vel signa militaria, Veteranorum sunt insignia: Lupa verò ab ambobus promiscuè usurpatur.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 301. vulgatus, pro raro notandus.

E D E S S A.



ATT. K. M. A. ANTΩNEINOC. Caput Caracallæ laureatum.

MAP. ATP. ANTΩ. EΔECCA. Μαρκία Αυρηλία Αντωνινιάνη, & ut in multis occurrit nummis, Αντωνινιάνη Εδεσσα, & non Μάρκος Αυρήλιος Αντώνεινος Εδεσσα, ut putat P. Harduinus pag. 144.

Edessa olim Antiochia, Osrhoënorum in Mesopotamia urbs, Abgarenorum Regum sedes, ipsis à Caracalla erepta: cùm enim Abgarus Rex à Severi partibus contra Parthos magnâ sagittariorum manu ei in auxilium missâ stetisset, in summo honore ab eo habitus est, Romamque allectus, illum magnificè Imperator excepit; Caracalla verò contra Parthos bellum gesturus, eum decepit, & vinctum retinuit, ut narrat Dio lib. 77. pag. 875. Ηπατήσας γὰρ τὸν βασιλέα τῶν Οσροηνῶν Αβγαρον ὡς δὴ παρὰ φίλον αὐτὸν ἥκειν, ἔπειτα συλλαβὼν ἔδησε, καὶ τὴν Οσροηνὴν οὕτω ἀβασίλευτον οὖσαν λοιπὸν ἐχειρώσατο. *Cùm ad ipsum tanquam ad amicum, Abgarus Rex Osrhoënorum fraude pellectus venisset, ei fidem fregit, comprehensumque conjecit in vincula, & Osrhoënen Rege destitutam cepit.* Edessam regni primariam urbem deduxit Coloniam, & illi gentis *Aureliæ*, in quam ipse transierat, nomen dedit, uti superstites ejus nummi nos edocent. Caput turritum, Coloniæ Genius est; Fluvius, Scirtus est, ad quem sita urbs.

Hic nummus mediæ formæ tritus est.



KOΛ. EΔEΣΣA. Κολωνία Εδεσσα, in aliis KOΛΩ. MAP. EΔEΣΣA. Κολωνία Μαρκία Εδεσσα, in aliis KOΛ. MAP. ATP. EΔEΣΣA. Κολωνία Μαρκία Αυρηλία Εδεσσα. Caput velatum & turritum.

Genius urbis in Syriæ provinciæ civitatibus sæpe sub muliebri capite turrito præsertim in primariis urbibus exhibetur. Edessa autem Osrhoënæ, ut diximus, caput erat, urbs ampla ad Scirtum in Chaboram fluvium defluentem in clivo sita, de qua inquit Spartianus. *Edessam in Osrhoëna in provinciæ formam redegit amico Rege Abgaro, non victo, sed vincto perfidissimè.* Nummi Marciæ & Aureliæ nomina præferentes, urbem à Caracalla Coloniam constitutam demonstrant, nam, ut

ipse

ipſe Edeſſenorum animos ſibi conciliaret, illam etiam Metropolim pronunciavit : cùm autem in ea hiberna ageret, Coloni vel adulantes, vel beneficii memores, non urbem ampliùs Edeſſam, ſed tantùm COL. MET. ANTONINIANA, *Colonia Metropolis Antoniniana*; inſcripſiſſe videntur; uti legitur in altero nummo obvio, qui mutilus à Patino pag. 298. num. 8. vulgatus eſt : ſi noſtra non arridet ſententia, poſterius hoc numiſma inter incerta amandetur.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ obvius, alter minimi tantùm moduli rarus.



ΑΥΤΟ. ΚΑΙϹ. ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. Caracalla medio corpore tenus, capite laureato.

ΚΟΛΩ. ΜΑΡ. ΕΔΕ. Κολωνία Μαρκία Ἐδεσσα. Nec ſubſtituendum tanquam nummo mutilo Μ. ΑΥΡ, pro ΜΑΡ, ut P. Harduinus pag. 145. contra Patinum contendit. Duo capita turrita & velata adverſa, arulâ intermediâ.

Caracallam Edeſſæ mortuum narrant Rufus & Eutropius, ille in Breviario. *In Oſrhoena apud Edeſſam properâ morte obiit, & ibidem ſepultus eſt.* Hic verò lib. 8. *Defunctus eſt Edeſſæ in Oſrhoena, moliens adverſus Parthos expeditionem.* Sed cur duo capita velata in Edeſſæ nummis? An duo ſint ejuſdem urbis Genii, vel potiùs duæ urbes, una ſuperior in clivo, ut denotat Genius urbis montibus inſidens in priori Edeſſæ nummo ſignatus; altera verò inferior ad fluvium condita, ut arguit figura illa Fluvii enatantis formâ depicta. Arula intermedia utrique Genio ſacrificia perpetrari indicat. Edeſſam antiquiſſimam urbem memorat D. Iſidorus lib. 15. Etym. nempe à Membroth conditam.

Hic nummus minimi moduli, inter raros adſcribendus.

EMISA.





ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Caput Caracallæ laureatum.

ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ. Ζ. Κ. Φ. 527. Aquila globo ſeu lapidi in coni formam inſiſtens, roſtro coronam gerit.

Emiſa urbs Phœniciæ, Colonia à Caracalla in matris Juliæ, ex qua erat oriunda; honorem deducta eſt, ut in Juliæ nummis diximus. Aquilam globo ſeu lapidi inſiſtentem, ad Jovem potiùs, quàm ad Imperium Romanum ſpectare exiſtimamus, ſiquidem Aquila Jovis eſt ales, ſub cujus figura ſæpe ille repræſentatur. Jupiter & Sol idem eſt Macrobio Saturn. lib. 1. cap. 22. *Nec ipſe Jupiter Rex Deorum Solis naturam excedere videtur.* Imò Jupiter Emeſæ ſub Solis nomine imprimis colebatur, ideò Elagabalus Solis Sacerdos aquilam lapidi in coni formam inſiſtentem ſuper currum in nummis pro Deo ſuo cælari juſſit cum hac epigraphe, SANCT. DEO SOLI ELAGABAL. Litteræ numerales ΖΚΦ. annum æræ urbis Emiſæ 527. indicant, quæ cum Tripolitanis Phœniciæ annos 531. 532. & 533. in nummis Elagabali computantibus convenit, & idem initium habere videtur cum celeberrima Seleucidarum æra, cujus caput anno urbis Romæ 442. aſſignatur : nam ſi his addantur 527. in nummo ſignatis, efficient U. C. 968. quo tempore in Syriam venit Caracalla. Euſebius in Chronico eandem Edeſſenis epocham tribuit. Triſtanus ſimilem nummum tom. 2. pag. 221. vulgavit, cui poſt ΕΜΙϹΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑϹ, additâ voce ΑΥΓ. duas tantùm priores æræ litteras Ζ. Κ. omiſsâ Φ. appoſuit, quas P. Harduinus numerales tanquam ſuperfluas, non inſpecto nummo regio, prætermiſit, ſed rectè eas Ill. Spanhemius obſervavit.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, à Spanhemio Not. in Juliani Cæſſ. pag. 369. cælatus, inter rariores numerandus. Alter eodem typo inſignis nummus, ſed cum litteris ΗΚΦ. *aſſervatur Bononiæ apud Hæredes Val. Polazzi, de cujus æra in ſequenti nummo.*



ΕΜΙCΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC Η. Κ. Φ. 528. Ingens lapis in conum assurgens super ara in templo sex columnarum.

Lapis ille prægrandis in hoc templo aræ impositus, simulacrum est Dei Elagabali seu Solis, supra quod aquila insistere videtur in superiori nummo: ipsius descriptionem legas apud Herodianum in vita Macrini pag. 563. Λίθος δέ τις ἐστὶ μέγιστος, κάτωθεν περιφερὴς, λήγων εἰς ὀξύτητα κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά· διοπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν, ἐξοχάς τε τινὰς βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν· εἰκόνα τε Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, οὕτω βλέποντες. *Sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cœlitus decidisse. Eminent in lapide quædam, formæque nonnullæ visuntur, ac Solis imaginem esse affirmant.* Templum illud auro argentoque plurimo ac lapidum eleganti magnificentiâ exornatum narrat idem Historicus; quod Vopiscus Aurelianum post Zenobiam devictam ingressum tradit. *Emessam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Elagabali tetendit.* Id adeò excelsum fuisse memorant, ut Festus Avienus illud cum Libano monte conferat.

Libanus frondosa cacumine turget,
Et tamen his certant celsi fastigia templi.

Litteræ numerales ΗΚΦ. annum æræ urbis designant 528. initio ab anno U. C. 442. & Seleucidarum epochæ primo desumpto, ut suprà diximus: sed has omnes Syriæ & Phœniciæ æras fusè mox explanabit eruditissimus P. Norisius in libro *De annis & epochis Syro-Macedonum*; cujus legendi summo desiderio litterati, sed præsertim rei nummariæ studiosi, flagrant. Nummum hunc vulgavit Tristanus tom. 2. p. 220. sed cum detrita & mutila epigraphe, quam ex Goltzii Thesauro mutuatus est, ΚΟΙΝ. ΔΕΙΗΝΩΝ, & ad nescio quam urbem nomine Diam juxta Sinum Arabicum revocavit. P. Harduinus p. 135. utrumque redarguens, inquit, *Neuter quo spectaret hic nummus vidit.* Sed eruditus Pater illum Dio Decapolitanæ regionis in Syria urbi non feliciori fato tribuit, cùm is ad Coloniam Emisenam spectet.

Hic nummus primæ magnitudinis, in musæo D. Dron Can. D. Thomæ à Lupara, apud Tristanum tom. 2. pag. 220. vulgatus, pro rarissimo habendus.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. Caput Caracallæ radiatum.
ΕΜΙCΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC. ΚΦ. Mulier turrita patrio habitu sedens, pro pedibus figura Fluvii enatantis instar, brachiis expansis.

Mulier illa sedens turrita, Genius est Emisæ, quæ inter alias Phœniciæ urbes celeberrima memoratur à Metaphraste in vita SS. Martyrum Galactionis & Epithemis. *Phœnicia*, inquit, *quæ ad montem Libanum est, multæ quidem sunt aliæ civitates, sed aliarum omnium præstantissima, & ad partes Boreales sita Emisa.* Fluvius in ima nummi parte Orontem designat urbi adfluentem, ille autem ex Libano monte ortum ducit.

Litteræ ΚΦ. in nummo minimæ formæ Thesauri Regii integerrimo, æræ annum designant; hunc tamen mutilum vulgavit Patinus pag. 304.... ΕΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC, ductâ lineolâ supra utramque litteram ΚΦ. quas P. Harduinus solito numeralium modo interpretatus est 220. cum altero Juliæ ectypo in eadem urbe cuso, sed apud Patinum p. 290. exeso, ambos ad annum Sept. Severi 17. revocavit, rectè quidem initio epochæ ad æram Seleucidarum assignato; sed ex Ulpiani verbis ab erudito Patre allatis, de Censibus Leg. 1. *Sed & Emisenæ civitati Phœnices, Imperator noster jus Coloniæ dedit, jurisque Italici eam fecit.* Probatur Emisa Colonia à Caracalla post patris mortem constituta. Nummus ergo Coloniæ titulum sub Severo habere, & ad 17. ipsius Imperii annum spectare nequit; itaque ad Archetypa Regia confugere oportuit: in nummo autem Juliæ literas ΗΚΦ. 528. quas jam notaverat Ill. Spanhemius Not. in Juliani Cæss. p. 361. æræ congruentes observavimus: in hoc autem Caracallæ, lineam supra Κ tantùm, & non supra Φ, ut signavit Patinus, ductam vidimus: at æra 520. cum Coloniæ titulo sub Caracalla haud stare potest, nihilque superflui in nummis, præsertim verò in notis numeralibus, cælari videtur. Lineam illam esse

esse litteram ┌ sic deductam, aut ┌ ut in nummis Syriacis ita exaratam suspicatur vir eruditissimus D. Toinardus, prior 523. æræ Emisenorum, & primum Caracallæ Imperii annum : altera verò 526. epochæ & 3. regni exhibet; posteriori libenter accedimus, quòd hoc U. C. 967. anno Caracalla cum Julia matre Emisena in Syriam venerit, in cujus gratiam illum Emisam constituisse Coloniam verisimile est.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 324. vulgatus, inter rarissimos numerandus.

HELIOPOLIS.



M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Augusta Felix Heliopolis*, vel *Heliopolitana.* Tres urnæ, in unaquaque palmæ ramus; infrà verò CERT. SACR. CAP. OEC. IS. HEL. *Certamen sacrum Capitolinum Oecumenicum, Iselasticum, Heliopolitanum*; & non *Certamina, &c.* ut legenda monet P. Harduinus p. 192. teste Valeriani nummo infrà describendo.

Heliopolis, urbs est Phœniciæ, Colonia à Julio constituta; ab Augusto Veteranis frequentata, de qua passim dictum est. Tres urnæ cum lauri ramis spectant ad certamen Heliopoli celebratum, in quibus triplex erat, scilicet Equestre, Gymnicum, & Musicum : unde tres urnæ in nummis percussæ. Oecumenicum dicitur, quòd Syriis non modò athletis, sed ex toto terrarum orbe receptis, celebraretur : Iselasticum, quòd victores in patriam quadrigis, Græci εἰσελαύνειν, *transvehi*, dicerentur, quibus Trajanus Imp. apud Plinium Jun. lib. 10. ep. 190. & 120. annonaria commoda jubet præstanda à civitate ex qua essent oriundi, non ex eo die quo essent Athletæ coronati, sed quo eorum quisque in urbem suam εἰσήλασεν ἄν, *ingressus esset*. Certamen illud dictum erat sacrum, quia in honorem Dei alicujus celebrabatur : hoc verò dicatum fuerat Jovi Capitolino à Colonis Roma Heliopolim allato. Horum ludorum in urbe institutionem à Furio Camillo Dictatore factam tradit Livius Dec. 1. lib. 6. *Capitolinos ludos solemnibus aliis addidimus, Collegiumque ad id novum auctore Senatu condidimus.* Eorum fit mentio in veteri inscriptione apud Sponium Miscell. sect. 10. pag. 364. ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ ΕΝ ΡΩΜΗ, *Capitolia Romæ.*

Hic nummus mediocris formæ perrarus est.



COL. HEL. *Colonia Heliopolis* seu *Heliopolitana.* Templum decem columnarum à latere, in cujus vertice I. O. M. H. *Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.*

Heliopolitani beneficiorum Sept. Severi memores nummos ipsi dedicarunt, sic & suos Caracallæ filio percutiunt. Severus eos ob merita belli civilis jus Latii dedit, quod etsi Coloni longè antè, ut diximus, constituti non obtinuerant, aut eo ab aliquo Imperatore privati fuerant, templum idem, quod & in patre Jovis, nimirum Capitolini, qui ab incolis Heliopolis urbis, Heliopolitanus dictus est; nam ut observat alicubi Diodorus, Dii à loco denominabantur, unde apud Tertullianum trecenti Joves numerantur. Lucas Holstenius Not. in Stephan. pag. 129. famosissimum templum quod in hac urbe τὸ Βαλανίε Chronicum Alexandrinum refert à Theodosio Christianorum cultui concessum, in verbo Βαλανίε latere Beli aut Baal Solis Numen existimat. Jam diximus apud Syrios & Phœnices eundem esse Jovem & Solem ex Macrobio : *Assyrii quoque Solem sub nomine Jovis, quem Dia Heliopoliten cognominant, maximis ceremoniis celebrant in civitate quæ Heliopolis nuncupatur.*

Hic nummus secundi moduli, rarior est in Caracalla quàm in Severo.



COL. HEL. *Colonia Heliopolis.* Caput velatum & turritum, pone quod laurus, in aliis cornucopiæ.

Hic nummus ad Heliopolim, & non ad Helviam urbem, ut refert Patinus in Indice pag. 19. spectat. De Heliopoli Phœniciæ loquitur Anonymus, quem vulgavit Gothofredus in Hexegesi totius Mundi §. 10. Ἡλιόπολις, ἣ πλησιάζει τῷ Λιβάνῳ ὄρει. *Heliopolis, quæ propinqua est Libano monti.* Multæ enim erant urbes Heliopolis nomine, quæ recensentur à Stephano de Urbibus. Hæ ob idem nomen eadem Numina venerari videntur. Macrobius enim Saturn. 1. cap. 23. Heliopolim Phœniciæ ab Heliopoli Ægyptiaca simulacrum Jovis seu Solis accepisse narrat, unde forsan nomen. *Ejus Dei simulacrum sumptum est de oppido Ægypti, quod & ipsum Heliopolis appellatur, regnante apud Ægyptios Senemure, seu idem Senepos nomine: perlatumque est primum in eam per Opiam Legatum Deleboris Regis Assyriorum, Sacerdotesque Ægyptios, quorum Princeps fuit Partemetis; diuque habitum apud Assyrios, posteà Heliopolim commigravit.* Caput turritum, solenne est urbium symbolum. Lauri ramus in area nummi, pone caput muliebre, an Monetarii nota, an potiùs laurus dicata Soli, qui idem est cum Apolline apud eundem Macrobium loco laudato. *Hujus templi religio etiam divinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est.* Quod confirmat Pausanias in Achaic. pag. 443. Ἀπόλλωνα ἢ Ἥλιον, *Apollinem, qui Sol ipse est.*

Hic nummus secundi & minimi moduli, nec rarus nec obvius est.

HIPPO Regius.



ANTONINVS PIVS. AV. Caput Caracallæ laureatum.
C. G. I. H. P. A. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Pia Augusta.* Ceres gradiens, utraque facem ardentem.

Hippo urbs Africæ littoralis gemina, unde *Gemellæ* nomen, à Julio Colonia deducta, dicta est Julia; ejus meminit Plinius Secundus ad Caninium lib. 9. epist. *Est in Africa Hipponensis Colonia mari proxima.* Hipponem à Phœnicibus conditam tradit Sallustius de bello Jugurthino. *Posteà Phœnices .... Hipponem, Adrumetum, Leptim, aliasque urbes in ora maritima condiderunt.* Hunc Caracallæ nummum vulgavit P. Harduinus pag. 189. quem ad Coloniam Hadrumetinam frustrà revocat. Hanc ex Gruteri inscriptione Coloniam indicat à Trajano deductam, unde VLPIA TRAIANA AVGVSTA FRVGIFERA HADRVMETINA. Nostra Gemellæ Juliæ Hipponensis Piæ Augustæ cognomina exhibet, de quibus in Marco Aurelio diximus, ut de Cereris in Africa cultu ex Tertulliano: illa accensis in Ætna monte tædis Proserpinam filiam perquirit, ut canit Statius Theb. 12.

Qualis ab Ætnæis accensâ lampade saxis
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
Ausonium Siculumque latus.

Hic nummus minimæ formæ, inter raros adscribendus.

LAODICEA.



IMP. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.
COL. LAODICEAS METROPOLEOS. *Coloniæ Laodiceas Metropoleos.* Δ. Ε. in area; Δημαρχικῆς ἐξουσίας. Aquila in templo distylo.

Sex sunt Laodiceæ urbes à Seleuco Nicatore de Laodices matris nomine conditæ, teste Libanio in Antioch. ex quibus una tantùm Colonia à Sept. Severo constituta est, quam Tristanus & P. Harduinus ad eam quæ in Cælesyria est, pro illa quæ in Syria ad mare collocatur, revocarunt; Ulpianum in lib. 1. de Censibus forsan sequuti, cujus hæc sunt verba. *Est & Laodicena Colonia in Syria Cæle, cui divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit.* Sed expungenda est vox *Cæle*, ut docet Paulus lib. 2. de Censibus. *Laodicea in Syria, & Berytus in Phœnice juris sunt Italici.* Holstenius in Stephanum p. 187. Tristani quidem errorem arguit. *Proculdubio enim*, ait, *Syriæ Laodicea, & quidem illa maritima ibi intelligitur, quæ Colonia facta, jus Italicum ob belli civilis merita à D. Severo accepit.* Sed ipsius Laodiceæ nummos antequam facta sit Colonia, cum aliis hujus nominis Laodiceæ urbium numismatibus confundit: unde dubius inquit: *Qui omnes quorsum referendi, videndum ampliùs.* P. Harduinus fol. 286. hunc Caracallæ nummum Laodiceæ Cælesyriæ adscribit, utriusque Laodiceæ Syriæ scilicet propriæ, & alterius Cælesyriæ quæ ad Libanum est, nummos promiscuè describit, quorum distinctionem in Tyronum gratiam, etiamsi id ad Librum quem de nummis Græcis, Deo juvante, edituri sumus, pertineat, hìc proferre lubet.

Laodiceni Syriæ, παράλιοι, id est ad mare, cùm à Julio Cæsare beneficium quoddam accepissent, se Julienses appellarunt, ad quos pertinent nummi in plurimis Imperatoribus cusi cum epigraphe ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, addita à beneficio æra puta in Trajano ΒΞΡ. anno 162. de qua Eusebius loquitur in Chron. ad 2. annum Probi Imp. *Juxta Laodicenos* CCCXXIX. supra quod Scaliger in Comm. pag. 240. inquit. *Ergo epocham Laodicenam Antiochena antevertit anno uno. Haud dubiè à Cæsare est, quemadmodum & Antiochena.* Sed hanc ille ad Cælesyriam perperam revocat, Laodicea deinde in bello civili Pescennii cum Severo, in odium Antiochiæ Severo acclamavit, teste Herodiano. *Laodicea quidem in Syria, Antiochenorum odio, Tyros in Phœnicia Berytiis infensa, quæ nunciatâ Nigri fugâ, sublatis illius honoribus, Severo prosperè acclamarunt.* Antiochiâ igitur à Severo captâ, ille Antiochiæ privilegia Laodiceæ attribuit, ut innuit idem auctor. *Byzantium urbs, omni cultu atque honore detracto, Perinthiis adjudicata est, quemadmodum Antiochia Laodicenis.* Laodiceni beneficii memores, se Julienses Laodicenos Severianos indigitarunt cum titulo Metropolitarum, testibus Severi nummis cùm epigraphe ΙΟΥΛ. ΛΑΟΔΙ. CΕΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Ιουλίας Λαοδικείας Σευηριανῆς Μητροπόλεως. Sed cùm Caracallæ interventu Severus Antiochenis ignovisset, & ipsis jura reddidisset, Severus quasi pro remuneratione Laodiceam Coloniam constituit, jure Italico ipsi concesso, & relicto Metropoleos secundæ titulo, unde in nummis COL. LAODICEAS METROP. inscribitur. Ad hanc etiam urbem pertinent minuti nummi cum epigraphe Latino-Græca LAODICEON. cum capite turrito in templo, & aliis typis.

Laodicea Cælesyriæ, quæ Cabiosa Plinio dicitur, ad Libanum montem sita, omnes habet nummos ad prioris distinctionem cum Libani nomine. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΝ ΤΩ ΛΙΒΑΝΩ. in Antonino Pio. ΛΑΟΔΙΚ. ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝΩ, in Severo & Caracalla. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΛΙΒΑΝΟΥ, in Trajano Decio. Aquila in templo potiùs ad Jovem, quàm ad Imperium Romanum spectare videtur. De litteris Δ. Ε. in Antiochia Syriæ suprà dictum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Tristano tom. 2. pag. 177. & à Patino pag. 298. mutilus etsi vulgatus, pro raro habendus.

P A T R Æ.



M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput Caracallæ nudum.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Mercurius insidens scopulis, dextrâ extensâ, sinistrâ caduceum, pro pedibus aries.
COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Idem Mercurii signum in templo duarum columnarum.

Patræ urbs Achaiæ inter nummos quos præsertim Caracallæ dedicavit, alter Mercurii signum, alter verò ejus templum cum eodem simulacro exhibet: sed de Mercurii signis, templo, aut cultu in Colonia Patrensi, ne verbum quidem apud Pausaniam. In arce tamen aut in clivo Mercurius insidens rupibus, templum habuisse denotat. Sed ad quid Mercurius in his Caracallæ nummis? an ut ille facundiæ Deus creditus, Colonia Patrensis adularetur Imperatori, quòd ille eloquens

quens videri vellet? Spartianus de illo tradit. *Non erat ille tardus in litteris.* Et Suidas in ejus vita hæc habet. Ὅτι Σεβῆρος καὶ πάνυ πᾶσι τοῖς εἰς ἀρετὴν τείνουσι, καὶ κατὰ τὸ σῶμα, καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν, ἤσκησε τὸν Ἀντωνῖνον ὥστε καὶ αὐτοκράτορα ἤδη ὄντα, καὶ διδασκάλοις συνεῖναι, καὶ κατὰ τὸ πολὺ τῆς ἡμέρας φιλοσοφεῖν. *Traditur Severus omnibus rebus ad animi corporiſque virtutem pertinentibus, Antoninum ſtudioſè excoluiſſe; ut jam Imperator quoque, & magiſtris adhuc uteretur, & magnam diei partem philoſopharetur.*

Uterque nummus mediocris magnitudinis, rarus. Prior à Patino pag. 298. vulgatus eſt.

M. AVR. ANTONINVS PIVS AVG. Caput Caracallæ cum laurea.

COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Diana Venatrix ſtans cum pharetra dorſo impoſita, dextrâ ſpiculum gerit, pro pedibus canis venaticus.

IMP. ANTONINVS PIVS AVG. GERM. Caput Caracallæ laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Diana Venatrix ſtans, ſiniſtrâ arcu innixâ.

Licet uterque nummus Dianam Venatricem exhibeat, diverſus tamen illarum ſitus & poſitio ad eamdem Dianam non pertinere denotat; variæ enim Patris colebantur apud Pauſaniam in Achaicis: Laphria, Limnatis, & Triclaria; de priori ſic loquitur ille pag. 44. Τὸ μὲν δὴ σχῆμα τοῦ ἀγάλματος θηρεύουσά ἐστι. *Præfert ſignum Venatricis habitum.* Ad eam ſpectat nummus poſterior; nam Diana in Neronis & Domitiani nummis lævâ arcu innixâ eodem modo percuſſa eſt, cum epigraphe DIANA LAPHR. Prior nummus Limnatidis eſſe videtur, cujus ſignum Preugenem Spartanis ſubripuiſſe narrat idem Pauſanias pag. 437. nullum autem erat in Triclariæ templo ſimulacrum eodem Hiſtorico teſte pag. 442. Καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Τρικλαρίας ἐστὶν, ἄγαλμα οὐδὲν ἔτι ἔχον. *Et Triclariæ templum, in quo ſignum omnino nullum reliquum eſt.* Poſterior nummus *Germanici* nomen præfert, quem titulum Caracalla, teſte Spartiano, ſibi aſſumpſit. *Et quum Germanos ſubegiſſet, Germanicum ſe appellavit.* Apud Herodianum, ille ad ripas Danubii pervenit, ac partes Imperii Romani Septentrioni ſubjectas ordinavit. Patrenſes Imperatori adulantes, nummum in ipſius honorem cum Germanici titulo percuſſerunt.

Prior nummus minimi moduli, alter ſecundi; uterque nec rarus nec obvius.

PELLA.

IM. C. M. AVR. ANTONINVS.

C. IV. in aliis, COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Auguſta Pella.* Mulier tunicata ſedens cum calatho in capite, dextrâ verſus faciem admovere videtur, ſiniſtrâ ſellæ innixâ.

Pella urbs Macedoniæ, de qua in Hadriano dictum, Colonia à Julio Cæſare conſtituta, & Veteranis ab Auguſto frequentata eſt, unde *Juliæ* & *Auguſtæ* nomina. Mulier illa calatho inſignis, Genius eſt urbis ſedens, & ſicut in nummis Romanis Securitas depingitur, tanquam urbs in tumulo ſita, & ut notat Livius, ad provinciæ ſecuritatem naturâ & arte munita; ita ut Philippus Rex Macedoniæ in ea natus, illam plurimùm auxerit, adſtipulante Strabone in Excerpt. lib. 7. pag. 330. Ὅτι τὴν Πέλλαν οὖσαν μικρὰν πρότερον Φίλιππος εἰς μῆκος ηὔξησε τραφεὶς ἐν αὐτῇ. Ideò rectè Livius lib. 44. c. 45. *Situm urbis undique adſpiciens, quam non ſine cauſa delectam eſſe regiam advertit.* Quapropter à Julio Colonia videtur conſtituta, & ab Auguſto conſervata ad provinciæ ſecuritatem, cui alludit Lucanus ab Ill. Spanhemio laudatus.

Exiguæ ſecura fuit Provincia Pellæ.

Hic nummus mediocris formæ, ab Ill. Spanhemio Not. in Julian. Cæſſ. pag. 160. vulgatus, pro raro habendus.

PHI.

PHILIPPI.



IMP. M. AVREL. ANTONIN. Caput Caracallæ laureatum.
COL. AVG. IVL. in aliis IVL. AVG. PHILIP. *Colonia Julia Augusta Philippensis.* Duæ figuræ in basi, una muliebris alteri paludatæ coronam imponens.

Philippi, urbs est altera Macedoniæ, cujus D. Lucas Act. 16. meminit. Ἐκεῖθεν τε εἰς Φιλίππους ἥ τις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολωνία. *Et illinc Philippos quæ est prima Macedoniæ partis civitas, Colonia.* Hæ omnes urbes in Caracallæ honorem nummos percussisse videntur, cùm in Macedoniam transiit, in Syriam profecturus, de quo Suidas in Excerpt. Ἐπειδὴ δὲ καὶ ἐς τὴν Μακεδονίαν ἀφίκετο, Ἀλέξανδρον ἑαυτὸν ὠνόμασεν. *Postquàm in Macedoniam perrexit, se Alexandrum vocavit.* Macedones ipsi blandientes, quòd ille prodiret per urbes provinciæ suæ Macedonico habitu, causiam supra caput gestans, & crepidas indutus, illas prout quamque potuerat, ordinans. Philippenses in omnibus suis nummis Augusti beneficentissimi erga se Principis memoriam perpetuò colentes, ejus statuam in foro locatam percusserunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis in Caracalla rarus est.

PTOLEMAIS.



IMP. CAES. M. AVR. ANTON. Caput Caracallæ laureatum.
COLONIA PTOLEMAIS. Imperator eques, dextrâ explicitâ, lævâ habenas.

Ptolemais urbs Phœniciæ littoralis, à Claudio Colonia deducta, adventum Caracallæ in urbem suam demonstrare videtur. Ille enim Pacificatoris habitu eques depingitur, quales Romam ingressos Imperatores exhibent nummi Romani. Cùm autem Caracalla ad bellum Armeniacum Parthicumque in Syriam venisset, & in ea moraretur; Herodianus illum ex Antiochia Alexandriam progressum fuisse narrat p. 549. Εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἀφίκετο, ἐκεῖ τε ὑποδεχθεὶς πολυτελῶς, καὶ διατρίψας χρόνου τινὸς, ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐστέλλετο. *Devenit Antiochiam, ibique exceptus honorificentissimè, atque aliquandiu moratus, Alexandriam contendit.* Caracalla Ptolemaidem inter Antiochiam & Syriam ferè sitam ingressus fuisse videtur, in cujus rei memoriam Ptolemaidenses illum in equo posuerunt, nisi forsan sit ejus statua equestris ob beneficium quoddam ab ipso acceptum, à Colonis erecta.

Hic nummus secundi moduli; inter præstantiores reponendus.



COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Caput Serapidis calatho insigne.

Plurimæ urbes Syriæ, Phœnices, & Palæstinæ Serapidem in nummis exhibent; ejus apud se cultum indicantes; an eum ab Ægypto, ubi supremus erat Deus, receperunt, an ab ipsa Roma cum Colonis allatus; nam in urbis regione I. & VI. templum erat ipsi exstructum: in III. autem & V. ædiculas Serapidis, Rufus & Victor fuisse tradunt. Templum verò primæ regionis non procul erat à Thermis Severianis. Caracallam ex templo Serapidis Alexandrinorum civium strages vidisse narrat Dio lib. 77. pag. 880. Καὶ τούτων τὰ μὲν πλείω αὐτὸς ὁ Ἀντωνῖνος παρὼν καὶ ὁρῶν ἐποίει, τὰ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Σεραπείου προσέταττε ποιεῖν· ἐν γὰρ τῷ τεμένει διῃτᾶτο κἀν ταῖς τῶν μιαιφονιῶν αὐτῶν νυξὶ καὶ ἡμέραις. *Horum magnam partem Antoni-*

Antoninus præſens videnſque gerebat, imperabatque multa è templo Serapidis, in quo erat dies noctesque homo tot cædibus pollutus. Cæſarienſes Caracallæ adulantes, præcipuum urbis Numen in ejus nummis ſignarunt.

Hic nummus mediæ formæ, à Patino pag. 299. vulgatus, pro raro habendus.



COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Fortuna ſtolata ſtans cum calatho in capite, dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ, pone quam Victoria columnæ impoſita, ei coronam porrigit.

Fortunæ ſimulacrum in Ptolemaidis nummis frequens, illam pro dea Ptolemaidenſibus cultam fuiſſe arguit, quod Elagabali & Anniæ Fauſtinæ numiſmata, in quibus illa ſtat in aditu templi, confirmant. Aſſiſtit ei Victoriola alata columnæ impoſita, coronam ei porrigens, veluti Aſtartæ ſeu Veneri Cæleſti; forſan eadem eſt, quam Ptolemaidenſes ſub Fortunæ effigie venerantur. Pauſanias in Achaicis p. 451. Fortunam in templo cum cornucopiæ & Cupidine Ægiræ repræſentat, cauſamque earum conjunctionem refert. Οἶδα καὶ οἴκημα ἐν Αἰγείρᾳ θεασάμενος, ἄγαλμα ἦν ἐν τῷ οἰκήματι Τύχης, τὸ κέρας φέρουσα τὸ Ἀμαλθείας· παρὰ δὲ αὐτὴν Ἔρως πτερὰ ἔχων ἐστίν. Ἐθέλει δὲ σημαίνειν, ὅτι ἀνθρώποις καὶ τὰ ἐς ἔρωτα τύχῃ μᾶλλον ἢ ἀπὸ κάλλους κατορθοῦται. *Ædicula etiam quædam Ægiræ eſt, in qua Fortunæ ſignum ſum conſpicatus, Amaltheæ cornu præ ſe gerens; cui adſiſtit volucer Cupido. Significat hæc nimirum Amoris cum Fortuna conjunctio, plus ferè in amore homines ope Fortunæ, quam pulchritudine proficere.* De temone & cornucopiæ dictum, ſed Victoria illa columnæ impoſita, frequens in Coloniarum Phœniciæ nummis ad indicandas Phœnicum antiquorum victorias, & Colonias ab iis longè lateque deductas, exhibetur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter elegantiores numerandus.

S I N O P E.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

C. I. AV. SINOP. ANN. CCLII. *Colonia Julia Auguſta*, vel *Aurelia Sinope anno* 252. Jupiter cubat in lectiſternio, capite calatho ornato, dextrâ aquilam, lævâ haſtam divinitatis.

Hic nummus ob tartaream materiam quâ tectus erat, mutilus à Patino pag. 299. vulgatus, curâ noſtrâ integer reſtitutus eſt, & æræ urbis anni penitùs detecti. Nummus quidem ad Sinopen Coloniam ſpectat, de qua in Hadriano & M. Aurelio diximus. In utroque *Colonia Julia* dicta eſt Sinope, ſed in hoc addita vox AV. quæ potiùs pro *Aurelia*, quàm pro *Auguſta* accipienda eſt. Sed unde Aureliæ nomen? An in M. Aurelii honorem, cui Sinope ſuos dicavit, ut ſuprà vidimus, nummos, Caracallæ videlicet gratulans, quòd ille in Aureliam gentem tranſiiſſet: ipſius enim pater Severus ſe Marci filium in nummis inſcribebat? An verò tantùm in Caracallæ gratiam: Colonia enim Troas Aurelia dicta eſt, ſed adjuncto nomine Antoniniana. Id verò Antiquariorum diſquiſitioni relinquimus. Jupiter, cujus tantùm caput Hadriani & Gordiani nummi exhibent, hic integer repræſentatur in lectiſternio cubans, prout in templo non procul ab urbe Sinope forſan colebatur, de quo Tacitus Hiſtor. 4. *Cognoſcit urbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis.* Aquilam Jovi attributam nemo neſcit. ANN. CCLII. anni ſunt æræ Coloniæ Sinopenſis, quorum caput in M. Aurelio ad an. U. C. 706. revocavimus, quo Julius Cæſar Pharnacem in Ponto profligavit, & Sinopen à Rege direptam Colonis frequentavit: unde illi Juliæ nomen, quod confirmare videtur Strabo lib. 12. pag. 546. Νυνὶ δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται, καὶ μέρος τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας ἐκείνων ἐστί. *Nunc Romanorum recepit Coloniam, quæ in partem urbis agrique venit.* Anni verò U. C. 706. & æræ in Caracalla ſignatæ 252. ſimul juncti efficient U. C. 958. quo anno Caracalla Imperii conſors cum patre factus, Tribunitiam poteſtatem VI. agebat, L. Fabio Cilone & M. Annio Libone Conſulibus.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 299. vulgatus, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

S T O B I.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.
MVNICIP. STOBENS. *Municipium Stobensium.* Victoria gradiens, dextrâ coronam, lævâ palmam.

Stobi urbs Macedoniæ, de qua in Vespasiano, Tito & Domitiano dictum, Severo, Juliæ, Caracallæ, & Getæ nummos consecravit, omnes quidem cum Victoriæ signo, ut jam vidit Patinus. Stobenses autem Imperatoriæ familiæ sic gratulati sunt, quòd post victorias de hostibus relatas Imperium Romanum non modò sibi asseruisset Severus, sed barbaris longè latèque profligatis, Adiabenici, Arabici, Parthici, & Britannici nomina esset assequutus. Caracallæ quoque nummis oblatis adulati sunt, quòd ille pacatâ Germaniâ Parthis bellum illaturus, in Macedoniam provinciam suam pervenisset. Dio autem Caracallam Macedones propter Alexandrum valdè dilexisse narrat lib. 77. pag. 874. Οὕτω δ' οὖν διὰ τὸν Ἀλέξανδρον, καὶ τοὺς Μακεδόνας ἐφίλει. *Igitur tanto amore prosequebatur propter Alexandrum Macedones.* Nil mirum si Coloniæ & Municipia hujus provinciæ suos huic Imperatori nummos in grati animi monumentum dedicarint.

Hic nummus secundi moduli, à Patino vulgatus pag. 298. nec rarus nec obvius est.

T R O A S.



M. AVR. ANTONINVS PIVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troadensis.* In aliis COL. ALEX. AVG. *Colonia Alexandria Augusta Troadensis.* In aliis COL. AVG. ALEX. TRO. *Colonia Augusta Alexandria Troadensis.* Apollo muliebri habitu stans in cippo ante aram; dextrâ pateram, sinistrâ arcum.

Hæ omnes variæ inscriptiones ad Coloniam Troadensem pertinent, quæ *Troas* & *Alexandria* appellatur, ut innuit Plinius lib. 5. cap. 30. *Troas Antigonia dicta, nunc Alexandria, Colonia Romana.* Jam ante Plinii tempora utrumque nomen habuisse videtur apud Polybium lib. 5. p. 447. Τὸ δὲ τελευταῖον καὶ πολιορκεῖν τοὺς Ἰλιεῖς ἐπιβαλλομένων, ἐγένετο μέν τις οὐκ ἀγεννὴς περὶ ταῦτα πρᾶξις, καὶ ὑπὸ τῶν περὶ τὴν Τρῳάδα κατοικούντων Ἀλεξανδρείων. *Qui cùm Ilienses ad extremum obsidere essent aggressi, egregium sanè facinus ab Alexandrensibus qui Troadem colunt, est editum.* Figura in cippo, Apollo est muliebri habitu ornatus, pharetram supra humerum gerens, qualis ille depingitur ab Homero Iliad. 8. in Trojæ oppugnatione pestem in Græcorum exercitum immittens.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφιρεφέα τε φαρέτρην.
Arcus in humeris habens, circumjectamque pharetram.

Hic nummus minimæ formæ rarus est.



COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Figura paludata sacrificat super tripodem ante signum figuræ arcum gerentis, in vertice aquila unguibus caput bovis. Diversi sunt typi.

Figura cippo imposita Apollinem exhibet, tutelare, ut diximus, Trojæ Numen. Hic Apollo à Stephano de Urb. Ἀπόλλων Ἰλιεῦς dictus, qui idem ac Smintheus esse videtur, non quidem à Smintheo oppido, quod sibi finxit Stephani Epitomator, vocatus, sed ab occisis ab Apolline muribus

qui à Trojanis Sminthii appellantur, ut tradit Strabo lib. 13. pag. 613. Τὰ οὖν περὶ τοὺς Τεύκρους καὶ τοὺς μύας, ἀφ' ὧν ὁ Σμινθεὺς, ἐπειδὲ σμίνθιοι οἱ μύες δεῦρο μετενεκτέον. *Enimverò quæ de Teucris & muribus traduntur, unde Smintheo nomen ſit : quando Sminthii ſunt mures, huc ſunt transferenda.* Ille eſt Deus, quem Chryſes ipſius Sacerdos oravit apud Homerum lib. 1. Iliad. ut ſagittis Danaos Trojam obſidentes perderet.

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.
Pendant pœnas Danai ob meas lacrymas tuis ſagittis.

Apollo Sacerdotis ſui precibus annuens, in Græcorum exercitum peſtem immiſit, Iliad. 1. verſ. 90.

Αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχε πευκὲς ἀφιεὶς
Βαλλ'.
Sed poſteà in ipſos ſagittam mortiferam immittens
Jecit.

Figura paludata ſacrificans, non Caracalla eſt, cùm jam ſimilis typus in Criſpinæ nummis vulgatus ſit, ſed Alexander vel Lyſimachus, ſeu alius qui Troadem novam condidit, capto per ſacrificium augurio, cujus partem aquila ab eo in locum ubi nunc eſt, abſtulit, ut alibi diximus.

Hic nummus mediocris moduli, pro raro & conſpicuo habendus.



M. AVR. ANTONINVS PIVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Auguſta Troadenſis.* In aliis, COL. ALEXAND. AVG. *Colonia Alexandria*, vel *Alexandrina Auguſta.* Diverſæ ſunt epigraphæ. Figura nuda, cippo pede impoſito, dextrâ lauri ramum, lævâ retro demiſsâ.

Ille idem eſt Apollo nudus eodem modo quo ex hiatu terræ repando corpore ſpiritum haurit, ut Oracula reddat, inſtinctu divino motus, de quo Plutarchus de Oracul. defectu pag. 338. Ἐν τοῖς προφητεύουσιν ἀνάγκη γίνεσθαι τὸν ἐνθουσιασμόν· ὅταν μὴ οὕτως μὲν γίνεσθαι ἢ γίνεσθαι διάφορον, &c. *Neceſſe eſt Vates inſtinctu divino cieri, ſin verò, aut nullius erit enthuſiaſmus, aut incompoſitus.* Apollo laurum tanquam ſymbolum gerit, illam huic Deo amicam eſſe tradit Hyginus ob ſomniorum interpretationem, cui laurum maximè convenire ferunt. Triſtanus tom. 1. pag. 751. figuram hanc Apollinis nudam ingenioſè ad Herophilen ejus æditùam in Troade clariſſimam revocat; ſed partes habet viriles, teſte etiam Holſtenio Not. in Stephan. pag. 331. *Apud Ill. Caſſianum Puteum vidi nummum Commodi, Æneæ vidi manu depictum, in cujus aversâ parte circa virum nudum dextro pede baſi quadratæ innixum, & manu dextrâ ramum porrigentem legitur* COL. AVG. TROAD.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ, cum epigraphe COL. AVG. TROAD. *vulgaris, cum inſcriptione verò* COL. ALEXAND. *à Patino pag. 298. vulgatus inter raros habendus.*



COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Figura ſenilis barbata ſtans, lævo humero utrem hircinum gerit, dextram extollit indicando.

Senem illum barbatum quem Satyrum exiſtimat Holſtenius pag. 331. ruſticum verò appellat P. Harduinus pag. 508. Silenum in M. Aurelio & Commodo eſſe diximus, cujus cultum apud Troadenſes ſoli nummi nos edocent. Sileni nomen derivant à Σίλλος, quod apud Heſychium ἀναφάλαντος, calvum explicat Ill. Spanhemius in Julian. Cæſſ. Obſervat. pag. 341. Silenum Bacchi nutricium fuiſſe ferunt, quem vites colere, & ex earum racemis in torculari vinum exprimere docuiſſe narrat; idcircò Silenus utrem hircinum, in quo vinum aſſervabatur, gerit: Bacchum verò Heſiodi interpres dictum ait Διόνυσον, quaſi Διδοίνυσον, à διδόναι videlicet τὸν οἶνον, quia ſit dator vini. Bacchus apud Athenæum lib. 15. pag. 675. dicitur vitem è Rubro mari in Græciam tranſtuliſſe, ubi idem auctor vini aquâ temperandi primum uſum ſic tradit inventum. Quibuſdam ad littus maris compotantibus, ingruente pluviâ, diſſolutum fuit convivium, ac poculum, in quo parum vini relictum fuerat, aquâ repletum eſt : deinde cùm factum rursùs eſſet ſudum ac ſerenum cælum, convivæ in eundem locum reverſi, vinum dilutum guſtantes, mitem ac minimè moleſtam voluptatem ſenſerunt. Silenus dextram attollit indicans, inter aſtra ſe eſſe relatum, ut tradit Aratus.

Hic nummus infimæ magnitudinis, nec rarus nec obvius eſt.



COL. AVR. ANTONINIANA ALEX. *Colonia Aurelia Antoniniana Alexandria.* Caput muliebre turritum, pone quod vexillum.

Muliebre caput, Genius eſt Coloniæ ; turres quidem gerit tanquam regionis primaria. Urbs autem Troas, Alexandria ab Alexandro vocata eſt, cujus deinde cura ab Antigono ſuſcepta dicitur, de quo Strabo lib. 13. pag. 593. Οτε καὶ Αλεξανδρείας ἤδη ἐπεμελήθη. *Quo quidem tempore Alexandriam etiam curandam ſibi duxit.* Hanc urbem idem auctor eodem lib. Alexandriam Troadem vocat, Αλεξάνδρειαν τὴν Τρωάδα, quam interpres malè vertit *Alexandriam ac Trojam*, ut vidit Ill. Spanhemius pag. 716. cùm una & eadem ſit urbs, ut Livius Dec. 4. lib. 5. confirmat. *Tres Antiochum civitates tenebant, Smyrna & Alexandria Troas, & Lampſacus* : Troas Alexandriæ non modò nomen renovare videtur in gratiam Caracallæ in urbe morantis, & Alexandri nomine ſuperbientis, teſte Xiphilino in Epiſt. Dionis pag. 428. Καὶ οὐδὲ ταῦτα μέντοι αὐτῷ ἐξήρκεσεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον Εῶον Αὔγουστον ἐπεκαλεῖτο. *Quibus rebus minimè contentus ſeſe Alexandrum Orientalem Auguſtum appellavit.* Sed hæc ipſamet urbs Aureliam ſe Antoninianam, ob Caracallæ gentis nomen, appellari voluit. Vexillum Veteranos in eam tranſmiſſos arguit. P. Harduinus pag. 508. hunc nummum dubius ad Elagabalum pro Caracalla refert.

Hic nummus minimi moduli, inter rariores collocandus.



M. AVR. ANTONINVS PIVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.
COL. AVG. TROAD. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Figura paludata ſacrificat ſuper aram, coronatur à figura muliebri turrita & tunicata pariter ſtante, lævâ quidem vexillum gerente.

Figura militaris, Caracalla eſt, pro feliciſſimo ſuo in Troadenſem Coloniam adventu ſacrificans paludatus, ut Imperator, & ad bellum Parthicum proficiſcens ; ille ex Græcia in Aſiam appulit, Troademque venit, teſte Herodiano in ejus vita. Ηκεν εἰς Ιλιον· ἐπελθὼν δὲ πάντα τὰ τῆς πόλεως λείψανα, ἧκεν ἐπὶ τὸν Αχιλλέως τάφον. *Ilium mox petiit, & cunctis urbibus reliquis colluſtratis, ad Achillis tumulum proceſſit.* Figura muliebris ſuccincta, Genius eſt urbis. Vexillum, Coloniæ militaris ſymbolum gerit, pileo Phrygio inſignis eſt patrio ritu : pileus ille in extremitate recurvus erat, quem honoratiores inter Phrygios geſtaſſe videntur : eo Deus Lunus, Atis, & Iulus Æneæ filius in nummis ornati ſunt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis rariſſimus eſt.



COL. ALEX. AVG. *Colonia Alexandria Auguſta*, in aliis COL. ALEX. AVG. TRO. *Colonia Alexandria Auguſta Troas*, vel *Troadenſis.* Equus paſcens.

Frequens in plurimis Imperatorum nummis occurrit hic paſcentis equi typus à Troadenſibus cuſus, ad indicandam à Claudio conceſſam huic urbi immunitatem, ut paſſim diximus : ſed non ille ſpectat ad Æſculapium, ut P. Harduinus contra Triſtanum hariolatur ob curam equorum, quam huic Deo tributam tradit pag. 508. Tacitus refert Neronem ſummâ facundiâ pro Ilienſibus elocutum ab Imperatore obtinuiſſe, ut ipſi onere publico levarentur. Interim obſervandum, Hiſtoricos ſæpe Ilienſes pro Troadenſibus uſurpare, licèt Troas & Ilium duæ fuerint urbes poſt Trojæ veteris excidium diſtinctæ, ut liquet ex Strabone lib. 13. pag. 593. & ex nummis, in quibus Troas urbs Colonia inſcribitur, & Ilium Græcam ΙΛΙΕΩΝ præfert epigraphen. In Ilii typis frequens Minervæ galeatæ effigies occurrit ; unde illuſtratur Strabo loco laudato. Τὴν δὲ τῶν Ιλιέων πόλιν τὴν νῦν, τέως μὲν κώμην εἶναι φασί, τὸ ἱερὸν ἔχουσαν τῆς Αθηνᾶς, μικρὸν καὶ εὐτελές. *Ilium quod nunc eſt, aiunt anteà* pagum

pagum duntaxat fuisse, & habuisse exiguum ac vile templum Minervæ. At verò in Troadensibus nunquam Minerva visitur; sed obvius est Apollo, seu Smintheus, seu qui Trojæ mœnia cum Neptuno condidit. Minerva Trojæ infensa, excidii causa fuit: Apollo Trojanis favens, Achillem sagittâ percussit & occidit.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, à Tristano tom. 2. pag. 180. *vulgatus, tritus & vulgaris est.*



COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troadensis.* Equus pascens, arbor, & Silenus.

Troadenses cum equo pascente exhibent Silenum, quem ipsi maximè venerabantur: sed an arbor ad pascentem equum spectet, an laurus sit Apollini dicata, & sæpe in nummis ad cultum ejus indicandum signata, videant eruditi: Coloni autem sua præsertim Numina, ipsorumve attributa cælare ut plurimùm solebant. Equus pascens, immunitatum index est, ut confirmat Caius lib. 6. ad Legem Juliam, & Papiam. Juris Italici sunt, Τρωὰς, Βηρυτὸς, Δυῤῥάχιον, id est, *Troas, Berytus, Dyrrachium.* De Sileno passim dictum est; sed ut ille vites novellare docuit, forsan Troadenses illum venerati sunt ob plurimas à se in Ida monte consitas, ad cujus imum urbs sita erat, teste Ptolemæo lib. 5. cap. 2. Τῆς δὲ Ἴδης μεταξὺ, καὶ τῆς θαλάττης ἡ Τροία κεῖται συνάπτουσα τῷ ὄρει. *Inter Idam & mare sita est Troja, montem attingens.* De arbore, qua de causa sit insculpta, diximus.

Hic nummus minimæ formæ, inter raros adscribendus.



ANTONINVS. PIVS. AVG. Diversæ sunt epigraphæ. Caput Caracallæ laureatum.

COL. AVG. ALEX. TROAD. *Colonia Augusta Alexandrina Troadensis.* Equus pascens, pone quem arbor, à latere equi figura rustica, dextrâ pedum gerens.

Hic nummus equum pascentem exhibet, sed arbor in alio nummo signata, eadem quæ suprà non esse videtur. Figura autem non Silenum repræsentat, sed potiùs pastorem dextrâ pedum seu virgam incurvam, quâ pecudum pedes detinentur, gerentem. Hic typus cum pastore & equo pascente immunitatum confirmationem Troadensibus à Caracalla concessam indicare videtur, cùm ille in hanc Coloniam venit, teste Herodiano in ejus vita. Ἧκεν εἰς Ἴλιον. *Ilium mox petiit.* At ut ille Alexandrum Magnum imitari conabatur, ejus exemplo Troadem liberam iterùm pronunciavit, de qua Paulus coëtaneus illius Jurisconsultus lib. 2. de Censibus, inquit. *In provincia Asia duæ sunt juris Italici, Troas, & Parium.* Ex pascuis autem petebatur vectigal, ut ait Plinius lib. 18. c. 3. *Pascua*, inquit, *in censoriis tabulis dicebantur omnia ex quibus populus reditus haberet, quia diù hoc solum vectigal fuerat.*

Hic nummus secundi moduli, inter elegantissimos reponendus.



ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput Caracallæ laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Aquila volitans unguibus caput bovis gerit.

Similem jam in Antonini Pii nummis typum exhibuimus, quem ad augurium condendæ urbis, ubi nunc est, spectare suspicati sumus, exemplo aquilæ quæ sacrificii partem abstulit, dum dubius Seleucus sacra faceret de condenda Antiochia, ut tradit Io. Malela Antiochenus in Chron. inedito. *Tunc quoque aquila ablatam ab altari partem holocausti juxta Silphium montem deposuisse dicitur .... ubi mœnium jecit fundamentum.* Hanc nostram confirmare videtur sententiam, tum quòd eadem aquila cum simili bovis capite signetur in vertice nummorum Crispinæ & Caracallæ, in quibus

bus figura paludata ſacra facit ante ſimulacrum Apollinis Sminthei ; tum etiam quòd Strabo lib. 13. p. 593. narret novam urbem ſæpius locum mutaſſe. Δ' ἐνταῦθα συμβῆναι καὶ χρησμὸν μάλιστα. *Et tandem ibi poſitam, ubi nunc eſt, maximè Oraculi juſſu.* Urbium autem conditores ſacrificium antequam earum fundamenta jacerent, perpetrare ſolebant, ut narrat idem Malela de ipſo Seleuco in condenda Seleucia, ubi pariter aquilam parte carnis ſacrificii raptâ, in Pieriæ Emporium dejeciſſe refert : Appianus verò in Syriac. pag. 125. Seleucum augurium fulminis ſecutum fuiſſe edidit.

Hic nummus minimæ formæ, nec rarus nec obvius.



MA. AVREL. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Nil mirum ſi Troadenſes Lupam Romulo & Remo ubera præbentem in nummis ſignarint ad indicandam Romanorum originem, ſi quidem Romani ab iis ipſam traherent ; illi enim Æneam gentis ſuæ principem ponunt, atque ex ejus poſteris duo fratres Numitor & Amulius fuerunt, à Numitore autem Romulus & Remus per matrem orti ſunt, qui expoſiti Amulii patrui juſſu, à Lupa nutriti ſunt. Plinius ſecundus lib. de Vir. Ill. *Amulius ipſam in vincula compegit : parvulos in Tyberim abjecit, quos aqua in ſicco reliquit. Ad vagitum Lupa occurrit, eoſque uberibus ſuis aluit.* Unde ſignum Lupæ cum gemellis ad memoriam P. Romani arguendam in locis publicis expoſitum.

Hic nummus ſecundi moduli ; inter ſingulares & raros reponendus.




M. AVR. ANTONINVS. A. Caput Caracallæ laureatum.
COL. ALEX. TROA. *Colonia Alexandrina Troadenſis.* Diverſæ ſunt epigraphæ, Tripus.

Tripus circa quem involutus ſerpens in templi aditu, ad Apollinem, non autem ad Æſculapium ſpectat, ut P. Harduinus pag. 508. contra Triſtani mentem prodit. Fanum illud Apollinis eſt, de quo ſæpe diximus : nullum autem in Troadenſium nummis Æſculapii ſignum, aut attributum occurrit. Tripodem Apollini dicatum eſſe ob Oracula nemo neſcit ; Tripus autem à machina illa terræ impoſita, unde ipſa petebantur, quæ tribus fulcris ſuſtinebatur, nomen accepit ; ſed loquentem audias Athenæum lib. 2. pag. 38. Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀληθείας οἰκεῖος τρίπους διὰ Ἀπόλλωνος οἰκεῖος διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν. *Eſt itaque tripus hic veritatis congruus index Apollini ob certa Oracula ſua conveniens.* Serpens tripodi involutus, Apollini ſacer, & vaticiniorum ſymbolum eſt ; hinc apud Delphos ſerpens ſub tripode vocem edens refertur à Luciano.

Hic nummus minimæ formæ, à Triſtano tom. 2. pag. 179. vulgatus, inter rariores computandus,

TYRUS.



M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput Caracallæ laureatum.
SEPT. TYRVS. METRO. COLONIA. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Hercules nudus ſtans ſacrificat ſuper aram, lævâ ſpolia leonis & clavam ; ante eum duo lapides prægrandes, ex quibus aquæ defluunt, in imo conchylium.

Tyrus

Tyrus urbs Phœniciæ littoralis antiquiſſima à Sidoniis condita; Eſaias enim cap. 22. 13. Tyrum nominat filiam Sidonis, cui adſtipulari videtur Homerus, qui Sidonios ſæpe laudat; Tyri ne meminit quidem. Illa Phœniciæ Metropolis ab Hadriano facta, Colonia à Septimio Severo deducta, ob gentis nomen *Septimia* vocata eſt. Hercules ille Tyrius, Aſtrochiton, & Melcarthus nominatus eſt: Tyrius, ut innuit Suidas, Ἀνεφάνη δὲ ἐπὶ Μίνωος Ἡρακλῆς Τύριος. *Inclaruit Minoe regnante Hercules Tyrius.* Aſtrochiton à Nonno lib. 4. dicitur. Ἀστροχίτων Ἡρακλεῦς ἄναξ πυρός. *Hercules, ô Rex ignis.* Μέλκαρθος, *Melcarthus*, quod idem eſt ac Melec-Charta, *Rex urbis*, apud Euſebium Præp. Evang. lib. 1. Duæ illæ petræ, Ambroſiæ ſunt, ad quas inveniendas Hercules Tyrios tamdiu navigare juſſit, donec illas reperirent errantes, quibus firmatis Tyrum conderent. Conchylium in imo eſt, ex cujus cruore fiebat purpureus color, de quo in Julia Domna pag. 23. diximus.

Hic nuvmus majoris formæ, à P. Seguino fol. 168. edit. 2. vulgatus, pro raro & conſpicuo habendus.



IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

SEP. TYRVS. MET. COLONIA. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Aſtarte ſtans dextram imponit trophæo, lævâ haſtam, pro pedibus hinc parvum Sileni ſignum, inde conchylium à ſiniſtris columna ſupra quam Victoria coronam ipſi porrigens.

Tyrii beneficiorum à Severo acceptorum memores plurimos in Caracallæ ejus filii honorem percuſſere nummos; in hoc Aſtarte habetur illorum tutelaris & Topica Dea, ut affirmat Cicero lib. 3. de Natura Deor. *Quarta Venus Syria Tyroque concepta, quæ Aſtarte vocatur, quam Adonidi nupſiſſe traditum eſt.* Illa trophæo manum imponit, non ob Caracallæ contra Parthos victoriam, ut videtur, ſi quidem typus ille in aliis Imperatoribus vulgaris eſt; ſed potiùs in memoriam Coloniarum à Tyriis deductarum uſque ad Columnas, quas vocant, Herculis, ubi trophæum erexerunt, de quibus Diodorus lib. 5. pag. 208. Πολλὰς μὲν γὰρ κατὰ τὴν Λιβύην ἀποικίας ἐποιήσαντο, οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ τῆς Εὐρώπης ἐν τοῖς πρὸς δύσιν κεκλιμένοις μέρεσιν. *Quo factum, ut multarum in Africa Coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus quæ ad Occidentem vergunt, auctores fierent.* Victoria ſupra columnam porrigens coronam, videtur potiùs ad Aſtarten ſpectare, cùm idem typus in Berytenſium nummis & aliis occurrat, quàm ad Tyrum, licèt illa apud Eſaiam cap. 23. 8. Coronata, vel potiùs Coronaria, id eſt coronas imponens ſuis, appelletur. De conchylio dictum eſt. De Sileno infrâ in Elagabalo.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis obvius eſt.



IMP. C. M. AV. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

SEP. TYRVS. METRO. COLONI. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Mulier ſuccincta ſtans cum calatho in capite, dextram verſùs os admovet, ſiniſtrâ cornucopiæ gerit, pro pedibus hinc ara, inde conchylium.

Figura illa ſuccincta Genius urbis eſt. Tyrum ſuprà diximus à Phœnicibus conditam apud Q. Curtium lib. 4. cap. 4. *Tyrus condita ab Agenore.* Et eodem loco: *Quippe utram urbem Agenorem condidiſſe credebant.* Eam quando condita refert, Euſebius in Chron. *Tyrus condita ante templum Jeroſolymorum* CCXL. Genius ante aram dextram ori apponere videtur, forſan ad indicandum ſilentium in ſacrificiis eſſe perneceſſarium: id non abſimile videtur à ſilentii myſterio, quod ἐχεμυθίαν Pythagoras ſuis diſcipulis præcipiebat. Sed quidam Angeronam ſilentii Deam, tutelare Romæ numen eſſe putabant, ut tradit Macrobius Saturn. 3. cap. 5. ubi de tutelari Deo urbis Romæ agit. *Sunt, inquit, qui Angeronam putent, quæ digito ad os admoto ſilentium denotat.* Angeronæ rem divinam faciebant Romani XII. Calend. Januar. ut Solinus ſcribit. Coloni vero Româ Tyrum traducti pro tutelari Dea Angeronam forſan ſelegerunt: ideò ara, cui ſacra Angeronæ faciebant, ad ejus pedes ſignata. Cornucopiæ, ſolenne eſt tutelaris Dei ſymbolum. Conchylium, Tyri inſigne.

Hic nummus mediocris formæ, inter elegantiſſimos adſcribendus.

IMP.



IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

SEP. TYRVS. METRO. COLON. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Aquila alis expansis rostro coronam, pone eam vexillum, in quo LEG. III. GAL. *Legio tertia Gallica*, in area conchylium.

Aquila Imperium Romanum hoc in nummo designat; Tyrii nempe Coloni facti, Romæ symbolum prætulerunt. Tacitus aquilam, Romanam avem appellat Ann. 2. *Irent, sequerentur Romanas aves, propria Legionum numina.* Vexillum seu labarum ad Veteranos Legionis Tyrum Colonos cum civibus Romanis transmissos spectat. Epigraphe LEG. III. GAL. *Legionis tertiæ Gallicæ*, ex qua illa educti sunt, à Sept. Severo nomen habet. Illa in Phœnicia hiberna agebat, teste Dione lib. 55. pag. 564. Καὶ τὰ τρία τὰ τρίτα, τό, τε ἐν Φοινίκῃ τὸ Γαλατικόν. *Tres tertiæ, una in Phœnicia,* GALLICA *nomine.* Hæc videtur à Julio Cæsare conscripta; nam sub M. Antonio Parthos debellavit, & ab Augusto in Hispania locata est; deinde à Vespasiano, pro quo contra Vitellium steterat, in Syriam traducta, ubi Severi tempore adhuc manebat, ut apud Dionem vidimus. De conchylio, ex quo purpura extrahebatur, dictum est.

Hic nummus secundæ magnitudinis, pro raro habetur.



IMP. M. AVR. ANTONIN. AVG. Caput Caracallæ laureatum.

SEPT. TYRVS METRO. COLONIA. in aliis COL. TYRO. METR. ACTIA. ERACLIA. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia. Actia Eraclea.* Mensa supra quam duo lebetes, in utroque palmæ ramus, infrà conchylium.

Duo lebetes & duo palmæ rami, duo certamina indicant, ut confirmare videntur duo Deorum, in quorum honorem hæc celebrata sunt, nomina. Similem nummum protulit Ill. Spanhemius diss. 4. pag. 300. ubi ait. *Unde certè discimus ab Hercule Tyrio noto loci numine dictos Heraclios seu Herculanos.* Sed Apollo Deus erat etiam tutelaris Tyri, apud Plutarchum in Alexandro pag. 678. Ἀλέξανδρος ὄναρ εἶδε τὸν Ἡρακλέα δεξιούμενον αὐτὸν ἀπὸ τοῦ τείχους καὶ καλοῦντα· τῶν δὲ Τυρίων πολλοῖς κατὰ τοὺς ὕπνους ἔδοξεν ὁ Ἀπόλλων λέγειν ὡς ἄπεισι πρὸς Ἀλέξανδρον· οὐ γὰρ ἀρέσκειν αὐτῷ τὰ πρασσόμενα κατὰ τὴν πόλιν, ἀλλ' αὐτοὶ μὲν, ὥσπερ ἄνθρωπον αὐτομολοῦντα πρὸς τοὺς πολεμίους ἐπ' αὐτοφώρῳ τὸν θεὸν εἰληφότες, σειρὰς τε τῷ Κολόσσῳ περιέβαλλον αὐτοῦ, καὶ καθῆλουν πρὸς τὴν βάσιν, Ἀλεξανδριστὴν καλοῦντες. *Alexander per quietem Herculem vidit ex muro sibi manus tendentem invitantemque. Tyriorum multis visus in somniis Apollo est dicere ad Alexandrum se transire: neque enim sibi cordi esse ea quæ in urbe agerentur. Illi verò, sicut transfugæ, sceleris comperti, Apollinis simulacrum devinxere catenis, clavisque basi affixere, Alexandri fautorem appellantes.* Actia certamina ab Apolline Actio videntur dicta. Vox ἄκτιος, id est littoralis: in littore autem Sinus Ambracii Promontorium erat Apollinis, juxta quod illius templum frequentabatur. Non longè ab eò pugna Actiaca commissa est, in cujus memoriam Augustus templum Apollini majus exstruxit, & ludos in Apollinis Actiaci honorem ab Acarnanibus celebratos restituit, quorum meminit Dio lib. 51. pag. 442. Καὶ ναὸν μείζω ᾠκοδόμησεν, ἀγῶνά τε τινὰ καὶ μουσικὸν, καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε πενταετηρικὸν ἱερὸν κατέδειξεν.... Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. *Templum majus exstruxit: ludos musicos ac gymnicos, & certamen equestre cum sacro quinquennali constituit.... Actios illos ludos dicens.* Actia hæc certamina Tyrii forsan celebrarunt in Apollinis honorem, ut videmus Pythia in marmoribus antiquis Miletum, Magnesiam, Sidam, Pergas, &c. translata: Herculea verò, quæ pariter in Herculis alterius Dei tutelaris gratiam sunt instituta, ab Atheniensibus, Sicyoniis, Ambraciotis, & Thebanis apud Sponium Miscel. fol. 365. celebrata legimus. Palmæ rami, victorum præmia sunt, de quibus alibi pleniùs.

Hic nummus secundæ magnitudinis, ab Ill. Spanhemio diss. 4. pag. 300. vulgatus, inter elegantiores numerandus.

OMISSA.

CÆSAREA Palæstinæ.



IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput Caracallæ laureatum.

COL. PR. F. ANT. AV. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Antoniniana Augusta Cæsarea.* Astarte in templo tetrastylo, dextrâ scipionem, lævâ pallium colligit, à sinistris Victoria columnæ imposita coronam ei porrigit.

Cæsarea urbs Palæstinæ nummos quidem Caracallæ dedicavit, sed singularis iste *Antoninianæ* nomen in illius honorem præfert, ob quoddam beneficium ab hoc Imperatore acceptum; & si conjecturæ locus, ob immunitates ab eo urbi restitutas, vel confirmatas, ut indicare videtur nummus alter ejusdem Coloniæ, sub ipsius nomine à Tristano tom. 2. p. 41. vulgatus cum hac insigni epigraphe COL. CAESAREA LIB. *Colonia Cæsarea Libera*, cui similem Imperatori Tito Colonia gratulans percussit, quòd immune solum suum pronunciasset, teste Paulo lib. 2. de Censibus. *Divus Vespasianus Cæsarienses Colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici essent, sed tributum his remisit capitis, sed Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est.* Ideò Cæsarea in utroque nummo se *Liberam* nominavit. Templum Astartes seu Veneris est in Cæsareæ nummis obvium quidem, sed illud Antoninianæ nomen hactenus non inspectum; unde res novas semper & nondum observatas, urbibus peculiariter attributas, varii Coloniarum nummi nobis continuò suppeditant.

Hic nummus secundæ magnitudinis, museo R. P. de la Chaise Regi à Confessionibus recenter additus, inter rarissimos numerandus.

PTOLEMAIS.



IMP. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput Caracallæ laureatum.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Templum in quo Deæ simulacrum.

Ptolemais Phœniciæ urbs plurimos Caracallæ nummos percussit, sed hic novus & insolens admodum videtur, si templum & numen spectes: fanum quidem insolitæ fabricæ est, numen verò hactenus nobis non inspectum; si tamen conjecturæ locus, Dianæ est figura, ea autem ab illa quæ *Priapina* apud Sinopenses appellatur, de qua in M. Aurelio p. 193. dictum, non planè discrepat. Ejus Deæ effigies variæ sunt, & diversa apud Historiæ Scriptores nomina, ex quibus centum & quinque collegit Lilius Giraldus Syntag. 12. Sed hujus appellatio nobis est adhuc incognita. Dianam, & Lunam, eamdem esse sæpiùs diximus. Syrii Solem præcipuè coluerunt, quidni & ejus sororem, cùm afferat Macrobius lib. 1. cap. 18. Luna & Sole præcipuè vitam nostram gubernari: *Sic utriusque luminis beneficio hæc nobis constat vita, qua fruimur.*

Hic nummus primæ magnitudinis inter rarissimos collocandus.





PLAUTILLA.



PLAUTILLÆ nummi minimæ tantùm formæ, & quidem rariſſimi, apud Corinthios cuſi obſervantur.

CORINTHUS.



PLAVTILLA AVGVSTA. Caput Plautillæ.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Mulier ſeminuda inſidet rupibus, quibus ſiniſtra innititur, dextrâ poculum gerit.

Corinthii nummos ſuos Plautillæ Caracallæ uxori dicarunt, ut ſibi Plautiani ejus patris Prætorii Præfecti, & in Imperio potentiſſimi, benevolentiam conciliarent. Dio lib. 75. pag. 856. Πλαυτιανὸς δὲ παραδυναστεύων τῷ Σεβήρῳ, καὶ τὴν ἐπαρχικὴν ἔχων ἐξουσίαν, πλεῖστά τε ἀνθρώπων καὶ μέγιστα δυνηθείς. *Plautianus verò, cujus erat apud Severum maxima auctoritas, quique Præfecti poteſtatem habebat, eratque omnium hominum potentiſſimus.* Figura illa ſeminuda urceum gerens, non Bacchus eſt, ut putat P. Harduinus p. 126. ſed Pirene Nympha in fontem converſa; cujus aquæ in oppidum defluunt, teſte Pauſania in Corinth. Strabonem audias lib. 8. pag. 379. Ὑπὸ δὲ τῇ κορυφῇ τήν τε Πειρήνην εἶναι συμβαίνει κρήνην, ἔκρυσιν μὲν οὐκ ἔχουσαν, μεστὴν δ' ἀεὶ διαυγοῦς καὶ ποτίμου ὕδατος. *Sub ipſo autem vertice fons eſt Pirene, effluxu carens, ſemperque plenus aquæ pellucidæ ac potabilis.* Mulier montibus inſidet, ad indicandum locum ubi colitur, & urceum tenet, prout ipſius ſignum in Acrocorintho poſitum eſt.

Hic nummus minimi moduli, à Patino vulgatus, in quo Corinthus Latina pro Laus *ab eo pag. 312. appellatur, inter rariſſimos collocandus.*



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Venus ſeminuda ſtans, ambabus clypeum gerit, Cupido pro pedibus verſus ipſam tendit manus.

Corinthii Romanos imitati, qui Venerem Victricem in Plautillæ nummis ſignarant, Auguſtæ pariter blandientes, ipſam in ſuis depinxerunt. Illa utraque manu clypeum tenet tanquam Martis victrix: hac verò imagine Plautillæ alludunt, quæ tanquam altera Venus, à belli curis Caracallam amoviſſe videtur. Nam ille ex Oriente victor & triumphans cum patre reverſus, Plautillam uxorem duxit; de cujus matrimonio loquitur Dio lib. 76. pag. 859. Ἐποιήθησαν δὲ καὶ οἱ γάμοι τοῦ τε Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ τοῦ Σεβήρου καὶ τῆς Πλαυτίλλης τῆς τοῦ Πλαυτιανοῦ θυγατρός· καὶ τοσαῦτα τῇ θυγατρὶ οὗτος δέδωκεν, ὅσα καὶ πεντήκοντα γυναιξὶ βασιλίσσαις ἤρκεσεν ἄν. *Eodem anno celebratæ ſunt nuptiæ Antonini filii Severi, & Plautillæ Plautiani filiæ. Is tantùm filiæ ſuæ dedit, quantùm Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet.* Victricem Venerem cultam à Romanis legimus, cujus ædem in nona regione urbis locat Onuph. Panvinius. Corinthi verò tria Veneris erant templa, unum in Cenchreis, alterum in Suburbio, tertium in Acrocorintho, ut in L. Vero diximus. Typus planè idem in Lucilla Veri uxore videri poteſt.

Hic nummus minimæ formæ, eximiæ raritatis eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Fortuna ſtans, dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ gerit.

Genius urbis ſæpe in nummis ſub Fortunæ imagine repræſentabatur, præſertim in Auguſtis; Corinthii verò Plautillæ adulantes, ipſam ut Genium exhibuerunt : porrò plurimi populi Fortunam ut Deam venerabantur, de qua Juvenalis.

Sed te nos facimus, Fortuna Deam, cœloque locamus.

Bupalus omnium primus Fortunæ ſimulacrum apud Smyrnæos ſculpſit. Corinthii in foro templum in ejus honorem ædificarunt, ut narrat Pauſanias in Corinth. pag. 89. Ἔστι δὲ καὶ Τύχης ναὸς, ἄγαλμα ὀρθὸν Παρίου λίθου. *Eſt præterea Fortunæ ædes, cujus ſignum recto ſtatu è Pario lapide.* Fortuna ut juvenis mulier depingitur, teſte Artemidoro; ipſi cornucopiæ & gubernaculum tribui tradit Lactantius lib. 3. tanquam opes tribuere putaretur, & humanarum rerum regimen obtinere.

Hic nummus minimi moduli, in Cimeliarchio M. Ducis ab Angelonio in edit. 2. pag. 211. vulgatus, inter rariſſimos reponendus.

Ex una tantùm Colonia nummos in Plautillæ honorem cuſos recuperavimus; quadraginta verò in Græcis urbibus ipſi dicati à nobis obſervati ſunt; unde colligendum nummos Coloniarum rariores eſſe quàm Græcos.



SEPTIMIUS GETA.





GETA à patre Severo Nonis Martii anni U. C. 951. CHr. 198. Cæſar dictus, ab eodem poſt decem annos Nonis Martii Tribunitiam poteſtatem accepit, & Auguſtus appellatus eſt, quo tempore Severus cum filiis in Britanniam profectus eſt. Patre autem mortuo ad Nonas Febr. an. U. C. 964. CHr. 211. Imperator ejus teſtamento cum fratre renunciatur; ſed ab eodem poſt Imperii menſes decem & dies quindecim, annos natus 23. in matris gremio occiſus, Colonias deduxiſſe non videtur.

GETÆ *nummi primæ magnitudinis rariſſimi ſunt, ſecundæ & minimæ formæ obvii.*

ANTIOCHIA Piſidiæ.



IMP. CAES. P. SEPT. GETA. AVG. Caput Getæ laureatum.

VIRT. AVGG. COL. ANTIOCH. S. R. *Virtus Auguſtorum Colonia Antiochenſis.* Figura equeſtris decurrens jaculo barbarum impetit.

Ad Antiochiam Piſidiæ Coloniam pertinet nummus: Antiochia enim Syriæ literis Græcis utebatur, & tantùm poſt Getæ mortem Colonia à Caracalla facta eſt. Antiochenſes Sept. Severi familiæ devoti, nummum Getæ dedicarunt, cùm ille Imperator unà cum fratre patris teſtamento renunciatus eſſet: uterque enim filius Severum patrem contra Britannos comitatus eſt, teſte Herodiano pag. 537. Τὸν μὲν νεώτερον τῶν υἱῶν, τὸν Γέταν καλούμενον, καταλιπὼν ἐν τῷ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἔθνει δικάσοντά τε καὶ τὰ λοιπὰ διοικήσοντα πολιτικὰ τῆς ἀρχῆς, τὸν δὲ Ἀντωνῖνον παραλαβὼν, ἐπὶ τοὺς βαρβάρους ἠπείγετο. *Juniorem filium, Getam nomine, in parte inſulæ Romanis ſubjecta reliquit, ut juri dicundo rebuſque civilibus adminiſtrandis præeſſet, Antonino ſecum adverſus barbaros educto.* Severo autem Eboraci mortuo, novi Imperatores pacem barbaris conceſſerunt, unde utrique *Britannici* nomen à Senatu conceſſum, & epigraphe VIRTVS AVGVSTORVM in nummis poſita.

Hic nummus majoris formæ, inter elegantiſſimos locum habere meretur.



VICT. D.D. N.N. COL. ANTIOCH. S.R. *Victoria Dominorum noſtrorum, Colonia Antiochenſis.* Victoria gradiens, utraque manu trophæum gerit.

Victoria illa, Britannica eſt, utrique Imperatori Caracallæ & Getæ ab Antiochenſibus tributa. Severus autem utrumque filium Imperatorem nominaverat, ut tradit Zozimus l. 1. p. 637. Καὶ ἐπειδὴ τελευτᾷν ἔμελλε, διαδόχους τῆς ἀρχῆς Ἀντωνῖνον καὶ Γέταν τὸν ἕτερον υἱὸν καταστήσας. *Moriturus & Antonino & alteri*

alteri filio Getæ Imperii hæredibus institutis, &c. Observanda est DOMINI appellatio, quæ prænominis vice, & pro vulgari *Imperatoris* vocabulo in hoc nummo usurpatur. Hic titulus à Caio vulgatus, qui, ut ait eruditus Spanhemius diss. 8. pag. 729. *Dominum se dici tentaverat*, quem renovavit Domitianus, licèt tamen in publico ære nunquam hoc titulo designatus sit; quâ adulatione Neapolitani Palæstinæ erga Philippos patrem & filium posteà usi sunt: hæc autem appellatio sub Aureliano Romæ tandem recepta est.

Hic nummus primæ magnitudinis, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

CARTHAGO *Africæ.*



L. SEPT. GETA. CAES. Caput Getæ sine laureâ.
C. I. C. A. D. D. *Colonia Julia Carthago Antiqua Decreto Decurionum.* Figura virilis barbata & nuda, utraque cornucopiæ.

Hæc per litteras initiales epigraphe, à Carthagine usurpata, in Africæ Coloniis sæpe occurrit, pro more apud eas recepto. Carthaginenses indulgenter habiti sunt à Severo ex Africa oriundo; unde ipsi & Caracallæ nummi Romæ signati occurrunt, cùm inscriptione INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. Verisimile est ipsos Colonos beneficiorum memores Severi familiæ nummos ejusmodi cudisse, quorum hactenus hic solus Getæ nobis superest. Figura illa virilis nuda & barbata, ambabus cornucopiæ gerens, Herculis esse videtur, cujus cultum Carthaginenses à Tyriis conditoribus acceperunt. Hercules cum Acheloo certavit pro Dejanira, sed hic videns Herculem fortiorem se vertit in taurum, cui Hercules amputavit cornu quod Copiæ, comiti Fortunæ datum est. Itaque Hercules illud ambabus gerit, tanquam trophæum. De quo Ovidius Metam. 9.

Rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, tunicâque à fronte revellit.
Naiades hoc, pomis & odoro flore repletum
Sacrarunt, divesque meo bona copia cornu est.

Hic nummus minimi moduli, rarissimus est.

CORINTHUS.



P. SEPT. GETA. CAESAR. Caput Getæ nudum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Hercules stans, axillâ clavæ impositæ innixâ.

Corinthii eundem Herculis typum Getæ offerunt, quem patri & Caracallæ fratri dicaverunt. Hercules & Bacchus Dii erant, Severi auspices: his templum Romæ munificentissimum erexit, teste Dione in ejus vita. In nummis Caracallæ & Getæ S. C. percussis ipsi dicuntur DII PATRII, qui pietati præsunt patrum in liberos, & liberorum in parentes. Dii patrum, familiæ, & generis præsides sunt. Virgil. Æneid.

Dii Patrii servate domum, servate parentes.

Herculem etiam venerabantur Corinthii, cujus duo in urbe signa memorat Pausanias, unum quidem ligneum à Dædalo factum juxta Minervæ Frænatricis theatrum: alterum verò æneum ultra Propylæa, ad dexteram. Hercules insistit clavæ, post exantlatos nimirum labores.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ, pro raro habendus.



P. SEP. GETA CAES. Caput Getæ nudum.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Diana Venatrix gradiens, dextrâ telum è pharetra dorſo impoſita depromit, ſiniſtrâ arcum, pone eam cervus.

Plurima templa Dianæ ædificarunt Corinthii, teſte Pauſania; ſed ille Venatricis ſignum propè balnea publica locatum narrat p. 90. Ἐν ἀριστερᾷ δὲ τῆς εἰσόδου Ποσειδῶν, καὶ μετ' αὐτὸν Ἄρτεμις θηρεύουσα ἕστηκε. *Ad lævam aditus, Neptunus; ſecundùm eum Venatricis habitu Diana ſtat.* Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum conſortia fugiſſe, & ut à ſe libidinis pruritum amoveret, venando ſilvas incoluiſſe: arcum & pharetram ferebat, ſuccincta ſemper incedens: ob hanc cauſam Venationis Dea putabatur. Cervus Dianæ dicatus eſt, de quo narratur Agamemnonis fabula apud Servium in Æn. 6. qui illum, cùm in Aulidem veniſſet, occidit imprudens.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino pag. 317. vulgatus, inter raros locandus.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Diana gradiens cum pharetra dorſo impoſita, utraque manu facem gerens, pone eam cervus.

Diana hæc Venatricis quidem habitu eſt, & pharetram dorſo impoſitam gerit, ſed pro arcu duas tædas præfert. Diana dicta eſt, ſi Macrobio fides, ab Iana, D litterâ additâ. Iana enim Luna eſt, ita ut Diana & Luna eadem ſit. Luna à lucendo nominata, vel quòd ſola noctu ſplendeat; vel quòd luceat luce alienâ, hoc eſt à Sole acceptâ: ob id forſan duæ faces adhibentur. Diana Lucifera, φώσφορος Græcis dicitur. Amicus noſter putat nummum in memoriam Hellotiorum ludorum Minervæ conſecratorum cuſum, eo argumento, quòd Pindari Scholiaſtes ad Olympionic. 13. ad verba Ἑλλώτια δ' ἑπτάκις, hæc aſſerat. Γίνεται οὖν ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς ἐν Κορίνθῳ ἐν ᾗ καὶ ὁ ἀγὼν τελεῖται ὁ καλούμενος λαμπαδοδρομικός· ἐν ᾧ ἔτρεχον νεανίαι λαμπάδας κρατοῦντες· αὕτη δὲ ἡ πανήγυρις εὑρέθη, κατὰ μέν τινας, ἐπειδὴ τὸν ἵππον τοῦ Βελλεροφόντου ὑπέταξεν ἡ θεὸς τὸν Πήγασον, καὶ περιέθηκεν αὐτῷ τὸ χαλινὸν, καὶ οὕτως εἷλεν αὐτόν. *Eſt igitur Minervæ feſtum apud Corinthios: in quo certamen curſus cum lampadibus celebratur: currebant juvenes lampades tenentes. Hæc autem celebritas fuit inventa ſecundùm quoſdam, cùm Bellerophontis equum Pegaſum ſubjugavit Dea, frænoſque impoſuit, & ſic eum apprehendit.* Cervum Dianæ ſacrum nemo neſcit.

Hic nummus ſecundi moduli rarior eſt ſuperiore.



P. GETA. CAESAR. Caput Getæ ſine laurea.
C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victoria gradiens; dextrâ coronam, lævâ palmam.

Cùm Geta Cæſaris nomen præferat, ad victoriam Parthicam nummus ſpectare videtur. Severus ejus pater in hoc bello Cteſiphonte captâ, & Rege Parthorum longè pulſo, Parthicum nomen meruit, ut narrat Spartianus in ejus vita: ob hoc etiam Caracallam jam Cæſarem Imperii participem nominarunt milites. *Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt.* Corinthii Severo per filios gratulantes, Getæ nummos Victoriâ in iis ſignatâ dicarunt in rei memoriam: harum enim appellationum causâ Severus donativum militibus largiſſimum dederat. Corona, victoris præmium eſt,

ut & palma, Victoriæ ſymbolum; unde Palmaris Dea dicitur Apuleo lib. 2. de Aſino. *Attollebant ſtatuas Palmari Deæ.* Quod & Cicero videtur confirmare de Nat. Deor.

Hic nummus mediocris magnitudinis, pro raro numerandus.



P. SEPT. GETA. CAES. Caput Getæ Cæſaris.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Victoria in bigis, dextrâ equorum habenas, lævâ palmam.

Jam prodiit ſimilis Victoriæ bigas agentis in Severi & Caracallæ nummis typus, quem non ad victoriam de hoſtibus relatam ſpectare diximus, ſed ad illam quam in Agonalibus certaminibus Caracalla Severi patris nomine reportavit: unde in Severo & filiis idem nummus cum epigraphe VICTORIAE AVGG. Senatuſconſulto percuſſus frequens occurrit. Bigæ autem in ludis Agonalibus erant receptæ, nec ipſæ ad victoriam de hoſtibus pertinebant; Victoria enim non lauream hoſtium devictorum indicem, ſed palmam ludorum inſigne gerit: loquentem audias Suetonium in Tiberio cap. 26. *Natalem ſuum plebeiis incurrentem Circenſibus vix unius* BIGÆ *adjectione honorari paſſus eſt.* Plinius lib. 7. cap. 6. bigas primùm junxiſſe Phrygios, quadrigas Erichthonium tradit.

Hic nummus ſecundi moduli, à Patino pag. 317. vulgatus, rarus eſt.



C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Capitulum ex ordine Corinthiaco, deſuper Bellerophon impetit Chimæram, ut videtur; nam in ea parte detritus eſt nummus.

Corinthii quod in urbe illuſtre & memoriâ dignum fuit, id in nummis ſtudioſè conſignarunt: en capitulum utpotè in architectura elegantiſſimum Corinthiorum inventum in hoc Getæ nummo percuſſum, cujus lepidam originem Vitruvius ad calathum in monumento Virginis Corinthiæ ſupra Acanthi radicem poſitum, folia & cauliculos verno tempore profundentem revocat, & ex eo Callimachum ad id exemplar columnas apud Corinthios feciſſe tradit lib. 4. cap. 1. *Tum Callimachus, qui propter elegantiam & ſubtilitatem artis marmoreæ, ab Athenienſibus Catatechnos fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calathum, & circa foliorum naſcentem teneritatem, delectatuſque genere, & formæ novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, ſymmetriaſque conſtituit, ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis diſtribuit rationes.* Columnis addita ſunt pro ornamento capitula ſeu epiſtylia quæ iis ſuperimponuntur, & baſes ſive ſpiræ quæ ipſis ſupponuntur. Plinius prima columnis capitella Epheſi adjecta narrat lib. 36. cap. 23. *In Epheſiæ Dianæ æde, primùm columnis ſpiræ ſubditæ, & capitula addita.* Bellerophon decertans cum Chimæra, ad urbis antiquitatem deſignandam percuſſus videtur, de quo abundè.

Hic nummus minimæ formæ, in Theſauro Regio, rariſſimus eſt.

HELIOPOLIS.



GETA CAESAR. Caput Getæ ſine laurea.

COL. HEL. *Colonia Heliopolis.* Caput turritum & velatum, pone quod lauri ramus, in aliis cornucopiæ.

Heliopolis urbs Cæleſyriæ, Colonia à Julio Cæſare conſtituta, & Veteranis ab Auguſto frequentata,

quentata, ob civilis belli merita, à Sept. Severo jus Latii obtinuit, ut in illius nummis diximus. Nil mirum si Heliopolitæ beneficiorum memores, nummos Imperatoris munificentissimi filio dicarint. Herodianus in vita Caracallæ, Getam ob aliquas animi dotes ipso populis cariorem tradit. Καὶ τό γε πλεῖστον μέρος εἰς τὸν Γέταν ἔβλεπε, φαντασίαν γάρ τινα ἐπιεικείας ἐπεδείκνυτο, μετρίον τε καὶ πρᾶον ἑαυτὸν τοῖς προσιοῦσι παρεῖχεν. *Major tandem pars ad Getam spectabat, quòd opinionem nonnullam ostenderet probitatis, moderatumque se & lenem in congressibus præstaret.* Caput turritum, Genii urbis symbolum est. Lauri ramus pone caput ad Apollinem spectat, cujus erat magnus apud Heliopolitas cultus, ut narrat Macrobius Satur. cap. 22. *Assyrii quoque Solem sub nomine Jovis, quem Dia Heliopoliten cognominant, maximis ceremoniis celebrant in civitate quæ Heliopolis nuncupatur.* Paulò infrà, *Ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est.* Cornucopiæ, agri fertilitatem denotat.

Hic nummus mediocris & minimæ formæ obvius est.



IMP. CAES. GETA. AVG. Caput Getæ laureatum.
COL. HEL. *Colonia Heliopolis.* Duæ aquilæ legionariæ in laurea: in aliis duæ aquilæ legionariæ inter duo signa militaria.

Duæ aquilæ legionariæ, seu in laurea, seu inter duo signa militaria percussæ, ad Veteranos Heliopolim ab Augusto transmissos spectant, originem Coloniæ arguentes: illam tamen à Julio Cæsare constitutam indicat Juliæ nomen, quam posteà Veteranis Augustus frequentavit, quorum nomina exhibet insignis Philippi Senioris nummus, in quo legitur COL. HEL. LEG. V. MACED. VIII. AVG. cujus partem Heliopolim, partem alteram Berytum traductam nos docuit Augusti nummus pag. 15. cum hac epigraphe, COL. BER. V. VIII. uti diximus, ex quo confirmatur Strabonis locus, duas Legiones in hac urbe ab Agrippa collocatas asserentis: sed nummi hunc Geographum valdè illustrant, cùm Veteranos illorum in Coloniam, & non in hiberna traductos, nos edoceant. Heliopolitæ Imperatoris Getæ titulum inscripserunt, cùm ille Imperium Severi patris auctoritate cum fratre Caracalla administraret.

Uterque nummus secundæ formæ, prior quidem à Patino pag. 317. vulgatus, obvius est; posterior verò, inter rariores collocandus.

LAODICEA.



L. SEP. GETA CAES. Caput Getæ nudum.
SEPT. COL. LAOD. METRO. *Septimia Colonia Laodicea,* seu *Laodicena, Metropolis.* In laurea.

Laodicea urbs est Syriæ littoralis, à Seleuco Nicatore in matris Laodices memoriam condita, ad quam pertinet nummus Alexandri Balæ cum epigraphe, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΓΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ in nostra Seleucidarum Historia pag. 262. Illa se *Juliam Laodiceam* ob Julium Cæsarem de se bene meritum nominavit; & æram inde computavit usque ad tempora Severi, quibus Pescennii partes deserens, ipsi adhæsit: ob idque de improviso oppressa, ejusque civibus omni crudelitatis genere affectis, à Severo, post occisum Pescennium, Antiochiæ privilegiis, quibus ipsam expoliavit, ornata est: sed cùm Severus posteà Antiochiæ ignovisset, eique jura reddidisset, Coloniam Laodiceam constituit, secundæ Metropoleos dignitate servata; unde pro Julia *Septimiam* se appellavit, & beneficiorum memor, nummos Getæ Severi filio, cùm Cæsar à patre renunciatus esset, dicavit. Laurea spectat ad victoriam Parthicam, quam retulit Severus, & quam ob causam Geta *Cæsar* appellatus est, ut diximus. De Laodicea plura vide in Caracalla.

Hic nummus minimi moduli, inter rariores numerandus.

PTOLEMAIS.



P. SEP. GETA. CAES. Caput Getæ nudum.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Colonus agit boves, adſtant quatuor ſigna militaria.

Patinus in nummo trophæa exhibuit; & quænam Ptolemais urbs Getæ nummum cuderit, ſe ignorare fatetur; ſed illa quæ in Phœnicia eſt, inter urbes ejuſdem nominis quatergeminas, ſola Coloniam accepit à Claudio, in quam deducti non modò Cives ex Roma, ſed Veterani ab eodem Principe in eam tranſmiſſi ſunt, ut Colonus agens boves, & ſigna militaria denotant. Ulpianus lib. 1. de Cenſibus Dig. 50. illam præter nomen Coloniæ, nihil habere tradit. *Ptolemaidenſium enim*, inquit, *Colonia, quæ inter Phœnicem & Palæſtinam ſita eſt, nil præter nomen Coloniæ habet.* Sed non veriſimile eſt Claudium Cives Romanos & Veteranos in eam ſine quadam immunitate ipſi conceſſa deduxiſſe, quam ab aliquo Imperatore ablatam ſuſpicari quis poſſet, quod & aliis factitatum paſſim legimus, forſan cùm Syri & Phœnices Peſcennio acclamaſſent. Ptolemaidenſes, ut ſuum erga Severum denotarent obſequium, ipſi, & familiæ dilectiſſimæ nummos ſuos conſecrarunt.

Hic nummus tertiæ magnitudinis, à Patino pag. 317. vulgatus, pro raro & eleganti habendus.

SINOPE.



P. SEP. GETA. C. Caput Getæ ſine laurea.

C. I. F. SINOPES. *Coloniæ Juliæ Felicis Sinopes.* Piſcis. Regius eſt integer nummus, nec vox AN. unquam extitit, ut putat P. Harduinus pag. 456. Similem Florentiæ Marchio Jo. Niccolinus poſſidet. Patinus has litteras I. F. *Juliæ Felicis*, ſe ignorare fatetur.

Sinopen Ponti Aſiatici urbem littoralem Caracallæ nummos dicaſſe retulimus, quæ ſuos Getæ fratri profert, forſan quando Severus eorum pater victor cum illis ex Parthico bello redux, per Cappadociam iter habuit, ubi Plautianum ægrotaſſe narrat Dio lib. 75. pag. 857. Ποτὲ γοῦν τοῦ Σεβήρου ἐν Τυάνοις νοσήσαντα αὐτὸν ἐπισκεπτομένου. *Quocirca quum Tyanis Severus Plautianum ægrotantem viſitaret.* Piſcis in nummo cælatus, Pelamis eſt, ad denotandam Thunnorum, ſeu Pelamidum verſus ejus littus abundantiam & piſcationem, de qua tradit Strabo lib. 7. pag. 320. Naſcitur autem in Paludibus Mæotidis: cùmque aliquid virium cepit, ac ad littus Aſianum deferuntur uſque ad Trapezuntem & Pharnaciam, atque ibi primùm capiuntur: ſed ea piſcatio copioſa non eſt, quia juſtam magnitudinem Pelamides non ſunt aſſecutæ. Σινώπην προσίασιν, ὡραιότεραι πρός τε τὴν θήραν καὶ τὴν ταριχείαν εἰσίν. *Ad Sinopen uſque provectæ jam & captu meliores ſunt, & ad ſalſamentum commodiores.* Poſtquàm ad Cyaneas appulere, eaſque præteriere, ad Byzantium & ad cornu ejus convertuntur, ibi fit tertia piſcatio.

Hic nummus minimæ molis, à Patino pag. 317. vulgatus, inter præſtantiores collocandus.

STOBI.



P. SEPT. GETA CAES. Caput Getæ ſine laurea.

MVNICIP. STOBENS. *Municipium Stobenſium.* Victoria gradiens, dextrâ lauream, ſiniſtrâ palmam gerit.

Stobi

Stobi urbs eſt & Municipium Macedoniæ in Pelagoniæ regione, cujus frequentes occurrunt nummi, præſertim cum Victoria; ſed hæc videtur eſſe Parthica, ob quam Getam diximus Cæſarem fuiſſe renunciatum. Stobenſes porrò eundem Victoriæ typum Severo, Juliæ Domnæ, & Caracallæ dicarunt, conciliandæ ſibi, ùt ait Eq. Patinus, Severi benevolentiæ causâ; nam Macedonia illius partes contra Peſcennium amplexa eſt, licèt hic Thraciæ partem occupaſſet. Verùm nummus non ad illam victoriam ſpectat, quam hoc tempore retulit Severus circa Helleſpontum, aut cùm Byzantium poſteà expugnavit, quia tunc Geta Cæſaris nomen nondum adeptus erat.

Hic nummus mediocris formæ, inter raros numeratur.



SEPT. GETA CAES. PONT. Caput Getæ ſine laurea.
MVNICIP. STOBENSIVM. *Municipium Stobenſium.* Duo Fluvii decumbentes, quorum alter barbatus, alter imberbis, figurâ militari habitu ornatâ, ſtante intermediâ.

Geta hoc in nummo Pontifex renunciatur, an in loco demortui cujuſdam Pontificis inauguratus, an ſupra numerum cooptatus, incompertum eſt. Caracalla ejus frater, Pontifex in nummis etiam dictus eſt: ſed hic ſolus patre mortuo videtur ex nummis fuiſſe Pontifex Maximus. Aliquos quidem Getæ nummos in lib. de Præſtant. Num. cum titulo P. M. protulimus; ſed majori adhibitâ diligentiâ epigraphen novâ manu inſcriptam deprehendimus. Balbinus & Pupienus primi tantùm ſimul apud Capitolinum Pontifices Maximi leguntur à Senatu appellati. Duo Fluvii Stoborum ſitum indicant, ad quorum confluentiam condita urbs videtur: alter fluviorum Erigon vocatus, alter Rhœdias. Erigon autem oritur in Pæonia ſupra Deborum, deinde augetur Rhœdiâ, ſi Baudrando fides: ideò hic quaſi filius in illum defluens, imberbis depingitur. Figura paludata videtur eſſe Getæ, cui provincia ſe devovet.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, rariſſimus & præſtantiſſimus eſt.

TROAS.



IMP. CAE. P. SE. GETA. Caput Getæ laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Apollo nudus, pede ſaxo impoſito, lauri ramum gerit.

Troas urbs Phrygiæ minoris nummos Getæ, cùm ille Imperium patris teſtamento cum fratre Caracalla obtinuit, gratulans dedicavit: hanc Dionyſius Afer inſignem urbem veterum Heroum appellat, quam Neptunum & Apollinem condidiſſe, eandemque à Junone & à Minerva everſam narrat: ideò Euſtathius Afri Commentator, ait. *Digna eſt ut deploretur, propter ea quæ paſſa eſt.* Sed Colonia facta priorem ſplendorem recuperaſſe videtur; teſte Strabone cap. 13. pag. 594. Νῦν δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται, καὶ ἔστι τῶν ἐλλογίμων πόλεων. *Nunc etiam Romanorum Coloniam excepit, & eſt una de urbibus nobilibus.* De Apolline hoc modo depicto, in Commodo, Criſpina, & Caracalla diximus: ille pedem ſaxo imponit, qualis vaticinia reddebat, ut Pauſanias Delphis narrat Herophilen ejus Sacerdotem oracula edidiſſe. Καὶ ἐς Δελφοὺς, ὁπότε δὲ ἀφίκοιτο, ἐπὶ ταύτης ἱσαμένη τῆς πέτρας ᾖδε. *Ac Delphis quidem, de quo diximus, ſaxo vaticinia edebat ſua.*

Hic nummus ſecundi & minimi moduli, pro raro habendus.



P. SEPT. GETA. Caput Getæ nudum.
COL. AVG. TRO. *Colonia Augusta Troadensis.* Tripus.

Tripus, instrumentum est pedibus constans tribus, cujus nomine intelliguntur mensæ, sellæ, & alia ejusmodi. Tripodes, ut ait Servius, erant mensæ in templo Apollinis Delphici, quibus superpositæ Phœbades, vaticinabantur. Alio nomine dicitur Cortina. Tripus igitur hic ad Apollinem spectat, unde apud Athenæum lib. 2. pag. 37. Καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. *Nam qui vera fantur, illos è Tripode loqui dicimus.* De summo Apollinis apud Troadenses cultu passim diximus, & de ejus oraculo. Athenæus lib. 7. pag. 296. illum à Glauco vaticinandi artem didicisse narrat ex Nicandro. Ὁ δ' αὐτὸς Νίκανδρος ἐν πρώτῳ Αἰτωλικῶν τὴν μαντικὴν φησὶν Ἀπόλλωνα ὑπὸ Γλαύκου διδαχθῆναι. *Ipse verò Nicander in Ætolicorum primo tradit Apollinem à Glauco didicisse vaticinandi scientiam.* Apollo autem Trojæ Deus fuit tutelaris.

Hic nummus minimæ formæ, nec rarus nec obvius est.

TYRUS.



IMP. CAES. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. Caput Getæ laureatum.
SEP. TYRVS. METR. COLON. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Astarte tutulata stans, dextram imponit trophæo, sinistrâ scipionem : coronatur à Victoria cippo imposita, pro pedibus Astartes, hinc palma arbor, inde conchylium.

Tyrus urbs & Metropolis Phœniciæ, de qua passim in nummis Severi, beneficiorum memor, à quo Colonia deducta est, & *Septimiæ* nomen præfert, Septimio Getæ filio, cùm Imperium suscepit, gratulans nummos dicavit. Astarte Tyri Dea tutelaris est, cujus templum Hyramus Rex condidit, teste Josepho, de Bel. Judaic. lib. 1. ubi ejus Regis filium nomine *Bele Astartum* nominat, & Bele-Astarti filium, *Abdastartum*, & alterum Bele-Astarti filium, *Astartum*, quasi ex Astartes nomine. Trophæum, cui manum imponit Astarte, non ad Getæ historiam, sed ad Colonias à Tyriis longè deductas spectat ; quippe idem typus in plerisque Imperatoribus frequens occurrit. De palma & conchylio abundè dictum est.

Hic nummus primæ magnitudinis elegantissimus est.



SEPT. TYRVS. METRO. COLON. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Colonus agit boves, pone quod vexillum, in quo LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica.*

Tyrii deductæ Coloniæ symbola in nummo Getæ proferunt, ut ipsi pergrata : quippe Severus ejus pater urbem munificentiâ suâ Coloniam constituerat. Porrò hæc urbs à Pescennii militibus, ob Severi partes, quas illa erat amplexa, direpta & incensa fuit. Itaque ob belli merita jus Italicum obtinuit, ut refert Ulpianus lib. 1. de Censibus. *Huic enim divus Severus & Imperator noster, ob egregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit.* Colonus, civium Romanorum deductorum symbolum ; vexillum, Veteranorum in urbem transmissorum insigne : ex qua verò Legione deducti sint, nomen *Tertia Gallica* indicat : hæc apud Dionem in Phœnice hiberna agebat, ad ejusque provinciæ securitatem à Vespasiano ibi locata. Ejus Legionis, ut & IIII. & VI. Gallicæ, fidem faciunt Inscriptiones antiquæ apud Gruterum, sed harum nulla in nummis mentio.

Hic nummus majoris formæ præstantissimus est.

INCERTA.



P. SEPT. GETA. Caput Getæ nudum.
STA. BOV. *Stabiæ. Bovillæ.* Bos ſeu Vacca.

Patinus nummum uno verbo STABOV. Stabiis Campaniæ oppido tribuit. P. Harduinus STA. BOV. dividit, rectè quidem, cùm in ſimili nummo menſe Januario 1686. Tuſculi à nobis reperto, punctum poſt STA. obſervaverimus, & ad duas in eadem Campania Stabias & Bovillas urbes revocat, quibus utrique Bos ſeu Vacca convenire poteſt; Stabiis ob lac Stabianum pro Pthiſicis decantatum, Bovillis verò ad indicandam nominis originem Bovillæ, quippe quaſi Bovis ilia, quod eò vulnerata Bos ſua trahens inteſtina devenerit; ſed quia hæc conjectura Antiquariis non omninò arridet, nummum inter incerta numiſmata collocavimus.

Hic nummus minimi moduli, inter rariores collocandus.

ROMÆ

L. SEPTIMII GETAE.
SAECVLARIA
SAECVLI FELICITAS
P. PETRONIVS FAVSTVS
AVGVR.

Sponius Miſcell. erud. Antiq. pag. 272.

IMP. CAESARIS: L.
SEPTIMII SE
VERI PERTINACIS
AVGVST.
LAETITIAE
TEMPORVM
P. PETRONIVS FAVSTVS
AVGVR.

A latere ejuſd. marmor.

M A C R I N U S.




MACRINUS in Syria à militibus electus, licèt à Senatu confirmatus, Romam illicò non venit, bello nimirum cum Parthis detentus; pace autem cum iis initâ, civile cum Elagabalo bellum inchoavit, in quo post XIIII. Imperii menses occisus est. Tam turbidum procellosumque tempus deducendis Coloniis haud idoneum fuisse videtur: nummus tamen Tarsi cusus, hanc urbem *Macrianæ* nomen, ob collata ab eo in se beneficia, assumpsisse nos edocet.

MACRINI *nummi ex ære majore rarissimi, ex infimo & mediocri rari.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΑΥΤ. Κ. Μ. Ο. C. ΜΑΚΡΙΝΟC. Caput Macrini laureatum.
S. C. *Senatusconsulto.* Δ. Ε. Δημαρχικῆς ἐξουσίας, *Tribunitia potestate*, in laurea.

Nummus licèt Antiochiæ nomen non exhibeat, ad illam spectare arguunt hæ voces S. C. & Δ. Ε. in ipsius nummis signatæ, ab eo tempore quo Coloniam illam deduxit Caracalla; imò Antiochia, ut diximus in Othone, solâ S. C. inscriptione, ante Caracallæ tempora, in laurea similiter utebatur. Hanc urbem geminam habuisse monetæ officinam, urbis scilicet, & Syriæ Præfecti, jam diximus; quam sententiam illustrant nummi Patrenses, ubi pariter gemina erat monetæ officina, testes sub Claudio nummi, alii quidem à civibus cum epigr. COL. A. A. PATRENS. cusi: alii verò à Præfecto Achaiæ cum Græca inscriptione, ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡΕΩΝ. Lampridius narrat postquàm Imperium Macrino delatum fuisset, & ipse filium Diadumenianum appellasset *Antoninum*, militibus id gratum habentibus gratias egisse, & inquit: *Hac habitâ concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeniani nomine percussa est, Macrini usque ad jussum Senatus dilata est.* Patinus pag. 327. sententiam hanc sequutus, non capit quomodo S. C. hic Senatusconsultum significet; sed Antiochiam longè antè has notas in nummis exhibuisse, ad indicandam sibi cudendæ monetæ facultatem à Senatu concessam, & Populi jussu confirmatam, ignoravit.

Antiochiæ pariter cusus est alter Macrini nummus, in cujus aversa parte, ΚΑΙ. Μ. Ο. ΔΙΑ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. S. C. cum capite Diadumeniani. De notis verò Δ. Ε. in nummis filii.

Uterque nummus minimæ formæ, vulgaris & obvius est.

B E R Y T U S.



IMP. CAES. M. OPEL. MACRINVS AVG. Caput Macrini laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Neptunus pede saxo imposito stans, dextrâ Delphinum, sinistrâ tridentem. Idem typus in templo sex columnarum.

Berytus

Berytus, urbs littoralis & Colonia Phœniciæ, de qua passim dictum est, Macrino Imperatori in Syriæ confinio à Legionibus electo, gratulans nummos consecrat. Berytenses Neptunum tutelare numen sæpe in nummis repræsentarunt; sed hic elegans nummus templum ejus in urbe magnificentissimum exhibet. Urbs autem illa videtur fuisse perillustris, si quidem Josephus ab Agrippa Rege maximè ornatam narret Ant. l. 19. cap. 7. Πολλοῖς δὲ κατασκευάσας πολλὰ Βηρυτίους ἐξαιρέτως ἐτίμησε, θέατρον γὰρ αὐτοῖς κατεσκεύασε πολυτελείᾳ τε καὶ κάλλει πολλῶν διαφέρον, ἀμφιθέατρον δὲ πολλῶν ἀναλωμάτων, βαλανεῖα πρὸς τούτοις, καὶ στοὰς ἐν οὐδενὶ τῶν ἔργων στενότητι δαπανημάτων, ἢ τὸ κάλλος ἀδικήσας, ἢ τὸ μέγεθος. *Inter alias autem multas eximiis ornamentis honoravit civitatem Berytiam, magnis sumptibus exstructo ibi theatro pulcherrimo, simulque æquè magnifico amphitheatro, & ad hæc balneis ac porticibus, nullis parcens impendiis, modò absolutam operibus pulchritudinem adderet.* Delphinus & tridens Neptuni sunt insignia.

Hic nummus secundæ magnitudinis, apud R. P. Olone Dominicanum Convent. Aquisext. inter rariores numerandus.



COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Astarte tutulata & seminuda stans in templo tetrastylo, dextrâ hastam, seu scipionem, coronatur à Victoria columnæ imposita, hinc & inde icuncula supra cippum vexillum gerit.

Frequentes Berytensium nummi Macrino cusi occurrunt, quòd illi ab ipsius partibus contra Elagabalum starent, ut innuere videtur Dio lib. 78. pag. 903. qui Basilianum Ægypti Præfectum, & Marcum Secundum Phœniciæ Rectorem ipsi addictissimos narrat. Καὶ ἦσαν κατὰ ταυτὰ ἀμφότεροι αὐτῷ προσκείμενοι, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοὺς τοῦ ψευδαντωνίνου δρομοκήρυκας ἀπέκτειναν. *Quorum uterque Macrini partes fovebat, ideoque publico utentes cursu præcones Pseudantonini necabant.* De Astartes cultu in Syria sæpe dictum; illa seminuda est Veneris instar, Suidas illam esse docet. Ἀστάρτη, ἡ παρ᾽ Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη. *Astarte quæ apud Græcos Venus dicta est.* Duæ illæ icunculæ in cippis vexillum gerentes, utriusque Legionis v. Macedonicæ, & VIII. Augustæ Veteranorum Genios repræsentant, ad indicandam Coloniæ originem, quam & duæ aquilæ legionariæ in nummo templi Genii Berytensis alibi describendo, pariter denotant.

Hic nummus majoris formæ rarissimus & elegantissimus est.

C Æ S A R E A.



IMP. OPE. MACRINVS AVG. Caput Macrini laureatum.

COL. PR. FL. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Colonus agens boves.

Nummus ad Cæsaream Palæstinæ urbem, non autem ad Cæsaream Cappadociæ, ut putat Eq. Patinus, quæ Coloniæ dignitate nunquam donata est, spectat. Cæsarienses Macrino in Syria à Legionibus electo nummos suos dicant, obsequium hoc modo Imperatori novo denotantes. Ex urbe Cæsarea oriundus erat Macrinus, ex Sitifensi scilicet, non ex ea quæ ad Argæum montem sita est, non Cappadox, sed Maurus, ut confirmat Dio lib. 78. pag. 884. Τά τε γὰρ ἄλλα καὶ τὸ οὖς τὸ ἕτερον, κατὰ τὸ τῶν Μαύρων ἐπιχώριον, διετέτρητο. *Habuit enim præter cætera, alteram aurem perforatam, ut est Maurorum consuetudo.* Qui mulierum inaures gestantium mos adhuc superest in Africa, quod & ipsi Algeriæ vidimus. Cæsarienses Coloniæ symbolum, ad denotandam immunitatem à Tito sibi concessam, signare videntur.

Hic nummus secundæ magnitudinis mutilus, & cum uno bove pro duobus, à Patino pag. 322. vulgatus, pro raro habendus.

COILLU.



I. OP. SEV. MACRINVS AVG. Caput Macrini laureatum.

AEL. MVNIC. COIL. in aliis COMM. *Ælium Municipium Coillu*, vel *Coillutanum Commodianum*. Dimidia navis, cornucopiæ desuper.

Coillu urbs & Municipium Numidiæ, de quo dictum est in Antonino Pio, Commodo, & Caracalla, Macrino Imperatori Africano gratulans, nummos dedicat. Hunc in Africam amandatum narrat Capitolinus. *A Severo remotum etiam à miserrimis officiis, relegatumque in Africam, ubi ut infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse causulas, declamasse, jus postremò dedisse.* Urbs *Macriana* in Mauritania Sitifensi, ex qua natus erat, in illius etiam honorem dicta videtur; ejus meminerunt Notitiæ Africæ, ubi Restitutus Macrianensis legitur, hucque pertinere putat Lucas Holstenius Annot. de Patriarch. Rom. Silvanum Macrianensem in Coll. Carth. Coillutani dimidiam navem, ad situm urbis indicandum, signarunt: cornucopiæ verò ad ubertatem rerum omnium in Municipio arguendam, cui adstipulatur Lucianus in Rhetor. Præc. Τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας ἔχουσα ἐν τῇ δεξιᾷ, παντίοις καρποῖς ὑπερβρύον. *Dextrâ tenens Amaltheæ cornu fructibus scatens omnifariis.* Numidiam ita fertilem reddidisse Massinissam alicubi diximus.

Cave ne nummum ad *Æliam Capitolinam* cum Eq. Patino pag. 323. & P. Harduino pag. 13. ac ne cum Com. Mediobarbo 307. ad *Municipium Fanestre* in Hispania frustrà constitutum, imò ne tandem cum ipsomet P. Harduino pag. 110. ad *Cœlium Calabriæ* urbem revoces.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 322. vulgatus, inter raros reponendus.

DEULTUM.



IMP. M. OPEL. MACRINVS AVG. Caput Macrini laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultum.* Bacchus stans, dextrâ cantharum, lævâ thyrsum, pro pedibus panthera.

Deultum, urbs est Thraciæ, Colonia à Vespasiano deducta, quæ non tam læta Macrini electione, quàm Caracallæ interitu, novo tamen Imperatori dedicavit nummos: sed cùm plurimi occurrant ab eadem urbe cusi, beneficium quoddam, vel novum Provinciæ Rectorem, illam ab eo accepisse verisimile videtur. Bacchus in nummo Deulti signatus, ipsius cultum in hac urbe indicat, fortè ob vitium in illius agro abundantiam. Athenæus enim Thraciam ob vinum celebratam narrat l. 1. c. 24. p. 31. Ἐπεικῶς δὲ ἡ Θρᾴκη ἐθαυμάζετο ὡς ἡδύοινος, καὶ συνόλως τὰ πλησίον αὐτῆς χωρία. *Thraciæ quidem ob vini quod fert præstantiam, ac vicinorum ipsi locorum magna fuit celebritas.* Cantharum poculi genus gerit Bacchus, de quo idem Athenæus lib. 11. cap. 6. Ἑκατὸν δὲ ἡμέρας ἔκλαιεν οἴνου κανθάρους. *Centum interdiu vini cantharos absumi lacrymabatur.* Thyrsus est hasta aculeata, hederâ obtecta, quam in bigis Bacchæ quatiebant. Panthera Baccho comes additur, ob vinum quo delectatur; sed Phornutus de Nat. Deor. inquit hanc Deo Pantheram adsistere, ad indicandum asperrimos etiam mores temperato vini usu mansuescere.

Hic nummus secundæ magnitudinis rarus est.



IMP. M. OPEL. SEV. MACRINVS. P. AV. Caput Macrini radiatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultum.* Silenus dextram attollens, humero sinistro utrem hircinum gerit.

Nil

Nil mirum si Deultum urbs Bacchum venerata, ad vites conservandas, Silenum ejus nutritium & pædagogum coluerit, quem Lucianus de Baccho in Indiæ profectione unum ex ejus ducibus nominat. Καὶ τοῦτον πάνυ πιθανόν τινα συστρατηγὸν ἀυτοῦ. *Eumque magnæ auctoritatis in ducendo exercitu ipsius collegam.* Silenus dextram attollit versus astra, inter quæ translatum ipsum tradit Aratus in Bacchi gratiam: humero sinistro utrem hircinum gerit, an fortè quòd hircus Baccho immolaretur, ut ait Phornutus. Τὸν δὲ τράγον αὐτῷ θύουσι, διὰ τὸ λυμαντικὸν δοκεῖν τῆς ἀμπέλων. *Hircum ipsi immolant, quia noxium vitibus animal est.* Unde rustici Athenienses festum agebant, Ασκώλια ab utre nuncupatum, ut narrat Suidas. Εορτὴν οἱ Αθηναῖοι ἦγον τὰ Ασκώλια, ἐν ᾗ ἥλλοντο τοῖς ἀσκοῖς αἰγείοις, ἐς τιμὴν τοῦ Διονύσου. *Festum Athenienses agebant Ascolia, in quo utribus caprinis insiliebant in honorem Bacchi.* Uno tantùm pede in utrem saltabant. Hesychius: Ασκωλίζοντες ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἁλλόμενοι. *Uno pede saltante.* De quo Virg. 2. Georg.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi.

Hic nummus minimi moduli inter rariores reponendus.



IMP. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. Caput Macrini laureatum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultum.* Fortuna stolata stans cum calatho, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Deultani, ut & plurimi alii populi, Fortunam venerati sunt. De illa exclamat Plinius. *Toto mundo & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur.* Pausanias in Messeniac. tradit Homerum Poëtarum Principem mentionem Fortunæ primùm fecisse, quam Græci Τύχην appellant, Oceani filiam. Καὶ Τύχην ὡς Ὠκεανοῦ καὶ ταύτην παῖδα οὖσαν. *Et Tychen etiam ipsam Oceani filiam.* Fortunam ipsam divitiarum esse matrem atque nutricem ferunt; ideò illi temonem & cornucopiæ tribuere videntur, ex Lactantio, ut jam alicubi diximus; forsan ob id Romæ trans Tyberim, ubi ædem habebat, ejus festum colebant, qui sine arte aliqua vivebant. Imperatoribus sæpe comes addebatur, signo ejus aureo in ipsorum cubiculo asservato, de quo Capitolinus in vita Antonini Pii. *Fortunamque auream quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit.*

Hic nummus mediocris formæ, nec rarus nec obvius est.



IMP. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. Caput Macrini radiatum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultum.* Lupa præbens ubera Romulo & Remo.

Quibusdam Deultanorum nummis inscribitur *Severi* nomen, quod assumpsit Macrinus, postquàm Diadumenum filium *Antoninum* vocasset, ut innuit Capitolinus in ejus vita. *Insulsit præterea nomen Severi, quùm illius nullâ cognatione tangeretur, unde jocus extitit,* SIC MACRINVS EST SEVERVS, QVOMODO DIADVMENVS ANTONINVS. Lupa cum puerulis, frequens est Coloniarum symbolum, ad indicandam urbis Romæ à Romulo originem, cujus Strabo meminit lib. 5. pag. 229. Τοὺς δὲ ἐξέθηκε πρὸς τὸν Τίβεριν, κατά τι πάτριον. μυθεύονται μὲν οὖν ἐξ Ἄρεως γενέσθαι τοὺς παῖδας, ἐκτεθέντας δ' ὑπὸ λυκαίνης ὁραθῆναι σκυλακευομένους. *Gemellos autem quos pepererat, morem quendam patrum secutus, ad Tyberim exposuit. Hos Marte patre natos fabulantur, animadversumque eos à Lupa catulorum loco ali.* Lupæ puerulis ubera præbentis simulacrum pro Romæ insigni fuit.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habetur.

EDESSA.



M. O. C. MAKPINOC. CE. Caput Macrini laureatum.
ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCA. Μητρόπολις Κολωνία Ἐδέσσα. *Metropolis Colonia Edessa.* Variæ sunt epigraphæ, caput turritum & velatum.

Edessam Abgari Regiam per fraudem à Caracalla ipsi ablatam, & Coloniam Romanorum ab eo factam diximus: in ea hiberna ille agebat, dum Carrhas invisendi Dei Luni gratiâ profectus, in itinere occisus est, ut narrat Spartianus in ejus vita. *Deinde cùm iterùm vellet Parthis bellum inferre, atque hibernare Edessæ, atque inde Carrhas Luni Dei gratiâ venisset, die natalis sui* VIII. *Idus Aprilis, ipsis Megalensibus &c. interemptus est.* Cùm in castris Macrinus Imperator fuisset appellatus, Edesseni nummos ipsi subitò dedicarunt, quorum hic nobis monimentum est. Caput illud turritum & velatum, Genius urbis est, & solenne ejus tractus Metropolium insigne; turribus ornatur, ut maximè munita. Illam Tristanus ex Cantacuzeno lib. 4. obsidionem sexdecim annorum tulisse refert.

Hic nummus minimi moduli, rarus & conspicuus est.

HELIOPOLIS.



IMP. M. OPEL. MACRINVS. AV. Caput Macrini laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Augusta Felix Heliopolis*, seu *Heliopolitana*. Colonus agens boves, pone duo signa militaria, in quorum apice aquila.

Heliopolis urbs est Phœniciæ; Syri enim & Phœnices primi Macrino Imperatori à Legionibus electo, acclamarunt. Sed cùm Elagabalus à quibusdam Imperii successor assertus esset, milites & civitates pro diversis partibus steterunt: & licèt suspensis animis hærerent, cùm res adhuc foret in ambiguo statu, adlatis potissimùm de Macrino superato nuntiis, vehemens coorta seditio est, in qua multi è plebe, nec è militibus pauci perierunt. Heliopolitani Colonum cum signis militaribus, ad Coloniæ deductionem ex Civibus Romanis & Veteranis indicandam, cælarunt. Duo sunt signa militaria, in quorum apice aquila, ad Veteranos, tum ex Legione V. *Macedonica*, & VIII. *Augusta*, in hanc, ut sæpe diximus, Coloniam transmissos, spectantia.

Hic nummus mediocris formæ, inter præstantiores computandus.

PELLA.



IMP. M. OPEL. MACRINVS AVG. Caput Macrini laureatum.
COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Augusta Pella.* Figura nuda insidens rupibus, dextrâ sibi coronam imponit, lævo cubito fistulæ multis calamis compactæ innixo, pro pedibus pedum.
P. Harduinus pag. 200. in hoc Macrini nummo legit COL. IVL. HISPELLA, quem ad Hispellum in sexta Italiæ regione urbem perperam revocat.

Pella urbs Macedoniæ, in littore Ægei maris, Macedonum regia olim sedes, Colonia à Julio consti-

constituta, ab Augusto Veteranis frequentata, suum Macrino obsequium per nummos testatur. Figura montibus insidens, urbis situm indicat, de quo Livius Dec. v. lib. iv. *Situm urbis undique aspiciens, quam non sine causa delectam esse regiam advertit. Sita est in tumulo vergente in Occidentem hibernum, &c.* Ill. Spanhemius, ad situm Pellæ probandum Not. ad Cæss. Juliani p. 160. & 400. hunc typum protulit, nullâ figuræ mentione factâ, cui pag. 160. palmam pro fistula tribuit, unde Amicus noster ad Athletam ludorum victorem, qui sibi coronam imponit, revocabat; sed figura illa nunquam palmam gerens, semper fistulæ innixa, Apollo esse videtur, Nomius dictus, quasi pastor, quod Admeti Regis pecus paverit, ut confirmat pedum in una nummi parte. Fistulæ multis calamis compactæ innixus, tanquam Marsyæ spoliis insultans, qui ad tibiæ certamen ipsum provocare ausus fuerat; ideoque coronam sibi imponit. Pellenses apud Goltzium in Græciæ nummis tab. 22. & 23. Apollinem cum tripode, illumque cum lauri corona exhibent, unde apud eos Apollinis cultus arguitur.

Hic nummus minimi moduli pro raro numerandus.



COL. IVL. AVG. PELL. *Colonia Julia Augusta Pella.* Victoria sedet supra spolia, dextrâ stylum, sinistram apponit clypeo quem genu sustinet.

Victoria spoliis insidens, ad bellum Parthicum spectat; illa enim sedet, bello per Macrinum confecto, & pace cum Parthis initâ, qua de re Dio lib. 78. pag. 887. Επειτα διαπρεσβευόμενοι ὁ Μακρῖνος καὶ ὁ Αρτάβανος, καὶ διακηρυκευόμενοι, συνηλλάγησαν. *Secundùm hæc missis utrò citròque de pace Legatis, res inter Macrinum & Artabanum mutuam ad reconciliationem deducta fuit.* Nam auctore Herodiano in vita Macrini, Romani triduo cum Parthis decertaverant. Πρώτης μὲν οὖν καὶ δευτέρας πάσης ἡμέρας ἐξ ἑωθινοῦ εἰς ἑσπέραν ἐμαχέσαντο· καὶ νὺξ ἐπελθοῦσα διέλυσε τὰς μάχας· ἑκάτεροί τε ἐπανῆλθον εἰς τὰ ἑαυτῶν στρατόπεδα, νικᾷν ἀξιοῦντες. τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ συνῆλθον εἰς τὸ αὐτὸ πεδίον μαχόμενοι. *Uno igitur alteroque die, à mane ad vesperam pugnatum: nox prælium diremit; reversique sunt in castra utrique, quasi victores. Tertia die in eandem planitiem pugnaturi convenere.* Senatus Macrino sacrificia decrevit ob victoriam, & Parthici nomen datum, quod non accepit. Multi occurrunt S. C. cusi nummi cum simili typo & epigraphe VICT. PARTH. quod imitati sunt Pellenses.

Hic nummus minoris formæ, in rariorum serie collocandus.

TYRUS.



IMP. CAES. MACRINVS. AVG. Caput Macrini laureatum.

SEPT. TYRO METROP. COLON. *Septimia Tyro Metropolis Colonia.* Bos cum vexillo, in quo LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica.* Conchylium ante bovem.

Tyrus Phœniciæ Metropolis, Macrinum venerata, nummos ei plurimos obtulit, si quidem Marius secundus illius provinciæ Præfectus, ab ipsius partibus contra Elagabalum stetit, ut jam vidimus apud Dionem. Bos, Coloniæ ex Civibus togatis deductæ symbolum est; vexillum, Legionis Veteranorum in eam missorum insigne: ex quanam autem illi fuerint, in eo scriptum est nomen Tertiæ Gallicæ. Ipsa enim in Phœnicia hiberna agebat: hæc nondum pacata erat, post Elagabali è Syria discessum, nam Severus rebellavit, teste eodem auctore. Σεβῆρος ἐπιτολμήσας καὶ αὐτὸς τῇ μοναρχίᾳ ἐν τῷ τρίτῳ στρατοπέδῳ τῷ Γαλλικῷ, οὗ ἦρχε. *Severus autem, & ipse regnum adfectare ausus in Legione Gallica Tertia, cujus dux erat.* Conchylium Tyri insigne est, ob celebrem ejus purpuram, de qua loquitur Virgilius lib. 3. Georg.

Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.

Jam vulgatus est in Julia Pia similis Tyri Coloniæ typus cum eadem epigraphe, quam Tristanus, & illius sequaces, SEPHYRVS & SEPHYRO legerunt, ut notavit P. Harduinus pag. 513. qui inscriptionem vexilli LEG. XII. pro LEG. III. apud Patinum corrigere debuerat ex nummo Treb. Galli, quem ipsemet cum LEG. III. GAL. pag. sequente protulit.

Hic nummus mediocris magnitudinis, à Patino pag. 321. vulgatus, rarus est.



SEP. TYRO METRO. COLON. *Septimia Tyro Metropolis Colonia.* Templum ſex, in aliis quatuor columnarum à latere, ante quod conchylium.

Templum, vel Herculis, vel Aſtartes eſt; præcipua ſunt hæc Tyri Numina: ſed ſi conjecturæ locus, ad Herculem ſpectat, quia per excellentiam ſine icuncula fanum videtur repræſentatum, Hercules enim urbis erat Fundator & Heros; de quo ita loquitur Lucianus de Dea Syria. Καὶ ἔστι ἱερὸν καὶ ἐν Συρίῃ. . . . Τό γε τοῦ Ἡρακλέος τὸ ἐν Τύρῳ, οὐ τούτου τοῦ Ἡρακλέος, τὸν Ἕλληνες ἀείδουσι, ἀλλὰ τὸν, ἐγὼ λέγω πολλὸν ἀρχαιότερος, καὶ Τύριος ἥρως ἐστί. *In Syria quoque ſunt templa..... Herculis quidem illud quod eſt Tyri, non hujus Herculis, quem Græci decantant: ſed quem ego dico, multò vetuſtior eſt, & Tyrius Heros.* Priùs enim Herculi, quàm Aſtarte templum exſtruxiſſe Hiramum Tyri Regem narrat Joſephus contra Apion. lib. 1. Καθελών τε τὰ ἀρχαῖα ἱερὰ, καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησεν· τότε τοῦ Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσεν· καὶ τὸ μὲν τοῦ Ἡρακλέους πρῶτον ἐποιήσατο ἐν τῷ Περιτίῳ μηνὶ, εἶτα τὸ τῆς Ἀστάρτης. *Demolituſque antiqua delubra, nova templa ædificavit, Herculiſque primùm exſtructo menſe Peritio, deinde Aſtartes.* De hujus templi opibus, vide Herodotum in Euterp. Concha perpetuum Tyri inſigne.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ, inter præſtantiores habendus.



IMP. M. OPEL. MACRINVS AVG. Caput Macrini laureatum.

SEP. TYRO, in aliis TYRVS. METRO. COLON. *Septimia Tyro*, in aliis *Tyrus Metropolis Colonia.* Triremis cum remigantibus, in aliis cum velo: diverſi ſunt typi.

Triremis in Tyriorum nummis, aut ad primam triremium fabricam ab ipſis inventam, vel ad eorum in mari potentiam indicandam, appoſita eſt. Nonnus Dionyſ. 4. illos ab Hercule navigandi artem edoctos nautili concha ſua velificantis exemplo commemorat: unde Tibullus lib. 1. Eleg. 8.

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

De Tyri θαλασσοκρατίᾳ, ſeu maris imperio, audias Q. Curtium lib. 4. cap. 4. *Quocumque claſſes ejus adierint, ditionis ſuæ fecit.* Quod confirmat Strabo lib. 16. pag. 757. Τῆς δὲ περὶ τὰς ναυστολίας δυνάμεως τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος, τῶν ἀποικίδων ἐστὶ πόλεων τεκμήριον. *Quantum claſſe potuerint* (Tyrii) *argumento evidenti eſt multitudo & magnitudo Coloniarum ab iis deductarum.* In Africam ſcilicet, & in Europam teſte Diodoro lib. 5. Πολλὰς μὲν κατὰ τὴν Λιβύην ἀποικίας ἐποιήσαντο, οὐκ ὀλίγας δὲ καὶ τῆς Εὐρώπης ἐν τοῖς δύσιν κεκλιμένοις μέρεσιν. *Quo factum, ut multarum in Africa Coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus quæ ad Occidentem vergunt, auctores fierent.* Conchylium in Tyriorum nummis ferè perpetuum, celeberrimum apud ipſos purpuræ uſum oſtendit.

Uterque nummus rarus, alter ſecundæ formæ, alter minimæ.

HERCVLI
VICTORI
PRO. SALVTE
IMP. CAES. M.
OPELII AVRE
LI SEVERI
MACRINI. AVG.
L. IVBENTIVS
L. F. TER. SE
VERVS. AVG. N.
DISPENSATOR.

Ex Panvinio apud Gruterum pag. 50. 4.



DIADUMENIANUS.




ARCUS Opelius Macrini filius, cognominatus est *Diadumenus*, ab avi materni nomine. Lampridius eum priùs *Diadematum* fuisse appellatum narrat, quòd nascens pileum non habuerit, sed diadema tenue; unde Mathematici ipsum Imperatoris filium, & Imperatorem futurum prædixerunt. Macrinus autem Imperator factus, cùm mœrorem omnium pectora obsedisse observasset, quòd Antoninum in Repub. non haberent, existimantes quòd sine eò Romanum esset Imperium periturum, concionem parari jussit, filiumque *Antoninum* appellavit, productoque *Diadumeni* nomine, in *Diadumenianum*, quasi in Antoninorum familiam adoptatus, ille *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus* vocatus est.

DIADUMENIANI *nummi ex ære magno hactenùs non occurrunt, ex medio & minimo, inter præstantiores collocantur.*

ÆLIA CAPITOLINA.



M. OPEL. ANT. DIADVMENIANVS. CAES. Caput Diadumeniani nudum.
COL. AEL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.* Templum tetrastylum, in quo Jupiter sedens inter duas figuras muliebres.

Ælia Capitolina priùs Jerosolyma, Colonia ab Hadriano constituta, nomen *Æliæ* habuit, de *Ælia* Hadriani gente; deinde ob accepta à Commodo beneficia, & non à deductis eò à Commodo Colonis, ut putat Scaliger in Animad. *Commodianam* etiam se appellavit. Postquàm autem Diadumenianus à patre Cæsar factus esset, urbs, ut utriusque benevolentiam sibi conciliaret, nummos in Diadumeniani honorem cudit. Templum in nummo signatum, Jovis est Capitolini, de quo diximus in simili Hadriani nummi typo, quod ille ædificari jussit, teste Dione in ejus vita lib. 69. pag. 793. Καὶ ἐς τὸν τοῦ ναοῦ τοῦ θεοῦ τόπον, ναὸν τῷ Διὶ ἕτερον ἀντεγείραντος, πόλεμος οὔτε μικρὸς οὔτ᾽ ὀλιγοχρόνιος ἐκινήθη. *Ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curavisset, magnum bellum & diuturnum moveri cœpit.* Adstantes Jovi mulieres, in nummo Hadriani unam Palladem, quia galeatam, quæ Romam etiam repræsentare potest; alteram verò, urbis Genium esse protulimus.

Hic nummus mediocris formæ inter elegantissimos reponendus.



M. OPEL. ANT. DIADVMENIANVS. C. Caput Diadumeniani nudum.
COL. AEL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.* Templum tetrastylum, in quo Astarte tutulata, pede supra fluvium imposito, dextrâ caput sustinet, lævâ scipionem gerit, hinc & inde Victoria globo imposita. Diversi sunt typi.

Astartes cultum in Palæstina antiquissimum fuisse ex Josepho novimus, qui Saüli Regis occisi, & filiorum arma in ejus templo fuisse consecrata narrat Antiq. lib. 6. cap. 15. Καὶ τὰς μὲν πανοπλίας αὐτῶν ἀνέθηκαν εἰς τὸ Ἀστάρτειον ἱερόν. *Quorum arma in templo Astartes dedicaverunt.* Varius erat Astartes vestitus, & varia ejus attributa, pro diverso nimirum honore ipsi in diversis Syriæ, Phœniciæ, & Palæstinæ urbibus tributo : hæc autem in eo habitu depingitur, quo à Bybliis Phœnices, & à Cæsariensibus Palæstinæ colebatur. De ea abundè in Hadriano, Antonino Pio, & Julia Domna dictum est. Illa caput dextrâ papyraceum gerit, juxta Lucianum in Dea Syria : ejus verò capitis papyracei ex Alexandria Byblum appulsus, anniversaria Adonidis celebranda designabat. Figura quam pede calcat, Adonis est fluvius, qui cum cruore inficiebatur, tempus lugendi Adonidis arguebat. Victoria columnæ imposita, Astartæ coronam porrigens, sæpe huic Deæ comes in nummis tribuitur ; in hoc geminæ sunt hinc & inde globo insistentes ; utrum igitur ad Astarten spectant, an verò ad Macrinum, tanquam de Parthis & Pseudantonino victorem, videant eruditi.

Alter ferè similis, ab Erizzo pag. 463. & ab Oiselio tab. 17. vulgatur : Oiselius autem Commodianæ urbis Æliæ nomen ipsi à Commodo collocatum, ab Hadriano in Cæsonii Commodi ab eo adoptati memoriam eidem Æliæ impositum perperam tradit : Deam verò Astarten, Commodum esse existimat ; dextrâ globum pro capite Serapidis gerere, lævâ hastam Divinitatis pro sceptro : pede globum pro fluvii capite ; & hæc omnia ad orbis terrarum imperium denotandum profert. Theod. Rickius lib. de Capitol. Rom. pag. 56. Astarten, Jovem radiatum cum globo & hasta arbitratur. Rickium sequutus est Com. Mediobarbus pag. 309.

Hic nummus secundi moduli rarissimus.

ANTIOCHIA Syriæ.



Μ. ΟΠΕΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. Caput Diadumeniani sine laurea.
S. C. Δ. Ε. *Senatusconsulto.* Δημαρχικῆς ἐξουσίας in area : aquila verò in ima nummi parte, totum intra lauream.

Hic Diadumeniani nummus sine urbis nomine, qualem in Macrino vidimus, ad Antiochiam Syriæ pertinet, ob litteras S. C. Δ. Ε. in omnibus Antiochenorum numismatibus semper occurrentes. Lampridius enim post Macrini ad milites adlocutionem, Diadumeno monetam mox Antiochiæ signatam tradit. *Hâc habitâ concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est.* Geminam fuisse apud Antiochenses Syriæ monetæ officinam, jam in Othone diximus : in una quidem nummi Syriæ Rectoris nomine cum epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ usque ad Caracallam cælabantur : in altera verò urbis moneta solis S. C. litteris appositis signabatur, ad denotandam ipsius cudendæ facultatem à Pompeio M. sibi concessam, Senatusconsulto fuisse confirmatam, cui additæ sunt hæ notæ Δ. Ε. ut indicaret urbs, illam etiam Plebiscito laudatam, in memoriam Pompeii, qui Tribunitiam potestatem à L. Sylla extinctam restituerat. Non autem litteræ Δ. Ε. de Tribunitia potestate Imperatoris intelligendæ sunt, cui nempe adversantur nummi Augustarum, & Cæsarum, in quibus eædem voces occurrunt : testis sit hic Herenniæ Etruscillæ nummus pro cæteris, in quo circa ejus effigiem ΕΡΕΝΝΙΑ ΕΤΡΟΥCΚΙΛΛΑ legitur : in aversa verò parte ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑC. circa ambitum, S. C. in area cum aquila pro typo. Quis enim hæc Δημαρχικῆς ἐξουσίας verba ad Etruscillam Principem fœminam spectare existimet ? Nec etiam S. C. nota in hoc Diadumeniani nummo ad Senatûs permissum pertinet, quod multùm torsit Eq. Patinum ; sed nota est Antiochensium solita, ob monetam sub Pompeio sibi Senatusconsulto, ut sæpiùs dictum est, concessam. Aquila Romanum Imperium designat.

Cave ne Diadumeniani nummum apud Com. Mediobarbum pag. 309. cum epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, in quo tres Furiæ stant ; & alterum Philippi Jun. cum eodem typo apud P. Harduinum pag. 54. ad Antiochiam Cariæ spectantes, Antiochiæ Syriæ tribuas.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino pag. 327. vulgatus, nec rarus, nec obvius est.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΜΑΡ. ΟΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. Caput Diadumeniani radiatum.
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. *Tribunitiâ potestate, Consul.* Aquila alis expansis. S. C. Δ. Ε. in area.

Elegans

Elegans est hic Diadumeniani nummus cum titulo Imperatoris, qui confirmat sententiam Lampridii, Herodianum historiam sui temporis scribentem redarguentis, quòd Diadumenianum Cæsarem tantùm fuisse asseruerit. *Herodianus Græcus Scriptor, hæc præteriens, Diadumenum tantùm Cæsarem dicit puerum à militibus nuncupatum.* Sed Lampridius eum Imperatorem simul cum patre, ab exercitu vocatum contendit, cui refragantur nummi cum Cæsaris titulo, præsertim Romani: Macrinus autem illum Imperii consortem Consulemque dixisse videtur, eo tantùm tempore, quo Elagabalus à quibusdam Legionibus Imperator salutatus esset; quod innuere videtur Dio in vita Macrini pag. 888. cùm ille scripsit ad Senatum de Pseudantonino, conquestus de militibus, quòd adducti infinitâ pecuniæ cupiditate ab se defecerint. Ταῦτά τε ἐπέστειλεν ὁ Μακρῖνος, καὶ ἑαυτὸν μὲν πατέρα, τὸν δὲ Διαδουμενὸν υἱὸν αὐτοῦ συνεχέστατα ἀπεκάλει, καὶ τὴν ἡλικίαν τοῦ Ψευδαντωνίνου διέβαλλε, πολὺ νεώτερον αὐτοῦ τὸν υἱὸν αὐτοκράτορα ἀποφήνας. *Igitur Macrinus has litteras misit, in iisque se patrem crebro ac Diadumenum filium suum vocitabat, eundemque proferebat ut Imperatorem, multò juniorem Pseudantonino, cujus ætatem criminabatur.* Nummum ex notis S. C. & Δ. E. Antiochiæ cusum, jam suprà pronunciavimus, bis quidem voces Δημαρχικῆς ἐξουσίας in hoc nummo appositæ sunt, sed non repetitæ, ut sibi persuasit P. Harduinus pag. 121. nam ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. circa ambitum aversæ nummi partis inscriptæ ad Diadumenianum spectant. Δ. Ε. in area, ad Antiochiam urbem pertinent, ob monetam ipsi populi jussu, ut sæpiùs diximus, concessam. Antiochenses per aquilam, se Imperio Romano subditos denotant.

Hic nummus minimi moduli, inter rariores reponendus.

CÆSAREA *Palæstinæ.*



M. OPEL. DIADVMENO. AV. Caput Diadumeniani sine laurea.
COL. P. FL. AVG. F. CAES. *Colonia Prima Flavia Augusta Felix Cæsarea.* Variæ sunt epigraphæ. Caput Serapidis calatho ornatum.

Singularis est hic nummus, qui non modò Diadumeni cognomen pro adoptati Diadumeniani nomenclatione exhibet, sed qui ipsi pro Imperatoris nomine Augusti titulum tribuit. Sic Lampridius eum *Augustum* nominat in ejus vita. PATRI AVGVSTO, FILIVS AVGVSTVS. *Non satis, mi Pater, videris in amore nostro tenuisse tuos mores, qui tyrannidis affectatæ conscios reservasti, &c.* Sed eadem Imperatoris & Augusti dignitas Dionem illustrat qui Macrinum Diadumenum filium Imperatorem designasse narrat lib. 78. pag. 902. Καὶ τὸν υἱὸν αὐτοκράτορα, καίπερ τὸ δέκατον ἄγοντα, ἀπέδειξεν. *Ac filium Imperatorem, licèt annum decimum agentem, designavit.* Cæsarienses Palæstinæ hunc *Augusti* titulum Diadumeniano tribuentes, à Macrini partibus contra Elagabalum stetisse videntur. Serapis inter præcipua Cæsareæ urbis Numina frequens occurrit in nummis Titi, Antonini Pii, M. Aurelii, L. Veri, & Commodi, quos consule.

Hic nummus tertiæ magnitudinis præstantissimus est.

DEULTON.



M. OPEL. ANTONINVS. DIADV. C. Caput Diadumeniani nudum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton.* Fortuna stans cum calatho in capite, dextrâ temonem, sinistrâ cornucopiæ.

Deulton Thraciæ Colonia nummos Diadumeniano cum *Antonini* nomine consecravit; Macrino videlicet adulata, quòd Imperator nomen adeò carum Reipublicæ reddiderit, quamobrem supplicationes Macrino à Senatu decretas narrat Lampridius in ejus vita. *Atque dies septem supplicatio pro Antonini nomine celebrata est.* Fortuna in nummis Macrini & Diadumeniani, cujus in urbe, ut in pluribus aliis, cultum indicat, sculpta est, tanquam utrique patri nimirum & filio obsequens, ceu utriusque Dea conservatrix, qualis depingitur ex Lilio Giraldo Hist. Deor. Synt. 16. in cippo Romæ cum imagine muliebris cornucopiæ sinistrâ, dextrâ verò temonem habentis.

Hic nummus mediocris & minimæ formæ, inter rariores collocandus.

TYRUS



M. OP. DIADVMENIANVS CAES. Caput Diadumeniani ſine laurea.
SEP. TYRVS METR. COLONIA. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Hercules ſtans, dextrâ pateram, lævâ clavam & ſpolia leonis.

Tyrios Phœniciæ Metropolitas, ſub Mario Secundo provinciæ Præfecto partes Macrini contra Elagabalum amplexos, anteà diximus. Tyrii igitur nummos Diadumeniano, ut & patri dedicarunt. Hercules in hoc ſignatus, tutelaris eſt Tyrii Deus, quem ſummâ veneratione colebant, ut tradit Strabo lib. 16. pag. 757. Τιμᾶται δὲ καθ' ὑπερβολὴν Ἡρακλῆς ὑπ' αὐτῶν. *Colitur apud eos Hercules majorem in modum.* Hunc Herculem Suidas Minoi σύγχρονον facit. Ἀνεφάνη δὲ ἐπὶ Μίνω Ἡρακλῆς Τύριος. *Inclaruit Minoe regnante Hercules Tyrius.* De quo ſic loquitur Macrobius Saturn. 1. cap. 20. *Nec æſtimes Alcmena apud Thebas Boëtias natum, ſolum vel primum Herculem nuncupatum; immò poſt multos atque poſtremus ille hac appellatione dignatus eſt, honoratuſque hoc nomine, quia nimia fortitudine meruit nomen Dei virtutem regentis. Cæterùm Deus Hercules religiosè quidem, & apud Tyron colitur.* Hercules pateram tenet, ex qua vinum in ardentem aram ſacra ei facientes jaciebant, quem ita depinxerunt Tyrii, ut ſe pro Macrino ipſi ſacrificaſſe denotarent.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, mutilus à Patino vulgatus pag. 326. inter rariores habendus. P. Harduinus pag. 514. eum etiam truncum protulit, Patinum forſan ſecutus.



M. OP. DIADVMENIAN. AVG. Caput Diadumeniani ſine laurea.
SEP. TYRVS METROP. COLONI. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Palma arbor.

Nummi Diadumeniani cum Auguſti titulo rariores ſunt quàm cum Cæſaris nomine; indicant autem populos, qui Auguſtum Diadumenianum appellavere Macrino contra Elagabalum faviſſe, cùm illud nomen filio dediſſet ad conciliandos rebelles, qui illum ſpurium Caracallæ filium Imperatorem deſignarant, & Antoninum appellaverant, ut narrat Dio lib. 78. pag. 888. Οἱ καὶ Ἀντωνῖνον αὐτὸν ὀνομάσαντες, αὐτοκράτορα καὶ τὸ σχῆμα ἀνέδειξαν. *Quo facto, milites ſtatim hunc nominant Antoninum, & Imperatorem deſignant.* Inter eos qui Macrino adhæſerunt, Tyrii inter primos fuere, quibus iratus maximè videtur fuiſſe Elagabalus, ut infrà videbimus. Palma arbor in nummo ſignata eſt, ad indicandam palmarum arborum in hac regione abundantiam, ob quam Phœnicia dicta eſt: Φοῖνιξ enim palma eſt, cui adſtipulatur Calliſthenes apud Ariſtotelem de Mirabil. ἀπὸ τῶν φοινίκων, id eſt à palmis Phœniciæ nomen deducere aſſerens.

Hic nummus infimi moduli, à Patino pag. 326. vulgatus, inter rariores collocandus.



ELAGA-

ELAGABALUS.




LAGABALUS, occiſo Macrino, & rebus in Oriente ordinatis, milites in caſtella ſua diſperſit: SIDONEM Phœniciæ urbem, Coloniam, Veteranis in eam tranſmiſſis, deduxit; *Aureliam* eam appellavit, de gente *Aurelia*, ex qua ſe eſſe jactabat, ut Caracallæ filius: *Cùm ſe*, inquit Lampridius, *litteris ad Senatum miſſis, Antoninum Baſſiani filium ſcripſiſſet.* Illam non modò Coloniam, ſed provinciæ Metropolim fecit, ut ejus nummi arguunt, in quibus lanugine ornatus conſpicitur, etiamſi Tribunitiam poteſtatem v. adeptus fuiſſet, cùm à militibus interfectus eſt.

ELAGABALI *nummi ex omni forma vulgares & obvii ſunt, præſertim ſecundæ & minimæ formæ.*

ÆLIA CAPITOLINA.



IM. C. M. AVR. ANTONINVS. A. Caput Elagabali radiatum.
COL. AEL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.* Caput Serapidis calatho inſigne.

Elagabalus à quibuſdam Macrini militibus Juliæ Mæſæ aviæ artibus Imperator contra ipſum proclamatus eſt; ad cujus partes ſtatim quædam urbes ſe contulerunt, victo autem & in fugam acto Macrino, quam plurimæ; eodem denique occiſo, univerſæ. Sed cùm tamen quidam nova tentarint teſte Dione p. 909. præſertim in Phœnicia & Cæleſyria. Σεβῆρος ἐπιτολμήσας καὶ αὐτὸς τῇ μοναρχίᾳ ἐν τῷ τρίτῳ στρατοπέδῳ τῷ Γαλλικῷ, οὗ ἦρχε, καὶ Γέλλιος Μάξιμος ἐκ τῆς αὐτῆς αἰτίας, καίπερ ὑποστρατηγῶν ἐν τῇ Συρίᾳ τῇ ἑτέρᾳ, τοῦ τετάρτου τοῦ Σκυθικοῦ τέλους, ἐδικαιώθησαν. *Severus autem & ipſe regnum adfectare auſus in Legione Gallica tertia, cujus dux erat: itemque Gellius Maximus eadem ex cauſa, licet quartæ Scythicæ Legionis in Syria ſecunda dumtaxat Legatus, ſuppliciis adfecti fuerunt.* Capitolienſes Palæſtinæ Phœnicibus proximi nummos in obſequii teſtimonium Elagabalo dicarunt. Serapis Æliæ colebatur, ut in M. Aurelii nummis diximus: ſed hæc urbs Serapidem inter alia quæ venerabatur numina, præcipuè cælavit, quòd Elagabalus illum ſumma religione proſequeretur, ut innuere videntur inſcriptiones antiquæ Gruteri à Triſtano relatæ tom. 2. pag. 328.

Hic nummus minimi moduli pro ſingulari habendus.

ANTIOCHIA Syriæ.



AYT. K. M. AY. ANTΩNINOC. C. Caput Elagabali laureatum.
ANTIOXEΩN MH. KOA. S. C. Δ. E. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας, *Senatuſconſulto*, Δημαρχικῆς ἐξουσίας. Diverſæ ſunt epigraphæ. Mulier turrita inſidens rupibus, quibus lævâ innititur, dextrâ ſpicas gerit, ſub pedibus fluvius brachiis expanſis. In nummis autem primæ formæ ſæpe Aries ſupra caput ſignatur.

Antiochenses Syriæ Metropolitæ plurimos Elagabalo nummos in grati animi monimentum dedicarunt, quòd ille eos pro Macrino stantes, ipso devicto, à militum direptione pecuniâ suâ vindicaverit, ut innuit Dio lib. 79. pag. 906. Τότε μὲν μετὰ τὴν νίκην ἐς τε τὴν Ἀντιόχειαν τῇ ὑστεραίᾳ εἰσῆλθε, πεντακοσίας τε ἀνὰ τοὺς στρατιώτας δραχμὰς, ὅπως μὴ διαρπάσωσιν αὐτὴν, ὅπερ τὰ μάλιστα ἐπεθύμουν, ὑπεσχόμενος. *Tunc quidem à victoria postridie Antiochiam ingressus est, quingentas militibus suis drachmas, ne illam diriperent, quod imprimis facere cupiebant, pollicitus.* Figura muliebris, urbis est Genius; turribus ornatur, ut provinciæ Metropolis; rupibus insidet, ad situm denotandum. Fluvius pro pedibus ejus, Orontes est, qui eam alluit; spicas tenet, ad earum abundantiam in agris suis arguendam; Aries sub ejus capite, Antiochenses hoc signo æram suam inchoare indicat: de quo vide nostram de Regibus Syriæ Historiam pag. 342. S C. & Δ E. notæ sunt facultatis monetæ cudendæ Antiochensibus à Senatu & P. Romano concessæ Patinus pag. 332. Δ E. litteras, ad annorum numerum positas perperam existimat.

Hic nummus primæ & secundæ magnitudinis, obvius est; mediocris autem à Patino vulgatus pag. 331.



ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟС. С. Caput Elagabali laureatum.

S. C. Δ. E. *Senatusconsulto*, Δημαρχικῆς ἐξουσίας. Aries decurrens, aliis Aquila in laurea.

Antiochiæ Syriæ percussus etiam est hic Elagabali nummus, ut jam de iis, in quibus hæ voces S. C. Δ. E. signatæ sunt, passim diximus: at observandum, illas in nummis minimæ formæ, sine Antiochiæ urbis nomine semper occurrere, seu quòd urbis Metropolis moneta per totam provinciam nota esset, seu quòd Antiochia hoc privilegio gloriaretur. Aries in Antiochensium nummis exhibetur, ad indicandum illos anni principium inchoare à Nisan, id est verno tempore ad æquinoctium, cùm Sol signum Arietis ingreditur. Varia erant anni apud diversos Orientis populos principia, de quibus vide Scaligerum & Petavium. Qua autem ratione Aries inter astra fuerit collocatus, narrat Hyginus Poët. Astron. lib. II. *Arietem inter sidera figuravit, ita ut cùm Sol in ejus foret signo, omnia nascentia recrearentur, quæ Veris tempore fiunt, hac re maximè, quòd illius fuga Liber recreavit exercitum. Præterea duodecim signorum Principem voluit esse, quòd ille optimus exercitui fuerit ductor.* Alii Arietis figuram ab Jove inter sidera constitutam ferunt, & anni tempus quo frumentum seritur, denotare. Patinus notam Δ. tantum signavit, quam ad annum quartum retulit. Aquila in Antiochensium nummis Imperium Romanum denotat.

Hic nummus minimi moduli à Patino vulgatus pag. 331. *non obvius est.*

ANTIOCHIA Pisidiæ.



IMP. C. M. AVR. ANTONIN. AV. Caput Elagabali laureatum.

COL. ANTIOCHENS. S. R. *Colonia Antiochensis. Senatus Romanus.* Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Ad Antiochiam Pisidiæ pertinet hic nummus, & non ad Antiochiam Syriæ, ut quidam arbitrantur. Inter utriusque urbis nummos hæc intercedit differentia, quòd non modò Pisidica nummos scribat Latinè, Syriaca verò Græcè, & Metropolis semper appelletur; sed quòd illa sæpe præferat notam S. C. Hæ autem voces S. R. an ad ambarum distinctionem, videant Eruditi, cùm illæ facultatem monetæ cudendæ à Senatu Romano utrique urbi concessam exhibere videantur. Antiochiæ quidem Syriæ datam sub Pompeio, jam aliàs diximus; Pisidicæ forsan, quando Colonia à Julio aut ab Augusto deducta est, præsertim cùm sub illo Senatus adhuc juris sui plurimùm esset retinens, vel cùm hic de provinciarum divisione, de moneta signanda, & de Imperio denique retinendo nondum cum Populo Romano egisset. Aquila legionaria cum signis militaribus, ad Coloniam ex Veteranis militaribus primùm vel iterum deductam denotandam, in nummo cælata est: Coloniæ enim originis suæ insignia scalpi curabant, ut immunitates tunc sibi concessas denotarent. Paulus autem Antiochenses Pisidiæ juris Italici esse refert lib. 2. de Censibus.

In

In Pisidia ejusdem juris est Colonia Antiochensium. Ex qua Legione in hanc Coloniam sint transmissi Veterani, nondum novimus; nummus forsan amplior ejus nomen suppeditabit.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ pro raro notandus.

B E R Y T U S.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. AVG. Caput Elagabali laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Neptunus stans, dextrâ mulierem genuflexam poculum eâdem manu gerentem apprehendit, ille lævâ tridentem.

Berytus, urbs Phœniciæ antiquissima, à Beroë Nympha priùs Beroës nomen tulit, si Nonno fides Dionys. 41.

Πρωτοφανὴς Βερόη πέλε σύγχρονος ἥλικι κόσμῳ
Νύμφης ὀψιγόνης φερώνυμος, ἣν μεγανάσται
Υἱέες Αὐσονίων ὑπατήια φέγγεα Ῥώμης
Βηρυτὸν καλέουσιν, ἐπεὶ Λιβάνῳ πέσε γείτων.
Prima apparens Beroe fuit coæva æquali mundo
Nymphæ serogenitæ nomen habens, quam exules
Filii Ausoniorum eximia lumina Romæ
Berytum appellant, postquam Libano cecidit vicina.

Berytenses in ejus rei memoriam Neptunum ipsam Beroen Nympham dextrâ apprehendentem exhibent. Venus enim illius mater, cùm Neptuno vel Baccho de filia contendentibus, victori promisisset, Beroe Jovis jussu Neptuno concessa est. Sed illa in nummo tanquam invita trahitur à Neptuno, quòd Bacchus illi magis quàm Neptunus placeret, ut narrat idem Nonnus Dionys. 44.

Ὑγρὸν ὑποβρυχίων ἐπεδείδιε παστὸν ἐρώτων,
Καὶ πλέον ἤθελε Βάκχον.
Humidum submersorum verebatur lectum nuptialem amorum,
Et malebat Bacchum.

Cupido Bacchum solatus est, quòd marinæ Veneris filia magis Neptuno maris Deo conveniret, quàm Bromio cui Ariadne, quæ ipsius thalamo asservabatur.

Hic nummus primi moduli eximiæ raritatis & elegantiæ est.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Neptunus in templo tetrastylo, in aliis exastylo, dextrâ delphinum, sinistrâ tridentem gerit, pede saxo imposito.

Neptunum Beryti tutelarem Deum jam passim diximus; sed an ille à Berytensibus cultus sit ante nuptias Beroes Nymphæ, à qua urbem nomen habuisse suprà retulimus, incertum est: ut ut sit, nummus exhibet templum in ejus honorem exstructum, in quo ejus signum conspicitur, delphinum dextrâ piscem ipsi gratissimum gerens, sinistrâ verò tridentem illius peculiare sceptrum, à quo Τριαινοφόρος, id est Tridentifer, à Græcis dictus est, unde Ovidius Metamorph. lib. 8.

O proxima terræ
Regna vagæ dixi Sortite Tridentifer undæ.

Tridens, ferramentum est, tres habens cuspides, quod triplicem aquarum virtutem denotat apud Palæphatum, liquidam scilicet, fœcundam, & potabilem.

Hic nummus secundæ formæ pro raro habendus.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. AVG. Caput Elagabali laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Templum tetrastylum cum gradibus, in cujus vertice Neptuni & Beroes signa, ad latera duæ Victoriæ globo impositæ serta gerentes, in imo duo Tritones à delphinis vecti: in aditu templi Astarte seu Venus seminuda stans, à Victoriâ cippo impositâ coronatur: hinc & indè icuncula vexillum, ut videtur, gerens.

Venus à Syris & Phœnicibus dicta Astarte, exhibetur in templo, ut Beryti altera tutelaris Dea: signa verò Neptuni & Beroes in vertice fani, prout in superiori nummo cælata vulgavimus, ipsorum nuptias confirmant, unde Victoriæ ad templi latera, & Tritones in imo à delphinis vecti, ob Bacchum amoris æmulum longè repulsum. Ipsa Venus dextrâ scipionem oblongum, seu sceptrum, sinistrâ verò acrostolium gerit, tanquam maris domina, teste Musæo de Herone & Leandro.

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει πόντοιο.
Ignoras quod Venus nata est è mari,
Et dominatur Ponto.

Duæ icunculæ in imo ad Astartes latera vexillum tenentes, videntur esse Coloniæ Genii in memoriam Veteranorum Legionum v. *Macedonicæ* & VIII. *Augustæ* Berytum transmissorum, de quibus passim diximus.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rarissimos adscribendus.



COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Hercules stans, utraque manu extensâ inter angues sese erigentes.

Nummus Herculem Alcmenæ filium apud Berytenses cultum arguit, stat ille inter duos serpentes, quos adhuc infans occidisse narrat Apollodorus l. 2. *At cùm Hercules octo jam menses natus esset, dracones duos inusitatæ magnitudinis, Juno infantem perdituros in lectum dimisit: Alcmena Amphitryonis opem implorans, Hercules in pedes erectus, utraque manu constrictos ipsos necavit.* De quo Mart. l. 16. ep. 177.

Elidit geminos infans, nec respicit angues,
Tam poterat teneras hydra timere manus.

Berytii forsan hoc exemplo Elagabali victoriæ de Macrino & ejus filio relatæ alludentes, quasi alter Hercules primo labore duos illos serpentes victor enecarit.

Hic nummus secundi moduli, à Patino vulgatus in Caracalla pag. 299. inter elegantiores numerandus.



COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Silenus stans dextram attollit, lævo humero utrem hircinum gerens.

Eadem

Eadem epigraphe. Silenus ut suprà in templo quatuor columnarum, in cujus vertice Bacchus pantheræ insidere videtur.

Silenum Bacchi Pædagogum vocant, Εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων, *Ducem & præceptorem optimorum institutorum.* Bacchus autem summâ erat veneratione Beryti cultus, quam urbem Nonnus Dionys. 41. appellat Βάκχου τερπνὸν ἔδεθλον, *Bacchi jucundum fundamentum.* Nil mirum si Berytii templum optimo Pædagogo seorsum erexerint Græcorum exemplo, ut narrat Pausanias in Eliacis pag. 391. Ἴδιος τῷ Σιληνῷ καὶ οὐκ ὁμοῦ Διονύσῳ πεποιημένος. *Non, ut multis in locis, cum Libero patre commune, sed proprium habet.* Orientis populi Bacchum maximè ob peregrinationes in Indiam venerati sunt. Ille in vertice templi pantheræ insidet, quia illa ipsi sacra est, & vino gaudet, si Oppiano fides de Venat. lib. 4.

Παρδάλιας καὶ δῶρα Διονύσοιο δάμασσαν.
Pantheras etiam dona Bacchi capiunt.

Pantheras idem auctor Bacchi nutrices fuisse tradit.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habendus.

C Æ S A R E A Palæstinæ.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Augusti laureatum.

COL. PR. FL. AVG. CAESAREA. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Diversæ sunt epigraphæ. Caput Serapidis cum modio seu calatho.

Cæsarea, urbs Palæstinæ primaria, unde ipsi *Primæ* nomen in nummis, Colonia à Vespasiano cum gentis suæ *Flaviæ* appellatione deducta est, hæc inter numina, Serapidem coluit, ut testes nobis sunt superstites nummi Domitiani, Ant. Pii, L. Veri, Commodi, & Diadumeniani, quos videre est. Cùm autem Veteres per Serapin, universam Mundi molem, & ipsa rerum principia intelligerent, certatim eum statuis & templis honestarunt, inter quos primi Ægyptii perhibentur, deinde apud Græcos transiit ejus cultus, tandem à Romanis admissus est. Nil mirum igitur si Cæsarienses illum vel ut ex urbe Roma allatum, vel ex Ægypto receptum venerati sint.

Hic nummus secundæ & minimæ formæ pro obvio habetur.



IM. C. M. AVR. ANTONINVS A. Caput Elagabali radiatum.

C. P. F. AVG. CAESAREA. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea.* Variæ sunt inscriptiones. Aquila alis expansis, in area S. P. Q. R.

Aquila Imperium Romanum hoc in nummo designat, Roma eam pro insigni accepit, cujus rationem reddit Josephus lib. de bel. Jud. 3. cap. 8. Βασιλεύς τε οἰωνῶν ἁπάντων, καὶ ἀλκιμώτατος ὤν. ὃ δὴ καὶ τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ κληδὼν ἐφ' οὓς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ. *Quod & universarum avium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & principatus insigne putant, & omen victoriæ quoscumque bello petierint.* Jupiter eâ pro symbolo usus est, quòd illa ipsi contra Tyrannos victoriæ omen fuisset: quamobrem, inquit Aristoph. in Equit. Ζεὺς αἰετὸν εἵλετο, *Jupiter aquilam delegit.* Ut enim Aquila avium Regina perhibetur, ita Romæ Orbis Reginæ ipsa convenire videbatur. Cæsarienses illam in nummis cum S. P. Q. R. titulo, quo Romani in diplomatibus, vexillis, inscriptionibus, aliisque rebus publicis utebantur, tanquam ipsorum Coloni exhibent.

Hic nummus minimi moduli rarus & insignis est.

CARRHÆ.



Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. Caput Elagabali laureatum.

ΚΑ. ΚΟ. ΜΗ. ΠΟΛ. Δ. Κάῤῥα Κολωνία Μητρόπολις δεύτερα. *Carrhæ Colonia Metropolis Secunda.* Aſtrum inter Lunæ creſcentis cornua.

Carrhæ, urbs eſt Meſopotamiæ cæde Craſſi ſatis memorabilis, Colonia ſub M. Aurelio & L. Vero Auguſtis deducta, provinciæ Metropolis dignitatem habens; ſed in hoc nummo *Secunda* denominata eſt, quod ab Elagabalo factum ſuſpicamur, & noſtram de Emiſa ab hoc Imperatore in patriæ gratiam prima Meſopotamiæ Metropoli appellata ſententiam confirmat, hâc inter eas urbes diſtinctione, quòd hæc cis Euphratem, illa verò trans hunc fluvium poſita ſit. Duas in provincias Metropoles ab Imperatoribus factas nos docent ſuperſtites nummi Tomitanæ urbis cum hac epigraphe, ſecundæ Ponti, ΤΟΜΕΩC. ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. Δ. Τόμεως μητροπόλεως Πόντου δευτέρας, cum Æſculapii ſigno & aliis typis. Creſcens Luna, Dei Luni cultum, de quo paſſim diximus, indicat. Aſtrum ſupra illam, Sol eſſe videtur, à quo Luna lumen accipit, quæ variè juxta ipſius motum nobis apparet. Solis verò & Lunæ curſum primum obſervaſſe Hyperionem narrat Diodorus lib. 5. pag. 231. Ὑπερίονα δέ φασι τὴν τε ἡλίου τὴν κίνησιν καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων, ἔτι δὲ τὰς ὥρας τὰς συντελουμένας ὑπὸ τούτων πρῶτον ἐξ ἐπιμελείας, καὶ παρατηρήσεως κατανοήσαντα, τοῖς ἄλλοις εἰς γνῶσιν παραδοῦναι. *Hyperionem deinde, Solis & Lunæ, aliorumque ſiderum motus, & temporum vices quæ ab his perficiuntur, ſuæ obſervationis induſtriâ primum deprehendiſſe, & in aliorum deinde notitiam perduxiſſe, ferunt.*

Hic nummus minimæ formæ pro raro numerandus.

CARTHAGO *Africæ.*



M. AVREL. ANTONINVS. P. F. AVG. Caput Elagabali laureatum.

C. I. C. A. D. D. *Colonia Julia Carthago Antiqua. Decreto Decurionum.* Lupa cum puerulis.

Carthaginenſes Africæ Aſtarten ſeu Uraniam à Didone eorum fundatrice ex Phœnicia allatam ſumma veneratione colebant, illam Phœnices Aſtroarchen ſeu Lunam eſſe affirmantes. Elagabalus cùm ſummus Solis eſſet Sacerdos, congruere aiebat Solis & Lunæ matrimonium; juſſit eam afferri Romam, & quidquid auri in templo eſſet, pecuniamque quamplurimam Deo ſuo dotis nomine dari præcepit, ut narrat Herodianus in ejus vita l. 5. p. 569. Τῆς Οὐρανίας τὸ ἄγαλμα μετεπέμψατο· σεβόντων αὐτὸ ὑπερφυῶς Καρχηδονίων τε καὶ τῶν κατὰ τὴν Λιβύην ἀνθρώπων· φασὶ δὲ αὐτοὶ, Διδὼ τὴν Φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε δὴ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε βύρσαν κατατεμοῦσαν. *Simulacrum Uraniæ juſſit afferri: quod ſcilicet Carthaginenſibus omnique Africæ incredibilem in modum venerabile, poſitum fuiſſe à Phœniſſa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem diſſecto corio ædificavit.* Obtemperarunt Carthaginenſes, & nummos ſuos Imperatori dicarunt, inſculpto Lupæ Romulo & Remo ubera præbentis typo, Coloniarum ſolenni ſymbolo.

Nummum P. Hard. p. 109. levi errore Caracallæ tribuit, ſed graviſſimo eum ad Cæſarauguſtam Hiſpaniæ urbem nunquam *Juliæ* nomine ornatam revocat.

Hic nummus minimæ formæ inter rariores collocandus.

COILLU.



IMP. C. AVR. ANTO. P. F. AVG. Caput Elagabali laureatum.
AEL. MVN. COIL. AN. *Ælium Municipium Coillutanum Antoninianum.* Silenus ſtans dextram attollit, lævo humero utrem hircinum gerit.

Coillu Municipium in Numidia, *Ælii* nomen ab Hadriano præfert, cui *Antoniniani* alterum in Caracallæ honorem, ut diximus in ejus nummis, addit, plurimis nimirum beneficiis ab utroque acceptis. Cùm autem Elagabalus pro Antonini filio habitus Imperium adeptus eſſet, mox Coillutani in patris munificentiſſimi memoriam nummos ipſi dedicarunt. De illo Lampridius in ipſius vita. *Nactus Imperium Romam nuntios miſit: excitatiſque omnibus Ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non ſolùm titulo, ut in Diadumeno fuerat, ſed etiam in ſanguine redditum videbatur, quum ſe Antoninum Baſſiani filium ſcripſiſſet ingens ejus deſiderium factum eſt.* Silenum jam in Caracalla apud Coellutanos ſumma veneratione cultum diximus, ille enim Bacchi nutricius & præceptor erat, de quo Horat. in Poët.

An cuſtos famuluſque Dei Silenus alumni.

Hic nummus minimæ formæ, ſingularis & rarus eſt.

CREMNA.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.
COL. IVL. AVG. CREMNA. *Colonia Julia Auguſta Cremna.* Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Cremna, urbs eſt Piſidiæ in Pamphyliæ confinio, Colonia Romana teſte Strabone lib. 12. p. 569. Τὴν μὲν ἐν Κρήμναν ἀποικοι Ρωμαίων ἔχουσιν. *Cremnam Colonia Romanorum occupavit.* Nomen *Juliæ* à Julio Cæſare conſtitutam, *Auguſtæ* verò ab Auguſto Veteranis frequentatam indicat, quod Aquila legionaria cum ſignis militaribus in nummo inſculpta confirmat, ſi quidem Coloniæ militaris ſymbolum eſt. Cremnæi Elagabalo per nummos obſequii & fidelitatis ſuæ perhibentes teſtimonium, ſigna militaria ad Coloniæ ex Veteranis originem indicandam cælarunt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariſſimos collocandus.

DIUM.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.
COL. IVL. DIENSIS. DD. *Colonia Julia Dienſis. Decreto Decurionum.* Jupiter ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam, pro pedibus prora navis, in aliis Aquila.

Tam clarum apud Populum Romanum, provincias, & urbes, Antonini nomen, ut Lampridio teſte in Diadumen. *Illi nec Deorum nomen commodè videretur adjungi.* Elagabalus autem, qui illud aſſumpſerat, omnibus carus extitit, de quo narrat idem Hiſtoricus, *Ubi in Senatu lectæ ſunt litteræ Elagabali, ſtatim fauſta in Antoninum, & dira in Macrinum ejuſque filium dicta ſunt.* Dienſes Macedoniæ, ut & cæteri populi novo Imperatori blandientes, nummos ei ſuos obtulerunt cum Jove præcipuo urbis Numine, de cujus templo in Sept. Severo diximus. Ille pateram gerit ob ſacrificia pro Elagabalo ſibi facta. Aquila ad ejus pedes, ipſi ſacra eſt, nam teſte Didymo in Hom. Iliad. 9. cùm Aquila Jovi apparuiſſet contra Gigantes decertans, victor eam bono omine acceptam tutelæ ſuæ ſubjecit.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ rarus eſt.



COL. IVL. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Dienfis. Decreto Decurionum.* Æſculapius baculo innixus, cui involutus eſt ſerpens.

Dienſes in hoc Elagabali nummo, *Auguſti* nomine relicto, *Julios* tantùm ſe appellant: urbes autem de antiquitate inter ſe decertare ſolitæ, vetuſtiorem nomenclationem ut plurimum inſcribebant, quod confirmat Coloniam Dienſem primùm à Julio fuiſſe conſtitutam, deinde ab Auguſto Veteranis frequentatam. Æſculapius in nummo ſignatus eſt, tanquam Medicinæ Deus à Dienſibus cultus. Is Apollinis ex Coronide Nymphâ filius, à patre Medicinam edoctus, Apollinem enim Medicinæ inventorem ex Homeri & Orphæi hymnis novimus. Æſculapius itaque ſcientiæ medicæ adeo gnaviter incubuit, ut cùm ægrotantes non ſine miraculo ſanaret, & multos ab inferis vitam reſtituere exiſtimaretur, à Jove Plutonis precibus fulminis ictu necatus eſt. Apollo autem ob necem filii irritatus, Cyclopes Jovis fulminum fabricatores interemit. Serpens baculo involutus, Æſculapii ſymbolum eſt, quòd ægrotantes ſanitati reſtituti, tanquam ſerpentes pellem deponentes, è morbis rejuveneſcant, ac ſenectutem exuant.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis in rariorum numero collocatur.

EDESSA.



ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΟΝΕΙΝΟC. Caput Elagabali laureatum.

ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΑ. Μαρκία Αὐρηλία Κολωνία Ἔδεσσα. *Marcia Aurelia Colonia Edeſſa.* Mulier turrita patrio veſtitu inſignis, monticulis inſidet, quibus lævâ innititur, dextrâ ſpicas, in aliis caniſtrum frugibus plenum, pro pedibus fluvius natantis effigie.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CΕΒ. Caput Elagabali radiatum.

ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩ. ΕΔΕCCΑ. Μαρκία Αὐρηλία Ἀντωνινιάνα Ἔδεσσα. *Marcia Aurelia Antoniniana Edeſſa.* Typus idem.

ΑΥΤ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CΕΒ. Caput Elagabali radiatum.

ΑΥΤ. ΑΝΤΩ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. Αὐρηλία Ἀντωνινιάνα Κολωνία Ἐδεσσηνῶν. *Aurelia Antoniniana Colonia Edeſſenorum.* Typus idem.

Edeſſa, urbs Oſrhoënorum ultra Euphratem, Abgaro Regi à Caracalla fraudibus ablata, ab ipſo facta Colonia, Metropoleoſque dignitate donata, Aureliæ gentis ſuæ nominibus ornata eſt, ut videre eſt in ſuperioribus nummis, quorum varias hîc inſcriptiones vulgavimus. Genius eſt urbis, figura illa veſtitu patrio inſignis, turrita quidem, ut validis cincta mœnibus, quam tandem labefactam reſtituit Juſtinianus apud Procopium l. 2. de Ædif. Inſidet monticulis, ad ſitum ejus in clivo arguendum. Pro pedibus figura fluvii, teſte Zonara, Scirtus eſt, qui urbem perlabitur, in eo autem inventus eſt lapis, in quo hæc epigraphe. Σκιρτὸς ποταμὸς σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις. *Scirtus fluvius malos ſaltus civibus ſaltabit.* Illum ſub Juſtiniano urbem & regionem proximam inundaſſe, & earum opes evertiſſe, tradit idem Hiſtoricus.

Hi omnes nummi tum ſecundæ tùm minimæ formæ, obvii & vulgares.

EMISA.



Α. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. CE. Caput Elagabali laureatum.
ΚΟΛ. ΕΜΙ. Κολωνία Εμίσων. *Colonia Emisenorum.* Caput Solis radiatum.

Emiseni Phœniciæ civem suum, Elagabali Sacerdotem ad Imperium Romanum evectum lætantes, nummos ipsi plurimos percusserunt. Varius ille primùm, postea Antoninus dictus, Emisenus fuit, teste Juliano in Cæss. Εἶτα τὸ ἐκ τῆς Εμέσης παιδάριον. *Deinde adolescens ab Emesa civitate oriundus.* Ejus mater Soæmias filia erat Mæsæ sororis Juliæ Domnæ, de qua Herodianus lib. 3. p. 562. Μαισα ἦν τις ὄνομα, τὸ γένος Φοίνισσα, ἀπὸ Εμέσης καλουμένης ἔτω πόλεως ἐν Φοινίκῃ· ἀδελφὴ δ' ἐγεγόνει Ιυλίας μὲν τῆς Σεβήρε γυναικός. *Mæsa erat quædam nomine, Phœnissa mulier, ab Emesa urbe Phœniciæ; cui soror Julia fuerat, Severi conjux.* Caput Solis in nummo cusum est tanquam præcipuum Emisæ numen, unde nomen Elagabali teste eodem Historico loco cit. Ἱέρωντο δ' αὐτοὶ θεῷ Ηλίῳ· τῦτον γὰρ οἱ ἐπιχώριοι σέβουσι, τῇ Φοινίκων φωνῇ Ελαγάβαλον καλοῦντες. *Sacerdotes ambo Solis, quem maximè indigenæ colunt, Phœnicia lingua Elagabalum vocantes.*

Hic nummus minimi moduli obvius est.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. In aliis AT. K. M. AT. ANTΩNEINOC. Caput laureatum.
ΜΗΤΡΟ. Κ. ΕΜΙCΩΝ. Μητρόπολις Κολωνία Εμισῶν. *Metropolis Colonia Emisenorum.* Aquila alis expansis, rostro coronam.

Emisa in Elagabali nummis Metropolis renunciatur, quam dignitatem Coloniæ à Caracalla in matris Juliæ Piæ honorem factæ addidisse videtur ob patriam suam, de qua Am. Marcellinus l. 2. *Sic Antiochiæ Macrino Imperatore agente ab Emesa Elagabalus exivit Antoninus.* Sed cujusnam provinciæ Emisa Metropolis effecta sit, inter Antiquarios controversum videtur. Urbs in Phœnicia collocabatur Caracallæ tempore, ut habet Ulpianus lib. 1. de Cens. *Sed & Emisenæ civitati Phœnices Imperator noster jus Coloniæ dedit.* Duæ erant in Phœnicia Metropoles, Tyrus scilicet, & Sidon, ut in Syria Antiochia, & Laodicea: ergo Phœniciæ Metropolis Emisa non videtur fuisse, sed Alex. Severi nummus Emisam nominat Mesopotamiæ Metropolim: hæc autem dividi potuit ab Elagabalo in provinciam cis & trans Euphratem, cujus Emisa citerioris Mesopotamiæ Metropolis effecta sit, Carrhæ verò urbs, ulterioris, illa Metropolis prima in nummis signata, hæc secunda dicta, ut mox in Carrhenorum moneta, Δεύτερα videbitur inscripta. Sed de hac Metropoleos dignitate iterum in Alex. Severo dicturi, de Aquila agamus; illa vel ad Imperium Romanum spectat, cujus frequens in nummis hujus tractus urbium typus, vel ad Jovem, cujus Elagabalus erat Sacerdos, teste Lampridio in ejus vita. *Fuit autem Elagabali, vel Jovis, vel Solis Sacerdos.* Imò ipse Elagabalus in nummis aureis Aquilam in curru pro numine suo signare curavit cum ep. CONSERVATOR. AVG.

Hic nummus infimæ formæ pro raro habendus.





IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali radiatum, in aliis laureatum.
ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΜΙCΩΝ. Μητρόπολις Κολωνία Εμισῶν. *Metropolis Colonia Emisenorum.* Vas seu lebes. In aliis, hinc & inde ad latera lauri ramus in vertice ΗΛΙΑ. In imo ΠΥΘΙΑ.

Vas seu lebes certamina Emisæ celebrata indicat, quorum nomina inscripta sunt in nummo, ΗΛΙΑ ΠΥΘΙΑ. P. Harduinus contra Ill. Spanhemium illa duo esse contendit, ΗΛΙΑ scilicet, quæ sic ab Elide dicta, eadem vult esse ac ΟΛΥΜΠΙΑ, Jovi Olympio sacra, ΠΥΘΙΑ verò Apollini dicata. Spanhemius in epist. ad Andr. Morellium pag. 97. ΗΛΙΑ ΠΥΘΙΑ, *aut* ΠΥΘΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, *aut* ΠΥΘΙΑ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, *tanquam, vel* SOLI *Emisenorum, ut aliunde notum numini, &c.* At P. Harduinus pag. 151. inquit: ΗΛΙΑ *ludi sunt, quibus ab Elide primùm appellatio facta videtur, non à Sole,* Ηλίῳ *quanquam ita visum est viris aliàs eruditis: alioqui* Ηλιακὰ *dici, non* ΗΛΙΑ, *ars postularet.* Certamina Αλία Doricè pro Ηλία apud Aristidem Rhodios Solem colentes alloquentem ibidem agnoscit P. Harduinus. Αλεία dicuntur à Grutero pag. 314. 1. ΡΟΔΟΝ ΑΛΕΙΑ, certamina ΟΛΥΜΠΙΑ, nunquam ΗΛΙΑ in nummis aut in inscriptionibus vocata sunt. Vas unum pro Spanhemio certare videtur, si tot in nummis exhibeantur quot ludi.

Duo autem rami ad latera, unus hinc, inde alter, duo victorum præmia arguunt. Certaminis enim Pythii initio, Agon Musicus erat, qui cantu & tibiis reportabatur. Utriusque victores lauro coronasse Apollinem refert Pet. Faber in Agonist. lib. 2. cap. 24. Illum enim hos ludos instituisse tradit Ovidius 1. Metam.

Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia, perdomiti serpentis nomine dictos.

Laurum Apollini sacram memorat Fulgentius Mythol. 1. *In ejus etiam tutelam laurum ascribunt.*

Uterque nummus minimi moduli pro raro habendus.

LAODICEA Syriæ.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.

COL. LAOD. METROPOLEOS. *Coloniæ Laodiceæ Metropoleos.* In area Δ. E. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. Diana Venatricis habitu stans, dextrâ telum è pharetra dorso imposita depromens, sinistrâ arcum tenet.

Laodiceni Syriæ cùm frequentes Elagabalo nummos dedicarint, inter primos ipsi acclamasse videntur, Dianam verò illi signarunt ob summum in urbe sua cultum, cujus meminit Lampridius in Elagabali vita. *Dianæ Laodiceæ simulacrum ex adyto suo in quo id Orestes posuerat, auferre voluit.* Orestes & Iphigenia è Scythia fugientes, illud Laodiceam asportasse ferunt, sed rem aliter narrat Pausanias, in Atticam signum illud ab Oreste & Iphigenia è Taurica translatum, deinde à Persis ablatum, Laodicenis tandem à Seleuco concessum tradit l. 3. p. 192. Τὸ γὰρ ἐκ Βραυρῶνος ἐκομίσθη τε ἐς Σοῦσα, καὶ ὕστερον Σελεύκου δόντος Σύροι Λαοδικεῖς ἐφ' ἡμῶν ἔχουσι. *Quod enim Braurone fuit, Susa priùs asportatum; Seleuci deinde concessu, hac ætate habent Laodicenses è Syria.* De notis Δ. E. infrà.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores ascribendus.



COL. LAODICEAS METROPOLEOS. *Coloniæ Laodiceæ Metropoleos.* In area Δ. E. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. Aquila alis expansis in templo distylo seu duarum columnarum.

Laodiceni Metropolitæ Syriæ, & Coloni à Sept. Severo facti, nummos ipsi & Caracallæ ejus filio consecrarunt, imo & Elagabalo, qui ex eo natum, & Severi nepotem se prædicabat, teste Dione lib. 79. pag 907. Καὶ ἐν μὲν τῇ πρὸς τὴν βουλὴν ἐπιστολῇ, τῷ τε πρὸς τὸν δῆμον γράμματι, καὶ αὐτοκράτορα καὶ Καίσαρα, τοῦ τε Ἀντωνίνου υἱὸν, καὶ τοῦ Σεβήρου ἔκγονον.... ἐνέγραψε. *In epistola, quam ad Senatum, & scripto quod ad populum misit, & Imperatorem & Cæsarem se, filiumque Antonini, Severi nepotem .... inscripsit.* Similem typum in Caracallæ nummis ad Jovem ob Aquilam spectare cum aliis scriptoribus diximus; sed cùm Aquila etiam in Syriacis nummis Imperium Romanum denotet, Amicus noster templum hoc majestati Imperii dicatum suspicatur, ob fana plurima Romæ exstructa: illam quidem pro Dea existimatam docent nummi cum epigraphe ΘΕΑ ΡΩΜΗ, urget ille, & nummum à Seguino edit. 2. p. 78. vulgatum cum inscriptione ROMAE ET IMPERIO sub Caninio Agrippa Duumviro Corinthi percussum indicat, Imperio & Romæ cultum denotantem, imò templum ejusdem Duumviri tunc Ædilis curâ, in Nerone pag. 176. à nobis allatum, utrique Romæ & Imperio ædificatum existimat, de quo dijudicent Eruditi.

Alter Elagabali nummus argenteus maximi moduli occurrit, in quo pariter Aquila alis extensis cum epigraphe ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Β. cum astro in area & his notis Δ. E. ad Laodiceam, ut infrà dicemus, spectat.

Hic nummus minoris formæ inter raros adscribitur.

Caput Elagabali laureatum, in aliis radiatum.

LAODICEON. Caput turritum, in altero idem caput in templo diſtylo, in utriuſque area Δ. Ε. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας.

Caput illud turritum, nec Diana, aut Pallas, vel Julia Domna eſt, ut Patinus ambigit p. 298. ſed Genius urbis, cui templum diſtylum erexere Laodiceni: hujus autem ſimplex, fabrica minori Deo, ut Genius habebatur, exſtructum indicat, & ſuperiorem ſententiam de templo Romæ ſeu Imperio hac in urbe dicato confirmare videtur: illud etiam diſtylum eſt, nec Jovis ſupremi Dei majeſtati conveniens. Majores ſeu majorum gentium, & minores ſeu minorum gentium Deos fuiſſe, M. Tullius in Tuſcul. notat. Ex horum numero erant Semidei, Heroes, & Indigetes ab antiquis vocati; fuere autem qui illos putarent eſſe, quos indigitari, hoc eſt, vocari & nuncupari nefas eſſet: atque hos eos Deos fuiſſe, in quorum cuſtodia eſſent urbes genteſque. Alii dicunt, ſi indigitare, invocare eſt, Deos illos Indigetes eſſe potuiſſe, qui invocati faciles ſint, & præſto adſint. Alii ſunt qui putant Indigetes appellari, quaſi in loco vel geniti, vel degentes, & magis propitii patriæ, loco & civibus. Vide Lilium Giraldum in Syntagm. 1.

Virgil. *Dii patrii indigetes, &c.* Lucanus. *Indigetes fleviſſe Deos.*

Uterque nummulus inter obvios habendus, qui templum habet, inter Caracallæ nummos à Patino pag. 298. vulgatus eſt.

LAVDICEON. Duo Athletæ nudi luctantes.

Duo Athletæ illi nudi ſeſe brachiis comprehendentes, certamina Laodiceæ celebrata indicant. Luctatores ſunt nudi, oleo ac ceromate delibuti, decertantes, quorum alter alterum in terram dejicere conatur. Illorum motus apprimè deſcribit Plutarchus Sympoſ. lib. 11. quæſt. 4. Μόνους γὰρ τοὺς παλαιστὰς ὁρῶμεν ἀλλήλους ἀγκαλιζομένους, καὶ περιλαμβανόντας· καὶ τὰ πλεῖστα τῶν ἀγωνισμάτων, ἐμβολαὶ, παρεμβολαὶ, συστάσεις, παραθέσεις, συνάγουσιν αὐτοὺς, καὶ ἀναμιγνύουσιν ἀλλήλους. *Solos Luctatores videmus mutuis complexibus ſeſe devincire, & concertationis majorem partem variè miſcendis atque conſtringendis invicem corporibus peragi.* In Gymnicis hiſce ludis Herculem Olympiorum inſtitutorem luctâ victorem narrat Pauſanias lib. 5. pag. 300. Λέγεται δὲ καὶ ἐς αὐτὸν Ἡρακλέα ὡς πάλης τε ἀνέλοιτο καὶ παγκρατίου νίκας. *Ipſum etiam Herculem fama vulgatum eſt de lucta & pancratio coronatum.* Olympia certamina Tyri acta fuiſſe nos docent Caracallæ nummi, hic verò eadem eſſe Laodiceæ celebrata forſan indicat.

Hic nummus minimi moduli, in Caracallæ nummis apud Patinum pag. 298. vulgatus, pro raro numerandus.

IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.

Δ. Ε. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. In laurea cum aſtro in imo.

Nummi ferè omnes Laodiceæ Syriæ notas Δ. Ε. in area minuto charactere præferentes, nos movent, ut hunc nummum cum iiſdem majuſculis in medio laureæ ſignatis ad ipſam urbem, etiamſi deſit ejus nomen, revocemus: illæ autem litteræ in duarum tantùm urbium nummis, Antiochenis nimirum & Laodicenis, occurrunt, in illis quidem cum S. C. in his verò ſolæ ſunt. Antiochiam diximus in Othone αὐτονομίαν à Pompeio, cùm ille Syriam in provinciam redigeret, pecuniâ redemiſſe, ſed cùm illa jus cudendæ monetæ haberet, quòd tantùm urbibus jure Latio donatis conceſſum erat, Senatuſconſulto non modò, ſed & Plebiſcito, ut illa uteretur opus fuit, unde Antiochia

chia notas S. C. & Δ. E. ad antiquam monetæ ſignandæ licentiam indicandam in nummis appoſuit. Laodicea verò cùm in bello civili Sept. Severi partibus adhærens, malè affecta fuiſſet, & Antiochia pro Peſcennio ſtetiſſet, Severus Peſcennio devicto & occiſo, Antiochiæ privilegia & immunitates omnes Laodiceæ attribuit. Poſtea tamen Severus Caracallæ filii interventu veniâ Antiochiæ datâ, ipſi jura reddidit, ſervatis tamen Laodiceæ iiſdem privilegiis; ſed cùm Metropolis ſecunda hæc eſſet, non antiquas omnes monetæ cudendæ notas, ſed has tantùm Δ. E. appoſuiſſe videtur. Aſtrum in imo ad Elagabalum ſpectat, illud autem in pleriſque ejus nummis in illius honorem ſignatum videtur.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.

PATRÆ.



IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Mercurius inſidens monticulis, dextrâ crumenam, lævâ caduceum, ad pedes aries.

Omnes ferè R. provinciarum populi nummos in Elagabali honorem percuſſerunt, inter quos Patrenſes Achaiæ Mercurium in ſuis ob commercia belli civilis diſſipata, per ipſum reſtituta ſignarunt. Mercurius autem dextrâ crumenam gerit, tanquam mercium Deus, de quo Fulgentius Mythol. lib. 1. *Mercurium dicunt præfuiſſe negotiis.* Et paulò pòſt: *Mercurium dici voluere, quaſi mercium curam.* Siniſtrâ caduceum, virgam ſcilicet cum duobus ſerpentibus, de qua ibid. *Virgam verò ſerpentibus nexam ob hoc adjiciunt, quod Mercatoribus det aliquando regnum ut ſceptrum: & vulnus ut ſerpentium.* Aries ad mercaturam etiam ſpectat, quorum alii pro cibo, alii pro veſtibus & lanificiis venundantur: illos autem tueri & augere dicitur Mercurius apud Pauſaniam lib. 2. fol. 89. Χαλκοῦς καθήμενός ἐστιν Ἑρμῆς· παρέστηκε δέ οἱ κριός, ὅτι Ἑρμῆς μάλιστα δοκεῖ θεῶν ἐφορᾷν καὶ αὔξειν ποίμνας. *Mercurius ex ære ſedens viſitur: cui adſiſtit aries, quod unus præ cæteris Mercurius greges tueri & augere exiſtimatur.*

Hic nummus mediocris magnitudinis inter raros numerandus.



COL. A. A. PATR. *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis.* Figura muliebris ſedens in curru à duobus cervis tracto, lævâ habenas tenet.

Nummus hic jam in M. Aurelio à nobis deſcriptus fuit, quem non ad Dianam, ut quidam exiſtimant, ſpectare diximus, verum is eam virginem in anniverſaria Dianæ Laphriæ ſacrorum pompa apud Patrenſes Sacerdotis vices agentem exhibet, cujus hiſtoriam videas apud Pauſaniam in Achaic. pag. 433. Πρῶτα μὲν δὴ πομπὴν μεγαλοπρεπεστάτην τῇ Ἀρτέμιδι πομπεύουσι, καὶ ἱερωμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. *Pompam Deæ magnificentiſſimo apparatu tranſmittunt: in ea virgo, quæ ſacerdotio fungitur, poſtrema omnium cervorum bijugo curru invehitur.* Patrenſes hunc typum forſan Imp. Elagabalo cuderunt, alludentes pompæ, in qua is Elagabalum Deum ſuum ad ſuburbanum deduxit, de quo Herod. lib. 5. Τόν τε θεὸν αὐτὸν ἐπιστήσας ἅρματι χρυσῷ τε καὶ λίθοις τιμιωτάτοις πεποικιλμένον, κατῆγεν ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ προάστειον. *Ipſum porro Dei ſimulacrum impoſitum vehiculo, quod eſſet auro pretioſiſque lapidibus exornatum, deducebat ex urbe in ſuburbanum.* Urbes autem & Coloniæ nihil in nummis ſine aliqua ratione & myſterio ſignabant.

Hic nummus ſecundi moduli inter inſigniores collocandus.

PTOLEMAIS Phœniciæ.



C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Caput Serapidis modio inſigne.

Ptolemaidenſes ut aliæ Phœniciæ Coloniæ nummos ſuos Imp. Elagabalo dedicarunt : in hoc Serapidis caput, ut in Severo & Caracalla, à quo originem ſe traxiſſe gloriabatur, ſignarunt. Serapis Jovis frater à Juliano in Cæſar. appellatur. Καὶ ὁ Ζεὺς, ἀπιδὼν πρὸς τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Σάραπιν. *Deinde Jupiter derepente ad Serapin fratrem ſuum converſus.* Quod confirmat illorum opinionem, qui illum eundem eſſe cum Plutone putant. Illius cultum in pleriſque Syriæ & Phœniciæ urbibus nos edocent nummi. Xiphilinus autem ejus templum Antiochiæ in vita Caracallæ commemorat. Τὰ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Σεραπείου προσέταττε πολλὰ ὁ Ἀντωνῖνος. *Imperabatque multa de templo Serapidis Antoninus.* Modius ille in Serapidis capite, ejus videtur ornamentum, quod Serapidis, qui idem cum Oſiride exiſtimatus, agriculturam docuerit. Vide Voſſium l. 1. de Theol. Gent. cap. 29.

Hic nummus mediæ formæ nec rarus nec obvius eſt.



IMP. CAES. M. ANTONINVS AVG.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Signa Zodiaci circa templum ex duabus columnis exſtructum, in quo Diana Venatrix telum è pharetra depromit, lævâ arcum.

Dianæ ſimulacrum in templo, illam à Ptolemaidenſibus cultam indicat, quam Laodiceni Syriæ pariter venerati ſunt : ſed Zodiaci ſigna circa ambitum, ſpectant ad Aſtronomiam, cujus artis plurimi erant periti Phœnices, ut docet Strabo l. 16. pag. 757. Σιδόνιοι δὲ πολύτεχνοί τινες παραδέδονται καὶ καλλίτεχνοι, καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς δηλοῖ· πρὸς δὲ, καὶ φιλόσοφοι περί τε ἀστρονομίαν καὶ ἀριθμητικήν. *Sidonii cùm multarum tùm optimarum artium magiſtri perhibentur, ad hæc aſtronomiæ & arithmeticæ periti.* Et paulò poſt : Γεωμετρίαν.... παρὰ Αἰγυπτίων ἥκειν εἰς τοὺς Ἕλληνας πεπιστεύκασιν· ἀστρονομίαν δὲ καὶ ἀριθμητικὴν παρὰ Φοινίκων. *Geometriam.... ab Ægyptiis ad Græcos propagatam pro certo habent : à Phœnicibus verò aſtronomiam & arithmeticam.* Quod confirmare videtur Plinius lib. 5. c. 12. *Ipſa gens Phœnicum in gloria magna litterarum inventionis, & ſyderum.* Apud veteres Aſtronomia & Aſtrologia voces fuerunt ſynonymæ, recentiores illas diſtinxerunt.

Hic nummus ſecundi moduli inter rariſſimos collocandus.



COL. PTOL. HΞC. *Colonia Ptolemais,* anno 268. Fortuna in templo octo columnarum dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Ptolemaidenſes Fortunam veneratos fuiſſe plurima eorum numiſmata declarant, ſed hoc præcipuè cum ſuperbiſſimo templo octo columnis ſuffulto, in cujus aditu ejus ſimulacrum. Julium Cæſarem bellum parantem, Fortunæ ſacrificaſſe tradit Xiphilinus in Pomp. pag. 148. Ἐπεὶ δὲ αὐτοῦ τῇ Τύχῃ θύοντος, ὁ ταῦρος, πρὶν καὶ τρωθῆναι, ἔξω τῆς πόλεως ἐξεχώρησε. *Cùmque Fortunæ ſacrificaret, taurus, priuſquam feriretur, extra urbem profectus.* Notæ H. Ξ. C. annum æræ Ptolemaidenſium 268. denotant, cujus caput à Julio Cæſare deſumptum eo U. C. 705. anno quo Antiochenſes & Laodi-

cenſes

censes Syriæ ab ipsomet Julio Cos. II. cum Servilio Vatia aliquod beneficium acceperunt, & omnes epocham computare cœperunt, nam adjunctis 268. annis U. C. 706. efficient 974. quo Elagabalus Consulatum iniit III. & Eutychianus Comazon II.

Hic nummus secundæ magnitudinis, olim noster, nunc Regius, inter rarissimos habendus.

SIDON.



IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput Elagabali laureatum.

COL. AVR. PIA. METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Astarte stans dextram imponit trophæo, lævâ scipionem, à sinistris Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit, ad pedes hinc Silenus, inde palma arbor.

Sidon urbs Phœniciæ antiquissima, à Sidone Chananis filio nomen habet Genes. 10. 15. Alii à Phœnicio nomine Sid, quod piscationem sonat, nuncupari contendunt. Urbs eò usque claruit, ut jam olim dubitatum sit, ipsa ne an Tyrus pro Phœniciæ Metropoli sit habenda, de quibus Strabo lib. 16. pag. 756. Ἀμφότεραι δ᾽ οὖν ἔνδοξοι καὶ λαμπραὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν· ὁποτέραν δὲ αὐτῶν εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐστίν. *Ergo ambæ & nunc & antiquitus claræ illustresque sunt: controversumque narrant, utra earum Phœnicum Metropolis dici debeat.* Sed quia Esaias cap. 28. 12. Tyrum nominavit filiam Sidonis, concedi palmam antiquitatis Sidoni necesse est, quod confirmare videtur idem Strabo, qui Sidonem tantùm, & non Tyrum, ab Homero celebrari tradit. Οἱ μὲν οὖν ποιηταὶ τὴν Σιδόνα τεθρυλήκασι μᾶλλον, Ὅμηρος δὲ οὐδὲ μέμνηται τῆς Τύρου. *Poetæ quidem magis Sidonem celebrant, atque adeo Homerus Tyri non meminit.* Palma arbor in nummo ad antiquitatem ipsius indicandam signata est: palma autem Græcè φοίνιξ, unde Phœnicia nonnunquam Sidoniorum nomine vocata est. Apud Hesychium Σιδόνιοι, Φοίνικες dicuntur, ut apud Bibliorum Interpretes Deuter. 3. 9. pro *Sidonim*, Φοίνικες. Esaiæ 23. 2. pro *Sidon* Φοινίκη redditur. Silenus sui cultum apud Sidonios indicat, ille tanquam minor Deus ad Astartes supremæ urbis Deæ pedes collocatur: de ipsa in nummo sequenti.

Hic nummus primæ & secundæ formæ, pro raro habendus, sed primæ elegantior est.



COL. AVR. PIA. METR. SIDON. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Diversæ sunt epigraphæ. Eadem Astarte cum attributis in templo quatuor columnis suffulto.

Sidon sub Elagabalo Colonia & Metropolis perhibetur, Colonia quidem ab hoc Imperatore deducta, & Phœniciæ Metropolis titulo donata: in superiorum autem Cæsarum nummis Ναυαρχίδος dignitate insignitur, Sidon & Tyrus olim Metropolis dignitate ornatæ, ipsâ ab Augusto Cæsare privatæ videntur ex Dionis verbis lib. 54. pag. 525. Καὶ τοῦτο καὶ τοὺς Τυρίους, τούς τε Σιδωνίους διὰ τὰς στάσεις ἐποίησεν, ἐν τῇ Συρίᾳ γενόμενος. *Idemque in Syriam quùm advenisset, Tyriis & Sidoniis propter factiones supplicium irrogavit.* Utraque autem urbs Metropolis titulum tantùm recuperavit ultimis temporibus, illa sub Sept. Severo, ut diximus, hæc sub Elagabalo, de qua mox agemus. Astartes cultum habent Sidonii, ut ipsi Tyrii. De illius fano loquitur Lucianus de Dea Syria. Ἔστι δὲ ἄλλο ἱερὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα τὸ Σιδώνιον ἔχουσι, Ἀστάρτης ἐστί. *Est & aliud templum in Phœnicia, quod Sidonii tenent, Astartæ ut ipsi quidem dicunt.* Dea imponit manum trophæo, ut in Tyriorum nummis, eâdem ut videtur causâ, ad indicandas longè latèque ex Phœnicia Colonias, ubi trophæum tanquam victoriarum insigne posuerunt, idcirco forsan ipsi Victoriola coronam ei porrigit: illa scipionem seu sceptrum, ut loci regina, velut proprium symbolum gerit.

Hic nummus majoris moduli in præstantiorum numero recensendus.



COL. AVR. PIA. METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Altare umbraculi modo cum quatuor columnis duabus rotis impositum, in quo Astartes simulacrum.

Currus ille sacer cum Astartes simulacro anniversariam ipsius sacrorum pompam indicare videtur. Credibile est quotannis illud Deæ signum magnificentissimo per urbem apparatu transmitti solitum fuisse, ut in pluribus Syriæ & Phœniciæ urbibus factum narrat Lucianus. Astarte verò ex Sanchoniathone Phœnicio, Venus est. Τὴν δὲ Ἀστάρτην Φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι. *Astarten autem Phœnicii Venerem esse dicunt.* Id confirmat Cicero de Nat. Deor. lib. 3. *Quarta Venus Tyriâ Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur*, cui sententiæ adstipulatur Suidas. Ἀστάρτη ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη. *Astarte quæ apud Græcos Venus dicta est.* Bochartus lib. 2. cap. 5. Ἀστάρτην vocem deflexam fuisse in Græcam Ἀστροάρχην, qua usus est Herodianus in vita Elagabali, refert. Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, sive id librarii, aut scriptoris ipsius imperitiæ tribuatur.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius est.



AVR. PIA. SIDON. COLON. METROP. *Aurelia Pia Sidon Colonia Metropolis.* Colonus agit boves, ad eorum latera in medio nummi vexillum in quo LEG. III. PAR. *Legio Tertia Parthica*, & non III. CAC. ut vulgavit Holstenius in Steph. pag. 292.

Tyrum Macrini partes acriter fovisse verisimile est, ideo Elagabalus ipsi iratus, eam Metropolis dignitate privavit, quam Sidoni sibi faventi concessit, illamque Coloniam constituit, ut Aureliæ Piæ gentis suæ nomina non modò, sed frequens nummorum ejus in honorem Elagabali uxorum, matris, & aviæ, signatorum copia indicant. Imò convincit typus Coloni boves agentis, quem ita describit Plutarchus in Romulo pag. 23. Ὁ δ' οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕννην, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄρρενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι. *Conditor aratro æreum vomerem adjungit, junctisque bobus mare & fœmina, ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum.* Vexillum in quo LEG. III. PAR. Legionis Tertiæ Parthicæ Veteranos in Coloniæ supplementum Sidonem traductos denotat. De his plura in sequenti nummo.

Hic nummus primæ magnitudinis in elegantiorum serie scribendus. Observatur etiam secundi moduli cum epigraphe COL. AVR. METR. SID.



CÓL. AVR. PIA. METROP. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Tria signa militaria, in quorum apice parvæ Aquilæ.

Signa illa militaria ad Legionis tertiæ Parthicæ Veteranos Sidonem colonos ab Elagabalo traductos spectant. Legio tertia Parthica in Mesopotamia hiberna agebat, ut legimus apud Dionem lib. 55. pag. 564. Σεβῆρος τὰ Παρθικὰ, τό τε πρῶτον, καὶ τὸ τρίτον τὸ ἐν Μεσοποταμίᾳ. *Severus Parthicas primam & tertiam in Mesopotamia.* Illa forsan prima Elagabalo acclamavit, de qua forsan loquitur Herodianus lib. 5. fol. 563. Ὅπερ ἐκεῖνοι ἀκούσαντες, τοῖς συστρατιώταις κατ' ὀλίγον ἀπαγγέλλοντες, διαβόητον ἐποίησαν τὴν φήμην, ὡς εἰς πᾶν χωρῆσαι τὸ στρατιωτικόν. *Ea res audita ab illis, ac sensim communicata reliquis commilitonibus, per universum denique exercitum vulgata est.* Legio hæc tertia Parthica à Septimio Severo, cum prima & secunda hujus nominis conscripta est cùm in Parthos bellum suscepit multis militibus in

civilibus

civilibus bellis contra Pescennium & Albinum occisis, quarum prima & tertia in Mesopotamia, secunda verò in Italia bello confecto collocata est. Tertiæ meminit sub Elagabalo vetus inscriptio Romæ reperta apud Grut. 528. 1.

C. AVREL. L. F. PAR. FAVOR.
VETERAN. LEG. III. PARTHIC. P. F.
M. AVRELIO ANTONINO AVG. IIII.
ET AVRELIO ALEXANDRO CAES.

Nummus signa tria militaria tertiæ nomini alludens forsan exhibet.


Hic nummus primæ magnitudinis, apud Petrum Garzoni Sen. Venetum rarissimus, secundæ pro raro habendus.



COL. METR. AVR. PIA. SID. *Colonia Metropolis Aurelia Pia Sidon.* Mulier turrita & stolata stans, dextrâ pateram super aram juxta Aquilam legionariam proræ navis impositam.

Mulier turrita stans, Genius Sidonis est. Caput habet turritum ut Metropolis, de qua Diodorus lib. 16. Πλούτῳ τε καὶ ταῖς ἄλλαις χορηγίαις ἡ πόλις πολὺ διεῖχε τῶν κατὰ τὴν Φοινίκην πολέων. *Opibus & aliis adminiculis longè superabat ea urbs reliquas Phœniciæ urbes.* Stolata est Romano more, ut Colonia; pateram tenet super altare, pro Imperatore sacrificans; adstat Aquila legionaria, ad Veteranos in Coloniam transmissos indicandos; hæc proræ insistens, situm urbis arguit, de qua Mela lib. 1. cap. 5. *Adhuc opulenta Sidon, antequam à Persis caperetur, maritimarum urbium maxima,* vel potentiam in mari, unde in nummis Trajani & Hadriani ΣΙΔΩΝΟϹ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟϹ perhibetur, ut innuere videtur Diodorus supra laudatus. Τὸ δὲ μέγιστον τριήρεις καὶ πεντήρεις εἶχε πλείους τῶν ἑκατόν. *Et quod maximum est triremes, & quinqueremes habet plures centum.*

Hic nummus majoris formæ inter præstantiores numerandus.



AVR. PIA. SID. COL. METR. *Aurelia Pia Sidon Colonia Metropolis.* Modius spicis refertus, in imo nummi AETERNV. BENEFI. *Æternum beneficium.*

Modius spicis plenus, frumentum Sidoniis ab Elagabalo constitutum indicat, ut Romæ morem fuisse testatur Suetonius in Julio. *Atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum è publico ad centum quinquaginta retraxit.* Imo menstruas frumenti donationes ab Augusto factas tradit Philo Legat. ad Caium. οὐ μὴν ἀλλὰ κἀν ταῖς μηνιαίοις τῆς πατρίδος διανομαῖς, ἀργύριον, ἢ σῖτον ἐν μέρει παντὸς τοῦ δήμου λαμβάνοντος. *Domi quoque quoties menstruas pecuniæ, frumentive distributiones acciperet.* Frumentum Prætorianis menstruum à Nerone concessum confirmat idem Sueton. in ejus vita. *Item Prætorianis cohortibus frumentum, menstruumque gratuitum concessit.* Has verò frumenti distributiones ab aliis Imperatoribus forsan prætermissas Nerva videtur renovasse ob insignem nummum Senatus jussu ipsi percussum cum hac epigraphe, PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO, & modio spicis pleno. Sidonii ejusmodi beneficium à munificentissimo Imperatore acceperunt, cujus memores singularem epigraphen hanc, AETERNVM BENEFICIVM, in nummis sub modio spicis referto cudi curaverunt.

Hic nummus majoris formæ è museo nostro, eximiæ raritatis est: similem typum protulit Com. Mediobarbus pag. 314.

C. A. PI.



C. A. PI. MET. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Europa cum peplo, tauri dorſo vecta.

Sidonii Europam à tauro raptam, ad urbis antiquitatem indicandam cælarunt, ejus nummi meminit Lucianus de Dea Syria. Καὶ τὸ νόμισμα τῷ Σιδώνιοι χρέονται, τὴν Εὐρώπην ἐφεζομένην ἔχει τῷ ταύρῳ τῷ Διί. *Et nummus quo Sidonii utuntur, habet Europam tauro, Jovi videlicet inſidentem.* Europa Agenoris Phœniciæ Regis filia fuit, ex qua tertia pars Orbis dicta eſt Europa. Ovid. in ep. pro. 2.

Tertia pars Orbis (ſic dicta ab Agenore nata)
Europa.

Ur-appa tradit Bochartus lib. 4. cap. 33. quaſi terram λευκοπρόσωπον, *quia Europæi Africanos candore faciei multùm ſuperant, unde & Europa dicta eſt Cadmi ſoror, quaſi* ALBA FACIE. *Virgo.* Illius hiſtoriam ſic narrat Hyginus fab. 178. *Europa Agenoris & Argyropes filia, Sidonia, hanc Jupiter in taurum converſus, à Sidone Cretam tranſportavit.* Alii Europam fuiſſe raptam in navi, cui Tauri nomen erat, commemorant.

Hic nummus minimi moduli inter raros adſcribitur.



IMP. C. M. AV. ANTONINVS AV. Caput Elagabali laureatum.
COL. MET. AVR. PIA. SID. Duæ triremes, in quarum dexteriore ſtans figura muliebris manum extendit verſus duas minores in altera poſitas; in vertice nummi currus Aſtartes, in ejus imo delphin.

Hæc hiſtoria ad Didonis è Sidone fugam ſpectare videtur. Cùm Pygmalion Phœniciæ Rex Sichæum Didonis maritum ejus theſauris inhians occidiſſet, illa in ſomniis monita eſt, ut effoſſis clam theſauris fugeret. Alii narrant, cùm Phœnicia urgenti peſtilentia laboraret, navibus conſcenſis in Africam tranſiiſſe, ipſa in nave mandata pro itinere imperare videtur. Nec moveat lectorem Didonem à quibuſdam Tyriam appellari, cùm utraque urbs Sidon & Tyrus illam ſibi vindicent. Virgilius Æn. 1. eam Sidoniam appellat.

Phœnices Sidon urbs, hinc Sidonia Dido.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter præſtantiores numeratur.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.
COL. MET. AVR. PIA. SID. *Colonia Metropolis Aurelia Pia Sidon.* Mulier ſeminuda cum pallio oblongo ſtans ſupra triremem dextrâ extensâ, ſiniſtrâ ſcipionem tranſverſum collecta veſte gerit.

Alii figuram hanc ſupra triremem, Didonem Sidone fugientem, iter brachio extenſo indicantem, & ſiniſtrâ ſceptrum oblongum, ut in Tyriorum nummis, gerentem affirmant: alii verò Aſtarten exiſtimant, qualis in nummis Demetrii Nicatoris Hiſtoriæ noſtræ Syriæ pag. 273. exhibetur: hæc dextrâ extensâ Venerem ſtellam indicat, quod Græci ἄστρον, unde illam Aſtarten nominatam dicunt, cujus in vertice ſacer currus ad eam indicandam ſignatus videtur; illa ſupra triremem ſtat, tanquam urbs Sidon Phœniciæ Ναυάρχις, vel ut triremium inventrix, teſte Clemente Alexandrino Strom. lib. 10. pag. 307.

Hic nummus mediocris, nec rarus nec obvius eſt.



IMP. C. M. AVR. ANTONINVS AVG. PIVS. Caput Elagabali laureatum.
COL. METRO. AVR. PIA. SID. *Colonia Metropolis Aurelia Pia Sidon.* Menſa ſupra quam duæ urnæ cum palmis, infra vas, poma & epigraphe. PER. ISEL. OECVM. *Periodonica, Iſelaſtica, Oecumenica.*

Urnæ in quibus palmæ ſupra menſam, ad ludos ſeu certamina ſpectant; ſed qualia ſint, non nominantur in nummo: voces enim *Periodonica*, *Iſelaſtica*, *Oecumenica*, vaſtæ ſunt, aliiſque ludis communes, & ad Athletas pertinent: id unum indicare videntur, quòd certamina fuerint ampliſſima. *Periodonica* autem dicuntur, quia invitabantur ad hæc Περιοδονῖκαι, quos alii alio modo exponunt. Athenæus intelligit eos, qui decies viciſſent, lib. 10. pag. 415. Ενίκησε ἢ τὴν περίοδον δεκάκις. *Decies periodo vicit.* Julius Pollux nom 4. cap. 11. qui decies & ſepties victores fuiſſent. Επτακαίδεκα ἢ περίοδους ἀνείλετο τ̃ς ςεφανητῶν ἀγώνων. *Septem verò & decem coronatorum certaminum circuitus perſolvit.* Sed propriè in Gymnicis certaminibus periodo viciſſe tradit Pomponius Feſtus in Period. qui Pythia, Iſthmia, Nemea, & Olympia vicit à circuitu eorum ſpectaculorum, & ex omnibus hiſce victoriam reportavit. De Iſelaſticis & Oecumenicis in nummo ſequente. Vas ſub menſa, ad Agonothetam Sacerdotem ludorum curatorem ſpectat; poma adſunt, quia his victores donabantur, ut & pomacea corona olim ipſis concedebatur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter elegantiores adſcribendus.



COL. AVR. PIA. METR. SIDON. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Laurea in qua CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. *Certamina ſacra Periodonica, Oecumenica, Iſelaſtica.*

Hic nummus eadem certamina quàm ſuperior indicat, etſi epigraphe amplior plura exhibeat nomina. De Periodonicis dictum, nunc de cæteris. *Sacra* vocata fuiſſe ferunt, quòd in honorem Deorum celebrarentur. Jul. Pollux lib. 3. cap. 30. Περὶ ἱερῶν ἀγώνων τὰς μὲν ἂν καλεμένας ἱερὰς ἀγῶνας, ὧν τὰ ἆθλα ἐν ςεφάνῳ μόνῳ, ςεφανίτας ἐκάλεσαν, ἢ φυλλίνας. *Certamina verò, quæ Sacra nominarunt, quorum præmia in ſola corona erant, erant coronata, &* φυλλίνας *vocarunt.* Ideo in nummo corona lauri victoriæ præmium apponitur. *Oecumenica*, quòd Athletæ non modò ex Syriæ provincia, ſed ex toto terrarum Orbe eſſent recepti. *Iſelaſtica* dicebantur, à verbo εἰσελαύνειν, *quadriga invehi*, quòd victores triumphantium more quadrigis per ruinas murorum in patriam reveherentur, & perpetuò ex publico alerentur, de quibus Trajani Reſcript. ad Plin. ep. lib. 10. *Obſonia eorum certaminum, quæ Iſelaſtica eſſe placuit mihi, ſi ante Iſelaſtica non fuerunt, retro non debentur.* Hos Sidoniorum in Elagabalo nummos, ſed mutilos, laudat Ill. Spanhem. in ep. ad Morellium pag. 114.

Hic nummus primæ magnitudinis, olim noſter, nunc Venetiis apud Hier. Corrarum Senatorem, rariſſimus eſt.

STOBI.



M. AV. ANTONIN. AVG. Caput Elagabali laureatum.
MVNI. STOBE. *Municipium Stobenſium.* Diverſæ ſunt epigraphæ. Victoria ſtans, dextrâ coronam, ſiniſtrâ palmam.

Stobenſes

Stobenses Macedoniæ in obsequii monumentum Elagabalo nummos dedicarunt, & victoriam ob Macrinum devictum in ipsis signarunt. De ipsorum pugna loquentem audias Herodianum lib. 5. pag. 565. Συμμίξαντα δὲ ἀλλήλοις τὰ στρατόπεδα Φοινίκης τε καὶ Συρίας ἐν μεθορίοις, οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίνου, προθύμως ἠγωνίζοντο. *Concurrerunt autem inter se exercitus uterque in Phœniciæ Syriæque finibus; acrius dimicante Antonini milite.* Victoria coronam ex lauro gerit in triumphis gestatam; de qua Cicero de Prov. Cons. *Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret.* Elagabalus etiam ob illam victoriam Romæ triumphavit. Victoria verò palmam sinistrâ tenet, pro victoris præmio: apud Ciceronem autem 1. de Nat. Deorum, & Apuleium lib. 3. de Asino, Victoria *Palmaris* cognominatur.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 331. vulgatus, nec rarus nec obvius est.

TROAS.



IMP. M. ANTONINVS AVG. Caput Elagabali laureatum.

COL. AVR. ANTONINIANA ALEX. *Colonia Aurelia Antoniniana Alexandria.* Caput turritum, pone quod vexillum.

Troadenses, qui ob collata ab Imperatore Caracalla in se beneficia urbem *Aureliam Antoninianam* appellarant, imò & *Alexandriam*, quòd ille Alexandri gesta imitari vellet, nummos cum iisdem appellationibus, Elagabalo ejus filio credito gratulantes, percusserunt; illosque præsertim signasse videntur, cùm Imperator è Syria Romam proficiscens, Nicomediæ hiberna ageret, cujus meminit Dio lib. 79. pag. 909. Οτε καὶ ὁ Ψευδαντωνῖνος ἐν τῇ Νικομηδείᾳ ἐχείμαζε. *Ipso tempore quo Nicomediæ Pseudantoninus in hibernis agebat.* Caput turritum, Genius est urbis, cui additum est vexillum ad indicandum ex Veteranis supplementum in hanc Coloniam ab Augusto olim deductam, fuisse transmissum.

Hic nummus minimi moduli rarus est.



COL. AVR. ANTONIAN. ALEX. *Colonia Aurelia Antoniniana Alexandria.* Variæ sunt epigraphæ. Equus pascens.

Equum pascentem in Troadensium nummis ad immunitates à Claudio urbi & regioni concessas spectare sæpius diximus. Troas autem hunc præcipuè typum in Imperatoris recèns ad Imperium evecti nummis signare solebat, ad privilegia indicanda. Singularis quidem unius mentio est in lib. 50. Dig. tit. 1. ad Munic. & de Incolis, ubi natus ex fœmina Iliensi, jus civitatis habere dicitur. *Concessum est, ut qui matre Iliensi natus est, sit eorum Municeps.* Id autem denotat in Trojanos beneficia Romanorum, quòd ii Æneam gentis suæ Principem è Troja demissum agnoscerent; sed legas apud Strabonem quænam Julius Cæsar, qui à Iulo filio originem trahere volebat, ipsis concessit, lib. 13. p. 595. Χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς, καὶ τὴν ἐλευθερίαν, καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε, καὶ μέχρι νῦν συμμένουσιν ἐν τούτοις. *Itaque & agrum iis Cæsar attribuit, & libertatem, publicarumque operarum immunitatem eis servavit, qua conditione etiam nunc manent.*

Hic nummus minimæ molis obvius est.



COL. AVG. TRO. ALEX. *Colonia Augusta Troas Alexandria.* In aliis COL. ALE. TROA. *Colonia Alexandria Troas.* Diversæ sunt epigraphæ. Lupa cum puerulis.

Troas lupam cum puerulis Romanorum insigni tanquam Colonia sæpe cælavit, quo titulo ornatam

eam eam refert Plinius lib. 5. cap. 30. *Ipsaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, Colonia Romana.* Cùm Alexander in eam à pugna ad Granicum ascendisset, ex pago illam urbis nomine donavit, & inter liberas & tributi immunes retulit, Procuratoribusque mandavit, ut substructionibus ipsam reficerent. Antigonus unus ex ducibus ipso mortuo urbem auxit, unde *Antigonia* appellata nomen mutavit; sed illo interempto, Lysimachus alter ex Alexandri Ducibus præcipuè ejus curam suscepit, templumque condidit, muroque urbem cinxit 40. circiter stadiorum, & in eam migrare jussit circumjacentes urbes antiquas, jam ruinam trahentes, eique nomen *Alexandriæ* imposuit, ut innuit Strabo l. 13. pag. 593. Ἔδοξε γὰρ εὐσεβὲς εἶναι τοὺς Ἀλέξανδρον διαδεξαμένους, ἐκείνου πρότερον κτίζειν ἐπωνύμους πόλεις, εἶθ' ἑαυτῶν. *Pietatis enim hoc videbatur esse, ut qui Alexandro successissent, huic prius, postea demum sibi cognomines urbes conderent.* Illa tandem ab Augusto deducta nomen *Augustæ* tulit, sed nunquam in nummis ante Caracallæ ætatem *Alexandria* dicta est, quod nomen tunc assumpsit ob summum hujus Imperatoris erga Alexandrum studium, Dione & Herodiano coëtaneis ejus scriptoribus testibus, de quo ille lib. 77. pag. 874. Οὗτος οὖν ὁ φιλαλεξανδρότατος Ἀντωνῖνος. *&c. Hic igitur Antoninus, Alexandri amantissimus.* Troas autem illud Alexandriæ nomen usque ad Alex. Severum tantùm retinuit, ut ibi amplius.

Hic nummus minimæ formæ tritus est & frequens.

TYRUS.



IMP. M. C. AV. ANTONINVS. AV. Caput Elagabali laureatum.

TYRIORVM. Astarte tutulata stans dextram imponit trophæo, à sinistris Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit, pro pedibus hinc palma arbor, inde conchylium.

Cùm Tyrus in plurimis nummis Elagabalo percussis solam Tyriorum epigraphen, Coloniæ autem & Metropolis titulos non inscribat, Amicus suspicatur illos eorum urbi acriter Macrini partibus stanti ab Elagabalo ademptos, & Sidoni tributos, ut Severus olim Antiochiæ & Bysantii privilegia Laodiceæ & Heracleæ concesserat; sed cùm illa tandem iis restituisset, ita Tyro dignitates Imperatoris indulgentiâ redditas existimat. De Astarte Tyri Dea tutelari in Caracalla diximus; trophæum verò cui illa manum imponit, non ad Imperatoris victoriam spectat, sed ad Colonias longè latèque ab antiquis Tyriis in totum terrarum Orbem emissas, de quibus vide Bochartum in Geogr. sac. part. 2. l. 1. cap. 2. Palma arbor, ad earum in regione abundantiam, seu ad eandem cùm Phœnicia cognationem pertinet: conchylium verò, ad purpuræ inventum.

Hic nummus secundi moduli nec rarus nec obvius est.



TYRIORVM. Astarte cum iisdem attributis in templo hexastylo seu sex columnarum; ante templum arula.

Astarte & Hercules præcipua fuere Tyri numina, utrique templa erecta sunt, superbissimum quidem in Astartes honorem ab Hiramo Tyriorum Rege ædificatum est, quod exhibet nummus: illius meminit Josephus contra Ap. l. 1. p. 1043. Καθελών τε τὰ ἀρχαῖα ἱερὰ, καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησεν· τότε δὲ Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσεν. *Demolitusque antiqua delubra, nova templa ædificavit: Herculisque & Astartes fana dedicavit.* Rex de Monte Libano ad tegmina eorum ligna cedrina abscidit. Ara ante templum, sacrificia pro Elagabali salute Astartæ perpetrata indicat: super aras enim victimæ adolebantur. Astarte autem in templi aditu cum iisdem superioris nummi attributis repræsentatur, & Victoria ei coronam porrigit, ob columnas in Africa Tingitana à Phœnicibus erectas, ut narrat Procopius lib. 2. Vandal.

Hic nummus mediocris magnitudinis inter raros & conspicuos numeratur.



IMP. CAES. M. AV. ANTONINVS. AV. Caput Elagabali laureatum.

TYRIORVM. circa ambitum nummi. ΔΕΙΔΩΝ. *Dido*, in imo. Dido ſtolata ſtans cippo impoſita, dextrâ ſcipionem, lævâ ſceptrum, ante eam porta urbis ſupra quam figura virilis conſtructioni incumbit, altera pro pedibus illius ligone terram aperit.

Tyrii Didonem ſibi vindicantes, illam ad antiquitatem urbis denotandam, in nummis Carthaginem illam celeberrimam olim urbem condentem exhibuerunt. Dido Beli Phœnicum Regis filia Pygmalionem fratrem fugiens, poſt varias maris peregrinationes in Africam tandem delata, tantum ſoli ſibi emit, quantum taurino corio poſſet circumdare, cujus meminit Silius lib. 1.

Tum pretio mercata ſolum nova mœnia ponit
Cingere quà ſecto permiſſum littora tauro.

Cùm autem illa corium in tenuiſſimas partes diſſecuiſſet, locum ſatis amplum complexa, urbem condidit, quam Carthaginem appellavit. Carthago autem Punicè, *Carthada id eſt, Kartha hadtha*, de qua Solinus cap. 29. *Eliſſa mulier extruxit, & Carthadam dixit, quod Punico ore exprimit civitatem novam.* Ideo Græci à Cadmo jam conditam urbem aſſerunt: itaque Dido non tam Carthaginem condidiſſe, quàm inſtauraſſe, & Byrsâ arce adjectâ auxiſſe videtur. Vide Bochartum in Geogr. ſac. part. 2. cap. 24.

Hic nummus minoris formæ inter elegantiores reponendus.



TYRIORVM. Serpens involutus circa lapidem ovatum prægrandem.

Nullum eſt dubium, quin ſerpens ille lapidi involutus ad veterem aliquam Tyri hiſtoriam ſpectet, quæ nobis inveſtiganda. Duo Tyriorum nummi, de quibus infrà, prior Gordiani, alter Gallieni, hominem ſimili ſaxo armatum contra erectum ſerpentem exhibent; videtur ergo draco ille circa lapidem ejuſmodi involutus, in ipſius necis memoriam à Tyriis in nummis ſignatus, quemadmodum duæ aliæ petræ & ſerpens arbori involutus in nummo Gordiani Pii ab ipſis Tyriis cælantur, cujus hiſtoriam Triſtanus tom. 1. pag. 491. nobis eruditè & luculenter ex Nonni Dionyſiacis eruit. Sed quis ille homo ſerpentem ita ingentem occidit; ſi mihi conjecturæ locus, Cadmus eſt Europæ frater: ut autem illa in Sidoniis nummis à tauro rapta habetur, ita Cadmum Tyrii repræſentarunt; ambos enim Tyrus & Sidon ſibi vendicant. Cadmum ſaxo draconem interemiſſe tradit Nonnus Dionyſ. lib. 5.

ἰθυπόρῳ δὲ
Ἄκρα δρακοντείοιο καρήατος ἔθλασε πέτρῳ.
rectigrado verò
Summitatem draconei capitis fregit ſaxo.

Ita ſaxum cui ſerpens involutus, in Tyriorum nummis in memoriam Cadmi videtur percuſſum, de quo plura in Gordiani & Gallieni nummis.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter elegantiores numerandus.



TYRIORVM. Oleaſtri ramus in vaſe ſeu urna, in qua ſcriptum ΗΡΑΚΛΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. *Heraclia Olympia.*

Quin ad ludos pertineat vas cum ramo, nemo neſcit; ſed an epigraphe ΗΡΑΚΛΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ, duo illa arguat certamina, in Herculis memoriam dicta ΗΡΑΚΛΙΑ; hæc in Jovis Olympii hono-

honorem vocata ΟΛΥΜΠΙΑ, dubium quibusdam movet, præsertim cum eadem Tyrus nummum Caracallæ exhibuerit, in quo ΑΚΤΙΑ. ΗΡΑΚΛΙΑ. quæ certamina Apollini & Herculi ejusdem urbis Tutelaribus Diis attributa existimantur, ob duo vasa in illo Caracallæ nummo: urnarum enim numerum certamina indicare volunt, sed vas unum & unus oleastri ramus, hoc in Elagabali typo unum certamen Olympicum in Herculis honorem factum denotat, uti Illustr. Spanhemius in ep. ad Andr. Morellium, Isthmios & Pythios ab Ancyranis ad honorem Æsculapii factos affirmat in nummo Caracallæ cum duabus urnis & epigraphe ΑΣΚΛΗΠΙΑ CΩΤΗΡΕΙΑ. ΙΣΘ. ΠΥΘΙΑ. Nil mirum si certamina in Jovis Olympii memoriam Tyri instituta sint, ille enim pervetus erat urbis tutelare numen. Josephus enim Hiramum Tyriorum Regem ejus templum aggere urbi adjunxisse narrat lib. I. contra Apionem. Ἀβιβάλου τελευτήσαντος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος ἐβασίλευσεν. Οὗτος τὰ πρὸς ἀνατολὰς μέρη τῆς πόλεως προσέχωσε, καὶ μεῖζον τὸ ἄστυ πεποίηκε, καὶ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς τὸ ἱερὸν καθ' ἑαυτὸ ὂν ἐν νήσῳ, χώσας τὸν μεταξὺ τόπον, συνῆψε τῇ πόλει, καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασιν ἐκόσμησεν. *Abibalo moriente, filius ejus Hiramus regnavit: hic partes Orientales civitatis ampliavit, urbem potiorem fecit, & Olympii Jovis templum, quod in insula situm erat, jactis aggeribus urbi adjunxit, & aureis anathematibus exornavit.* Paulò pòst idem auctor Regem in hoc templo auream columnam locasse tradit. Οὗτος ἔχωσε τὸν Εὐρύχωρον, τόν τε χρυσοῦν κίονα τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν. *Hic aggere conjunxit Eurychorum, aureamque ibi columnam Jovis in templo reposuit.* Rex etiam Hiramus Herculis & Astartes fana dedicavit. Oleaster ramus pro præmio victorum Olympionicorum ab Oraculo designatus est: cùm enim ad illud Rex Iphitus misisset, respondisse Pythiam, ne in posterum malo victores coronarentur, sed sylvestris olivæ fructu, narrat Phlegon Trallianus libell. de Olympiis.

Ἴφιτε μήλειον καρπὸν μὴ θῇς ἐπὶ νίκῃ.
Ἀλλὰ τὸν ἄγριον ἀμφιτίθει καρπώδη ἐλαιῶν.

Hic nummus secundæ magnitudinis, mutilus à Patino vulgatus pag. 335. pro rarissimo habendus.



METR. TYRO. COLO. *Metropolis Tyro Colonia.* Silenus humeris utrem hircinum gestat, dextram in altum attollens, ante eum palma arbor, in area astrum & conchylium.

En Tyrii tandem nummus cum Metropolis epigraphe & Coloniæ titulo in Elagabali honorem signatus: si vera est de urbis dignitatibus ab Imperatore ob maximum ejus erga Macrinum studium sublatis, sententia; ipsi tandem Principis indulgentiâ restitutæ videntur. Vir ille in nummo cælatus, non fructus è palma legit, ut refert P. Harduinus pag. 514. sed Silenus est, in Tyriorum nummis frequens, ab ipsis summa veneratione cultus, dextram versus astra attollit, in quorum numerum locatum fuisse diximus in Bacchi gratiam, cujus fuit nutritius. Palma arbor, Phœniciæ insigne est; ut & conchylium, perpetuum Tyri symbolum. Astrum in honorem Elagabali hìc percussum est, ut nummi ejus S. C. signati sæpe exhibent.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino mutilus pag. 331. vulgatus, pro raro numeratur.



Capita Elagabali radiati, & Mæsæ ejus aviæ jugata. Detrita est epigraphe.

SEPT. COLON. METROP. TYRI. *Septimia Colonia Metropolis Tyriorum.* Diana dextrâ elatâ telum, sinistrâ clypeum, pro pedibus cervus.

Alter Tyriorum nummus, in quo ab una parte caput Mæsæ cum inscriptione IVLIA MAESA AVG. & ex altera Elagabali effigies cum epigraphe TYRIORVM, impulit, ut hanc principem fœminam Elagabali aviam, potiùs quàm Soœmiadem ejus matrem, cum Imperatore signatam in hoc nummo existimemus: illa enim nepotem Elagabalum ad Imperium evexit, ut narrant omnes Historici, inter quos audias Capitolinum in vita Macrini. *His Mæsa, dixit, Bassianum filium esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mæsa ipsa ditissima, ex quo etiam Heliogabalus luxuriosissimus, qua promittente militibus, Legiones abductæ sunt à Macrino.* Nil mirum igitur si Tyrii Augustam illam cum Elagabalo, cui Imperium ille debebat, simul in nummo conjunxerint, præsertim cùm ipsimet ipsius beneficiis plurimum essent devincti. Diana in

in aversa parte, simili modo effecta est, quo illa Laodiceæ maritimæ in Syria colebatur, ex Susis in illam urbem à Seleuco Nicatore olim asportata, ut narrat Pausanias in Laconicis. Tyrii ipsius cultum forsan à Laodicenis acceperunt.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rarissimos computandus.



IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput Elagabali laureatum.

SEP. TYRVS. METR. COLO. *Septimia Tyrus Metropolis Colonia.* Templum tetrastylum à latere, in imo conchylium.

Tyrii idem templum in Elagabali nummis exhibent, quod in Macrino cælarunt, à latere scilicet, & sine ulla figura in illius aditu, unde suspicati sumus illud esse Herculis, præcipui hujus apud Tyrios numinis, ut innuit Strabo lib. 16. pag. 757. Τιμᾶται δὲ καθ' ὑπερβολὴν Ἡρακλῆς ὑπ' αὐτῶν. *Colitur apud eos Hercules majorem in modum.* Nonnus Dion. lib. 4. hunc Deum urbem super rupes instabiles Tyrios condere jussisse memorat.

Πήξατε δ' ἀμφοτέρῃς ἐπικείμενον ἄστυ κολώναις.

Figite verò utrisque incumbentem urbem rupibus.

Josephus hoc templum Herculi mense Peritio Hiramum Regem ædificasse tradit contra Apionem pag. 1043. Καὶ τὸ μὲν τοῦ Ἡρακλέους πρῶτον ἐποιήσατο ἐν τῷ Περιτίῳ μηνὶ, εἶτα τὸ τῆς Ἀστάρτης, ὁπότε Τυρίοις ἐπεστράτευσεν, μὴ ἀποδιδοῦσι τοὺς φόρους· οὓς καὶ ὑποτάξας ἑαυτῷ πάλιν ἀνέστρεψεν. *Herculis primùm exstructo mense Peritio, deinde Astartes: quando castra movit adversus Tyrios, minimè tributa reddentes: quos etiam subdens sibimet, denuo remeavit.* Templum ex latere signatur, ut ejus structura undique perspiciatur.

Hic nummus secundi & minimi moduli rarus est & elegans.

IMP. CAES. M. AVR.
ANTONINUS
PIVS FELIX AVG.
PONTIF. MAX. GERM. MAX.
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V.
COS. IV. PROQ. COS. PP. ET
M. AVRELIVS
ALEXANDER
GERM. MAX. DACICVS MAX.
PRINCEPS IVVENTVTIS
LITVS VICINVM VIAE SEVERIANAE
ASSIDVIS MARIS ADLVENTIS
FLVCTIBVS AD LABEM RVINAE
LABEFACTATVM AGGERIBVS
MARINI OPERIS A FVNDAMENTIS
VT PERICVLVM COMMEANTIBVS
ABESSET EXTRVI CVRARVNT.

Apud Gruterum pag. CLXIII. 8.



JULIA PAULA.



JULIA PAULA à plurimis Antiquariis pro secunda Elagabali uxore constituitur, & Anniam Faustinam primam existimant; nos verò Juliâ Paulâ præmissâ, Anniam Faustinam Imperatoris istius tertiam tantùm conjugem cum Herodiano existimamus. Juliam verò Paulam ex Cornelia gente fuisse nummi nos edocent.

JULIÆ PAULÆ *nummi sunt rarissimi, licèt ex omni forma reperiantur.*

NISIBIS.



ΙΟΥΛΙΑ. ΚΟΡ. ΠΑΥΛΑ. CEB. Caput Juliæ Corneliæ Paulæ.

CEΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕΣΙΒΙ. Σεπτιμίας Κολωνίας Νέσιβι. *Septimiæ Coloniæ Nisibis.* Caput muliebre velatum & turritum, supra quod Aries.

Nisibis urbs est Mesopotamiæ, olim Antiochia Mygdonum dicta, cujus meminit Plutarchus in Lucullo pag. 514. Καὶ πόλιν ἐν αὐτῇ μεγάλην, καὶ πολυάνθρωπον ἔχουσαν, ἣν οἱ μὲν βάρβαροι Νίσιβιν, οἱ δ' Ἕλληνες Ἀντιόχειαν Μυγδονικὴν προσηγόρευον. *In qua urbs ampla & populosa erat, Nisibin barbari, Græci vocabant Antiochiam Mygdonicam.* Hanc à Sept. Severo Coloniam deductam *Septimiæ* gentis ejus nomen indicat, ad Parthorum incursiones reprimendas, & urbs tanquam Imperii præsidium & propugnaculum esset, de qua Dio lib. 75. pag. 849. Ὁ δὲ Σεβῆρος ἀξίωμα τῇ Νισίβει δοὺς, ἱππεῖ ταύτην ἐπέτρεψεν· ἔλεγέ τε μεγάλην τε τινὰ χώραν προσκεκτῆσθαι, καὶ πρόβολον αὐτὴν τῆς Συρίας πεποιῆσθαι. *Severus Nisibi magnam dignitatem dedit, eamque urbem commisit Equiti Romano: quumque dicere soleret, se magnam regionem adjunxisse Imperio, eamque propugnaculum Syriæ effecisse.* Nisibenses beneficiorum memores, Elagabalo ejus nepoti credito gratulantes, nummos suos ipsius uxori Augustæ percusserunt. Caput turritum, urbis Genius est. Aries, anni initium à Vere Nisibenses dinumerare indicat.

Hic nummus secundæ magnitudinis rarissimus est.



CEΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕCΙΒΙ. Σεπτιμίας Κολωνίας Νέσιβι. *Septimiæ Coloniæ Nisibis.* Caput idem in templo tetrastylo seu quatuor columnarum.

Elagabalus Juliam Paulam cum magna solemnitate & gaudio uxorem duxit, teste Dione lib. 79. pag. 911. Ἔγημε δὲ Κορνηλίαν Παῦλαν, ἵνα δὴ θᾶσσον (ὥσπερ ἔφη) πατὴρ γένηται, ὁ μηδ' ἀνὴρ εἶναι δυνάμενος. *Corneliam Paulam duxit in matrimonium, quo fieret pater, sicuti dicebat, celeriùs; qui ne vir quidem esse poterat.* Caput muliebre in templo, Genius est urbis, tutelare ejus numen, cui Nisibenses templum, ut & aliæ ejus tractus urbes, ædificarunt. Urbium autem Genii vario modo apud populos effingebantur, hos in Syria, Phœnicia, & Mesopotamia sub muliere turrita depictos in eorum nummis observamus; modò integra monticulis insidens, modò pectore tenus. Aries in Histo-

ria nostra de Syriæ Regibus pag. 342. anni initium ad Nisan, Æquinoctio verno, cùm Sol hoc signum ingreditur, in Syriæ nummis denotat; Nisibenses illum signant, ut se eodem tempore annum inchoare demonstrent, non ut Chaldæi, Judæi, & alii, qui Æquinoctio autumnali illum inchoabant.

Hic nummus mediocris formæ elegantissimus est.

SIDON.



IVLIA. PAVLA. AVG. Caput Juliæ Paulæ.

COL. AVR. PIA. METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Astarte tutulata stans in templo tetrastylo, dextrâ scipionem, lævâ colligit pallium, à sinistris Victoria cippo imposita ipsi coronam porrigit, pro pedibus signum Sileni.

Sidon urbs Phœniciæ antiquissima, cum Tyro de primatu contendens, Metropolis facta, & Colonia ab Elagabalo deducta, nummos Juliæ Paulæ uxori ejus dedicavit memor: illam Herodianus fœminam illustrissimam appellat lib. 5. pag. 568. Ηγάγετο δὲ γυναῖκα τὴν εὐγενεστάτην Ρωμαίων· ἣν Σεβαστὴν ἀναγορεύσας. *Duxit præterea uxorem illustrissimam fœminam Romanam, quam etiam Augustam appellavit.* Idem templum Astartes in Elagabali Sidoniorum nummis jam prodiit, hanc Deam in Syria & Phœnicia maximè cultam diximus, cujus templum Tyro Hiramum Regem ædificasse narrat Josephus: an ejus cultum Tyrus ex Sidone habuerit, incertum est, licèt Tyrus filia Sidonis sit, teste Trogo l. 18. c. 3. *Post multos deinde annos à Rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulsi, Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* Victoria cippo imposita Astartæ coronam imponit, quòd tutelaris Deæ auxilio Phœnices longè latèque Colonias victoriæ suæ monumenta per totius Orbis partes deduxerint. Silenus in nummo ponitur, ut alter Deus in urbe cultus, sed longè minor tanquam inter Semones positus, qui parvi Dei videntur ab Horatio lib. 3. dicti, cùm alii selecti à Romanis præcipui & summates, qui haberent ampliorem potestatem, appellati sint.

Hic nummus majoris formæ, Sidone inventus, & à D. Bernier D. Medico Thesauro Regio additus, eximiæ raritatis & elegantiæ est.



COL. AVR. PIA. METR. SID. *Colonia Aurelia Metropolis Sidon.* Simulacrum Astartes in curru sacro.

Jam sacrum Astartæ currum in Elagabalo memoravimus. Illa medio corpore cum radiis circa caput conspicitur. *Astarte*, ut scribit Theophilus, *simulacrum Veneris, quæ colebatur à Sidoniis, astri figura: ipsum verò astrum Venerem putant, nomine* ἑωσφόρος. Ideo caput ejus radiis circumdatum est. Astartes meminit Ælianus, qui eam Syriam Deam vocavit, id quod & Lucianus de Dea Syria, qui hanc & Lunam videtur existimare. Herodianus in vita Elagabali Venerem illam à Phœnissa Didone Afris donatam, Uraniam vocari, à Phœnicibus autem Lunam, tradit lib. 5. p. 569. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι, Φοίνικες δὲ Αστροάρχην ὀνομάζουσι, Σελήνην εἶναι θέλοντες. *Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Jam alicubi diximus ex Bocharto, Astroarches nomen ab Astarte detortum. Multis probat Scaliger Uraniam esse Lunam, de qua Euthymius. Τὸ δὲ Κύβαρ μεγάλη, ἤτοι Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. *Cubar verò magna; eadem quæ Luna & Venus.* Quomodo vetus poëta Philochorus in Atthide apud Macrobium Satur. l. 3. c. 8. *Venerem .... eandem affirmat esse Lunam.* Ideo Astartes seu Lunæ simulacrum Sidonii forsan signarunt in nummo Paulæ uxoris Elagabali Solem maximè venerantis, ut de ipso Herodianus loco cit narrat. Αρμόζειν τοίνυν λέγων ὁ Αντωνῖνος γάμον ἡλίου καὶ σελήνης. *Congruere igitur aiebat Antoninus matrimonium Solis & Lunæ.*

Hic nummus primæ magnitudinis; etiam à D. Bernier Thesauro Regio donatus, eximiæ raritatis est.

TROAS.



IVLIA PAVLA. A. Caput Juliæ Paulæ.
COL. ALEX. AVG. *Colonia Alexandria Augusta.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Colonia Troas, olim *Alexandria* dicta, illud nomen in gratiam Caracallæ Principis de se benè meriti iterum accepit; ille autem se Alexandrum appellaverat, uti narrat Xiphilinus pag. 428. Καὶ οὐδὲ ταῦτα μέντοι αὐτῷ ἐξήρκεσεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον Εῷον Αὔγουστον ἐπεκαλεῖτο· καί ποτε τῇ βουλῇ ἔγραψεν, ὅτι ἐς τὸ σῶμα αὖθις τὸ τοῦ Αὐγούστου εἰσῆλθεν, ἵνα ἐπειδὴ ὀλίγον τότε χρόνον ἐβίω, πλείονα αὖθις δι' ἐκείνου ζήσῃ. *Quibus rebus minimè contentus, sese Alexandrum Orientalem Augustum appellavit, scripsitque aliquando ad Senatum, animum Alexandri in corpus Augusti introïsse, ut, quoniam illi fuerat vita brevis, in hoc viveret diutius.* Troadenses Alexandriæ igitur nomen usurparunt in Elagabali & ejus uxoris nummis, tanquam Caracallæ filio gratulantes. Lupa, frequens non modo Coloniarum, sed ipsius Troadis symbolum.

Hic nummus minimi moduli rarissimus est.



IVLIA. PAVLA. AVG. Caput Juliæ Paulæ.
COL. ALEX. AVG. *Colonia Alexandria Augusta.* Equus pascens.

Alexandria Troas in hoc Juliæ Paulæ nummo, equum pascentem immunitatum symbolum exhibere videtur, Augustæ blandiens, tanquam eorum privilegia, de quibus abunde dictum est in Commodo & aliis, ipsius commendatione fuerint confirmata: cùm enim vectigalia, tributa, aliorumque onerum remissiones, gratuita essent munificentissimi Imperatoris beneficia, à successore Augusto confirmatione opus habere videbantur, quandoquidem hæc modo ab Imperatoribus concessa, modò abolita aut minuta noverimus. Epistolam Hadriani Imp. de Alexandria Ægypti apud Vopiscum in vita Saturnini legas. *Huic ego cuncta concessi, vetera privilegia reddidi, nova sic addidi, ut præsenti gratias agerent.* Imperatores autem de urbium immunitatibus nutu & arbitrio suo statuebant. Equus pascens, non tantùm de vehiculatione & cursu publico aut fiscali in Troadensibus intelligendum, sed de omni munere publico sublato, secundùm Taciti verba, qui eos à Claudio immunes factos tradit, ut jam diximus.

Hic nummulus in Thesauro Mauroceno, pro elegantissimo habendus.



JULIA AQUILIA SEVERA.




QUILIA SEVERA Veſtalis, Goltzii, Occonis, Gottifredi, Spanhemii, aliorumque inſignium Antiquariorum exemplo, uxor Elagabali ſecunda à nobis conſtituitur: divortio enim ille cum Julia Paula facto, Severæ nupſit, quam diu non retinuit, ſed Anniam Fauſtinam, & aliam duxit, deinde iterum ad Severam rediit, quam uſque ad ipſius necem cum eo vixiſſe confirmant Severæ nummi Græci cum L. E. id eſt, an. V. ſignati, cùm ille tantùm V. Tribunitiam poteſtatem inchoaverit.

AQUILIÆ SEVERÆ *nummi primæ magnitudinis hactenus non obſervati ſunt; ſecundæ & minimæ, raritatis eximiæ & præſtantiæ habentur.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΙΟΥΛ. ΑΚΟΥΙΛΙΑ. CΕΟΥ. CΕΒ. Caput Juliæ Severæ.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗ. ΚΟ Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. Mulier turrita inſidens monticulis, dextrâ ſpicas, pro pedibus fluvius. In area S. C. & Δ. E.

Antiochia Syriæ ad Orontem fluvium condita eſt, cujus meminit Auſonius de cl. Urb.

Antiochiam urbem Syriæ pertranſit Orontes.

Illa monticulis inſidens, ipſius ſitum in colle ſeu clivo arguit. Antiochenſes Elagabalo adulantes, nummos cuderunt Juliæ Aquiliæ ejus uxori, quam ex Veſtalium ſacrario abduxerat, Dione teſte in ejus vita pag. 911. Ἀκυλίᾳ Σεβήρᾳ συνῴκησεν, ἐκφανέστατα παρανομήσας· ἱερωμένην γὰρ αὐτὴν τῇ Ἑστίᾳ, ἀσεβέστατα ᾔσχυνε. *Aquiliam Severam duxit aperte contra jus faſque, eam enim habuit cum probro & dedecore, quum eſſet virgo Veſtalis.* Figura turrita, perpetuum eſt Antiochiæ urbis ſymbolum. De notis S. C. & Δ. E. *Senatuſconſulto, & Tribunitia poteſtate*, ſæpius dictum eſt: hæ autem ad facultatem monetæ cudendæ jam à Pompeii ævo conceſſam ſpectant.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

PTOLEMAIS.



IVL. AQVIL. SEVERA. AVG. Caput Aquiliæ Severæ.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Fortuna ſtans in templo.

Ptolemaidenſes Phœniciæ Elagabalum popularem ſuum ad Imperium evectum glorianteſ, ipſi liben-

libenter & ejus uxoribus nummos percusserunt; in hoc Fortuna in templo conspicitur, tanquam esset tutelaris Coloniæ Dea: frequens enim in eorum nummis ipsa occurrit, variis templis decorata, quorum alterum in Elagabalo octo columnis, hoc autem quatuor suffultum est, sed Victoria adstans in cippo, Astartæ coronam porrigit, ut in Tyriis & Sidoniis nummis: an hoc peculiare urbium Phœniciæ symbolum ob limites ampliatos, & Colonias longè latèque deductas, uti sumus augurati; seu quòd Fortuna sub variis nominibus coleretur, qualis Bona, Conservatrix, Fortis, Mascula, Obsequens, Virilis, ut videre est apud Lilium Giraldum Syntagm. 16. Præcipua sunt hujus Deæ insignia, temo & cornucopiæ, ejus in mari & in terra potentiam denotantia. Artemidorus Daldianus Fortunam juvenem mulierem describit. *Spes virgo, Diana, & Minerva. Spes quidem ridens, Diana casta facie, Minerva Gorgon intuens, Fortuna mulier juvenis, vetus Vesta,* &c.

Hic nummus mediocris moduli, eximiæ raritatis est & elegantiæ.

TROAS.



AQUILIA SEVERA. A. Caput Aquiliæ Severæ.
COL. ALE. AVG. *Colonia Alexandria Augusta.* Caput muliebre turritum.

Troas urbs Phrygiæ minoris, quæ olim ab Alexandro *Alexandria* dicta fuerat, à Ptolemæo adhuc lib. 5. cap. 2. Ἀλεξάνδρεια Τρῳάς vocata est; sed in nummis, ante Caracallam, qui se Alexandrum credi voluerat, *Alexandriæ* nomen non accepit: in Elagabalo autem & ejus uxoribus modò se Troadem, modò se Alexandriam appellavit, Imperatori blandiens, qui Caracallæ filium haberi ambiebat. Caput illud, Genius est urbis, adulantes verò Coloniæ, sæpe Augustarum vultum sub Genii effigie repræsentarunt, tanquam sub illius tutela & patrocinio urbes suas traderent. Dii autem erant locorum, regionum, & urbium apud Græcos & Latinos, quos hi Tutelares, Genios, & Custodes nuncupabant, de quibus passim. Caput turritum est, sub cujus imagine urbes repræsentabantur, quia turribus circa mœnia cingebantur, teste Ovidio 3. Amor. Eleg. 7.

Quid tibi turritis incingere mœnibus urbes?

Hic nummus inter rarissimos locandus.



AQVIL. SEVERA. AVG. Caput Aquiliæ Severæ.
COL. ALE. TROA. *Colonia Alexandria Troas.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo; ponè eam vexillum.

Troadenses frequenter Lupæ cum puerulis Romulo & Remo typum in nummis cælarunt, sed præsertim in Elagabalo & ejus uxoribus Paula & Severa; Lupæ additum est vexillum, illa togatorum Civium symbolum, hoc Veteranorum insigne: Coloniæ enim plurimæ ex civibus, & militibus simul condebantur, sicque Romana gens communione viris, & stirpis augendæ causâ; propagabatur, & Coloni Romanis debebant ea quæ liberi parentibus, si quædam pietas & memoria antiquæ patriæ in iis esset. Veterani propriè erant, qui stipendia legitima confecerant, adhuc tamen sub vexillo continebantur, quoad militiæ præmia, Coloniasque acciperent, ab omni interim onere immunes.

Hic nummus minimi moduli rarissimus & elegantissimus est.

TYRUS.



IVL. AQVILIA SEVERA AVG. Caput Aquiliæ Severæ.

TYRIORVM. Aſtarte in templo ſex columnarum dextram imponit trophæo, ſiniſtrâ ſcipionem, ex adverſo Victoria cippo impoſita ei coronam porrigit, in imo ara inter palmam arborem, & conchylium.

Tyrii Phœniciæ idem Aſtartes urbis ſuæ tutelaris Deæ templum in nummis Elagabali cælarunt, quod iterum in Aquilia Auguſta exhibent; eam tanquam alteram tutelarem Deam venerantes. Vide quæ de Aſtartes templo à vetuſtiſſimo Tyriorum Hiramo Rege condito diximus. Dea trophæo manum imponit, & à Victoria coronatur tanquam victrix limitumque propagatrix, quaſi ejus auxilio & ope Phœnices tam longè lateque fines ampliarint, & Colonias deduxerint. De quibus Salluſtius de bel. Jugurthino. *Poſtea Phœnices, alii multitudinis domi minuendæ gratiâ, pars Imperii cupidine ſollicitata plebe, & alii novarum rerum avidi in ora* (Africæ) *maritima condidere.* Tyrii nummos Aquiliæ Severæ forſan dedicarunt, ad dignitatem Metropolis ab Elagabalo ademptam, ejus interventu recuperandam, quam tandem obtinuerunt. Palma & conchylium, Tyri ſymbola ſunt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis rariſſimus & præſtantiſſimus eſt.



TYRIORVM. Serpens prægrandis lapidi involutus, hinc conchylium, inde palma arbor.

Serpentem hunc lapidi involutum, in nummis Elagabali, urbis antiquitatem indicare diximus: Tyrii enim egregia Agenoris ſui vetuſtiſſimi Regis filiorum opera exhibent, modò Didonem Carthaginis mœnia condentem, modò Cadmum ejus fratrem horrendum ſerpentem ſaxo occidentem repræſentant; at ut frequenter clava pro Herculis ſigno, & arcus pro Apollinis ſymbolo occurrunt, ita ſaxum cum ſerpente pro Cadmi facto in Tyriorum nummis ſignatur. Alii Didonem Sidoniam, alii Tyriam fuiſſe exiſtimant; Bochartus idem de Cadmo refert, & Sidonium potiùs quàm Tyrium contra numiſmatum fidem contendit in part. 2. lib. 1. cap. 19. *Cadmum alii è Tyro, alii è Sidone arceſſunt. Quibus habenda potior, quia Cadmi ævo nondum Tyrus erat condita. Regis filium Græci faciunt, ut ſuo honori conſulant, quia regnavit in Græcia.* Sidonii apud Athenæum Euhemero Coo μάγειρον Coquum nominant: coquere tamen vulgò occidere eſt apud D. Hieronymum, qui voces Hebraïcas, שר טבחים interpretatur, *Magiſtrum militum & Principem exercitus.* Cadmonæi autem cum Hævæis iidem erant. Nec jam obſcurum cur in ſerpentes fingantur eſſe mutati, Hævæi enim erant, & חויא Hevæus Syris eſt ſerpens. De palma & conchylio Tyri inſignibus ſæpius dictum.

Hic nummus minoris formæ rariſſimus & elegantiſſimus eſt.



TYRIORVM. Arbor, cui involutus ſerpens inter duos prægrandes lapides, in imo canis & conchylium.

Hic typus ad Tyri urbis originem ſpectat; lapides illi ſunt ambroſiæ petræ, inter quas olivæ ramus enatus eſt, cui ſerpens involutus. Has autem ſtabiles Tyrii Herculis juſſu Diis ſacra facientes reddiderunt. Hunc Aquiliæ Severæ nummum interpretatus eſt Eques Patinus ex Tyri Hiſtoria à Nonno Dionyſ. 40. relata, quam Triſtanus tom. 1. pag. 491. primus indicavit, ubi Poëtam falſa aut parum probabilia tradere à quibuſdam inſimulatum notat, ſed multa cum nummis noſtris conveniunt, quid enim ad iſtius explicationem felicius?

Εἰσόκε χῶρον ἵκοισθε μεμορμένον, ὁππόθι δισσαὶ
Ἀστάθέες πλωίουσιν ἀλήμονες εἰν ἁλὶ πέτραι,
Ἃς φύσις Ἀμβροσίας ἐπεφήμισεν.

Donec in locum veniatis paratum, ubi geminæ
Inſtabiles navigantibus vagæ in mari petræ,
Quas natura Ambroſias celebravit.

Et paulò pòſt olivam & ſerpentem enarrat.

...... πεφιδήσεται ἔρνος ἐλαίης,
Καὶ φυτὸν ὑψιπέτηλον ἕλιξ ὄφις ἀμφιχορεύει.

...... *circum nutrit ramum olivæ,*
Et arborem alta folia habentem volubilis ſerpens circumſaltat.

Præcepit Hercules, ut Tyrii ſuper has petras urbem conderent.

Πήξατε δ' ἀμφοτέραις ἐπικείμενον ἄστυ κολώναις.

Figite verò utriſque incumbentem urbem rupibus.

Canis prope conchylium ſignatus eſt, ut primus purpuræ inventor; ille enim iis comeſtis ore purpurato ad herum rediit.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 338. ſingularis elegantiæ & raritatis eſt.



ANNIA FAUSTINA.



HERODIANUS in Hiſtoria ſui temporis Anniam Fauſtinam ad Commodum ſuum genus referentem, pro tertia Elagabali uxore aſſerit. Πλὴν καὶ ταύτην [οὐ] μετ' οὐ πολὺ ἀπεπέμψατο· τρίτην δὲ πάλιν ἠγάγετο, ἀναφέρουσαν τὸ γένος εἰς Κόμμοδον. *Sed eam paulò pòſt dimiſit; tertia uxore ducta, quæ referre ſuum genus ad Commodum dicebatur.* Ejus meminit Dio Caſſius, quam Pomponii Baſſi uxorem fuiſſe tradit, ſed quota hæc fuerit, haud memorat. Anniæ Fauſtinæ nummi cùm vix Romæ percuſſi occurrant, paulò poſt nuptias dimiſſam confirmant.

ANNIÆ FAUSTINÆ *nummi ejuſdem ſunt quàm Paulæ & Aquiliæ raritatis & elegantiæ; ſed ſecundi & minimi moduli tantùm reperiuntur.*

B E R Y T U S.



ANNIA FAVSTINA AVG. Caput Anniæ Fauſtinæ.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Aſtarte ſtans & tutulata in templo tetraſtylo, dextrâ ſcipionem, à ſiniſtris Victoria columnæ impoſita ei coronam porrigit.

Anniæ Fauſtinæ nomen nec Dio, nec Herodianus proferunt, ſed hic illius genus ad Commodum referri, ille M. Antonini ejus patris neptim narrat. Καὶ τοῦ Ἀντωνίνου τοῦ Μάρκου ἀπόγονος ἦν. *Et M. Antonini neptis erat.* Quod Anniæ & Fauſtinæ nomina declarant. M. Aurelius autem ex Annia gente oriundus, in familiam Aureliam adoptatus eſt, & Fauſtinæ cognomen commune erat ejus proaviæ Ant. Pii uxoris, & aviæ M. Aurelii conjugis, illi Vibiam Aureliam Sabinam Aurelii & Fauſtinæ quartam filiam tribuit Triſtanus tom. 2. pag. 341. quem ſequutus eſt Patinus. Berytenſes Elagabali ſtudioſi, in ipſius cum Fauſtina matrimonii memoriam nummos ſuos tunc uxori Auguſtæ adulantes cuderunt, Aſtarten ſeu Venerem tutelarem urbis ſuæ Deam pro typo ſignantes, quaſi Annia Fauſtina altera eſſet Venus, nam Dio eam forma eximia præditam eſſe narrat. Τὴν δέ τι καὶ ἕτερον αἰτίαμα τῷ Βάσσῳ, ὅτι γυναῖκα εὐπρεπῆ καὶ εὐγενῆ εἶχε. *Quanquam erat alterum crimen in Baſſo, quod pulcherrimam uxorem atque nobiliſſimam habebat.* De Aſtarte Beryti culta ſæpius dictum eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis rariſſimus & elegantiſſimus eſt.

P T O L E M A I S Phœniciæ.



ANNIA FAVSTINA AVG. Caput Anniæ Fauſtinæ.

COL. PTOL. *Colonia Ptolemais* vel *Ptolemaidenſis.* Fortuna ſtans in templo tetraſtylo, dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ, coronatur à Victoria columnæ impoſita.

Prole-

Ptolemaidenses, ut alii Phœniciæ Coloni, Elagabali devoti, ejus uxores tanquam urbis suæ Genios sub Fortunæ effigie in nummis exhibuerunt, quam pro tutelari Dea colebant. Illa frequens in iis occurrit, seu sola, seu in templo; sed hic nummus id unum singulare habet, quòd Victoria columnæ imposita, Fortunæ ut Astartæ coronam porrigat, & nostram sententiam de hac victoria non ad Imperatorem spectante, sed ad antiqua Phœnicum per totum Orbem bello parta confirmat, nam illa comes omnibus Phœniciæ urbium tutelaribus numinibus adhibetur. Fortunam Lacedæmonii admota manu invocabant, id significantes, sic quidem Deos invocari debere, ut simul & nos quoque nostram addamus operam, alioqui nostra frustra esse vota.

Hic nummus mediæ formæ rarissimus & præstantissimus est.

SIDON.



ANNIA FAVSTINA AVG. Caput Anniæ Faustinæ.

COL. METR. SID. *Colonia Metropolis Sidon.* Colonus dextrâ baculum agens boves, pone quos vexillum in quo LEG. III. PAR. *Legio Tertia Parthica.*

Sidonii beneficiorum Elagabali memores, nummos ipsius uxoribus, sed præsertim Anniæ Faustinæ percusserunt. In hoc Colonus agit boves in memoriam fundationis Coloniæ à munificentissimo Imperatore, qui etiam illam Metropolim Phœniciæ pronunciavit, ablata priùs (ut suspicati sumus) Tyro dignitate, licèt ipsi tandem restituta fuerit, ad exemplum Antiochiæ sub Severo. LEG. III. PAR. titulus in vexillo scriptus, nomen est Legionis, ex qua veterani milites Sidonem ab Elagabalo transmissi sunt. Septim. Severus, cùm motibus civilibus contra Pescennium & Albinum plurimi milites essent extincti, & bellum contra Parthos bellicosos populos gerere decrevisset, tres novas Legiones instituit, quas, ut iis animum adderet, quasi jam de hostibus victoriam reportassent, *Parthicas* appellavit: bello autem feliciter confecto, primam & tertiam in Mesopotamia hiemare voluit, ut in Elagabalo diximus pag. 128. Ex hac enim cùm plurimi milites essent veterani, eos Elagabalus in Coloniam à se constitutam non multum ab hibernorum loco remotam locare voluit.

Hic nummus mediocris moduli integerrimus, eximiæ raritatis est & elegantiæ.



C. A. PI. MET. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Variæ sunt inscriptiones. Europa tauro vecta, peplum manibus tenens.

Plerique Coloni cùm Augustis fœminis nummos suos consecrarunt, Deas seu Heroinas suas repræsentare in iis consueverunt, Sidonii in hoc typo Europam Agenoris Phœniciæ vetustissimi sui Regis filiam exhibent: hæc autem adeo formosa fuisse perhibetur, ut Jupiter ejus amore captus, sub tauri figura transformatus illam rapuerit. Nonnus Dionys. lib. 1.

Ὁλκάδα ταῦρον ἔχουσα, βοοστόλος ἔπλεε νύμφη.

Navim Taurum habens, à bove portata navigabat Nympha.

Theocriti Scholiastes puellam nomine Angelo, Jovis & Junonis filiam, matri pigmentum subreptum, Europæ dedisse narrat Idyll. 2. Κλέψαι τὸ τῆς Ἥρας μύρον, ᾧ τὸ πρόσωπον αὐτῆς αἴθειν ἦν χριόμενον, καὶ δοῦναι Εὐρώπῃ τῇ Φοίνικος θυγατρί. *Junonis pigmentum surripuisse, quo peruncta faciei splendorem conciliabat, & Europæ dedisse Phœnicis filiæ.* Sidonii per Europæ raptum ob eximiam ejus formam à Jove commissum, forsan Imperatorem excusare voluerunt, quòd Pomponio Basso uxorem pulcherrimam abstulisset; vel potiùs Europam egregiâ formâ Nympham in nummo signarunt, Anniæ Faustinæ pulchritudini alludentes.

Hic nummus minimæ formæ rarissimus est.

SOL.



COL. AVR. PIA. METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Simulacrum Aſtartes medio corpore tenus in curru.

Jam prodiit hic currus ſacri typus in Elagabali nummis, quem ad Aſtartes per urbem vectæ pompam ſpectare ſuſpicati ſumus. Nil mirum ſi Sidonii in Anniæ Fauſtinæ gratiam modò Europam eximiâ formâ inſignem, modò Venerem ipſam in nummis cælarint, illam tanquam alteram amorum & formæ Deam exiſtimantes, quia mulieres nihil æquè cupiunt quàm formoſas haberi & laudari. Simulacrum Aſtartes pectore tenus eſt in curru, ſed adeo parvum, ut in nummis cujuſvis moduli quomodo formatum ſit, non facilè obſervari poſſit.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis in cimelio M. Ducis, eximiæ raritatis eſt.



COL. AVR. PIA. METRO. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Laurea in qua CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. *Certamina Sacra Periodonica, Oecumenica, Iſelaſtica.*

Hæc ludorum epigraphe jam in nummis Elagabali cum duabus urnis obſervata, illos matrimonii Anniæ Fauſtinæ tempore à Sidoniis celebratos denotat: duæ illæ urnæ duo certamina indicant, ſed quorum nobis nomina ſunt ignota, licèt adeo celeberrima, ut victores omnium ſacrorum certaminum, & ex toto terrarum Orbe Athletæ ad illa fuerint admiſſi, quod *Periodonica* & *Oecumenica* voces ſonant, nam *Periodonicæ* illi dicebantur, qui Pythia, Iſthmia, Nemæa & Olympia obiviſſent; Οἰκουμενικὸς verò, Lat. *univerſalis*, & ad totum Orbem pertinens. *Sacra* etiam vocata erant hæc certamina, & *Iſelaſtica*; *Sacra* quidem, quia illa omnia in Deorum honorem erant inſtituta, unde eorum victores ἱερονῖκαι dicti: *Iſelaſtica* verò à verbo εἰσελαύνειν, quòd qui omnia certamnia vicerant, in urbem ſuam curru eſſent invecti, unde Athletarum privilegia, quorum meminit Suetonius in Auguſto. *Athletis & conſervavit privilegia & ampliavit.* Quæ de his ſacris confirmat Julianus epiſt. pro Argivis. Τεττάρων γὰρ ὄντων, ὡς ἴσμεν, τῶν μεγίστων καὶ λαμπροτάτων ἀγώνων περὶ τὴν Ἑλλάδα, Ἠλεῖοι μὲν Ὀλύμπια, Δελφοὶ δὲ Πύθια, καὶ τὰ ἐν Ἰσθμῷ Κορίνθιοι, Ἀργεῖοι δὲ τὴν τῶν Νεμέων συγκροτοῦσι πανήγυριν. πῶς ἂν εὔλογον ἐκείνοις μὲν ὑπάρχειν τὴν ἀτέλειαν τὴν πάλαι δοθεῖσαν; *Cùm enim ſint quatuor (ut ſcimus) maxima & clariſſima certamina in Græcia, Elei Olympia, Delphi Pythia, Corinthii Iſthmia, Argivi Nemea conficiunt & curant. Quæ igitur æquitas eſt, manere illis immunitatem olim conceſſam?* Corona laurea pro victorum præmio videtur appoſita.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, eximiæ raritatis & elegantiæ eſt.



ANNIA FAVSTINA A. Caput Anniæ Fauſtinæ.
COL. ALEX. TROA. *Colonia Alexandria Troas.* Apollo muliebri habitu baſi impoſitus, dextrâ pateram, lævâ arcum, ante eum tripus.

Troadenſes quantopere fuerint Elagabali ſtudioſiſſimi, colligere eſt ex eorum nummis ipſi & ejus uxoribus dicatis: licèt enim ille frequentes confecerit nuptias, ipſi ſubitò in Paulæ, Severæ, & Fauſtinæ honorem percuſſere numiſmata, quæ nobis Auguſtarum illarum effigies exhibent, &

 præſertim

præſertim hujus ultimæ iconem, cujus raritatem effecit breve ejus cum Elagabalo matrimonium. Troadenſes Apollinis tutelaris Dei ſignum cælarunt, ante quod tripus, in memoriam nimirum ſacrificii pro Annia Fauſtina à ſe perpetrati. Apollo muliebri ornatu veſtitus arcum gerit, quem ideo jaculantem appellat Homerus Iliad. 1.

Μῆνιν ἀλευόμενος ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος.

Indignationem devitans longè jaculantis Apollinis.

Sic enim Apollinem à Trojæ mœnibus Patroclum repuliſſe narrat Poëta.

Hic nummus minimæ formæ, ſingularitatis eximiæ eſt & raritatis.

IMP. CAES. DIVI ANTONI
NI PII. MAGNI.. FIL.
DIVI. SEPTIMI. SEVERI
PII. NEPOTI. M. AVRE
LIO ANTONINO
P. FEL. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. II. COS. II.
PROC. P. P.
FORTISSIMO FELICISSI
MOQUE PRINCIPI
ORA M. P.
XXII.

Apud Gruterum pag. 158.



JULIA SOÆMIAS.



JULIA SOÆMIAS Elagabali mater, à Julio Avito patre *Julia* dicta videtur, ut illius mater Mæſa à Julio Baſſiano patre *Julia* etiam vocata eſt. Soæmias autem ut fugientibus militibus retentis filium ad Imperium evexit, ita eorum iram ad ipſius necem pravis ſuis moribus tandem excitavit.

JULIÆ SOÆMIADIS *nummi eximiæ ſunt raritatis & elegantiæ, ſed majores hactenus non obſervati, medii verò & minimi moduli tantùm occurrunt.*

S I D O N.



IVLIA SOAEMIAS. AVG. Caput Soæmiadis.
COL. AVR. PIA METRO. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Currus in quo Aſtartes ſignum medio corpore.

Sidon urbs Phœniciæ antiquiſſima, apud Eſaiam Tyri mater dicta eſt, quam ſententiam confirmat Trogus lib. 18. cap. 3. *Poſt multos deinde annos à Rege Aſcaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulſi, Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* Ipſi autem Metropolitæ & Coloni ab Elagabalo facti, beneficiorum memores, ipſi & toti ejus familiæ nummos cuderunt, præſertim Soæmiadi ejus matri, cui filium Imperatorem valdè deditum narrat Lampridius in ejus vita. *Hic tantum Semiamiræ matri deditus fuit, ut ſine illius voluntate nihil in Republica faceret.* Sidonii Aſtartes ſeu Veneris ſignum in pompa per urbem curru tranſvexiſſe videntur, cujus memoriam in nummis ſuis conſignarunt. *Aſtarte*, ut ſcribit Theophilus, *ſimulacrum Veneris, quæ colebatur à Sidoniis, aſtri figura; ipſum verò aſtrum Venerem putant, nomine* ἑωσφόρος. Vel forſan illi Soæmiadem eximiæ formæ principem fœminam tanquam alteram Venerem & quidem Uraniam colentes, apud Syrios enim Aſtarte eadem quæ Venus cæleſtis. Herodianus in vita Elagabali lib. 5. pag. 569. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι· Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι. *Hanc Afri Uraniam vocant; Phœnices Aſtroarchen.* Illi Romanos imitati, in quorum nummis Soæmiadi percuſſis VENVS COELESTIS inſcripta eſt, formoſam fuiſſe Soæmiadem tradit idem Herodianus in Macrino loquens de Mæſa pag. 563. Ἐπιφοιτῆσαι γὰρ αὐτὸν ταῖς θυγατράσιν αὐτῆς, νέαις τε οὔσαις καὶ ὡραίαις. *Quippe cum ſuis filiabus, adoleſcentulis adhuc & formoſis rem illum habuiſſe.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, ſingularis elegantiæ & raritatis eſt.



COL. AVR. PIA METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Diverſæ ſunt epigraphæ & typi. Tria ſigna militaria.

Deſcriptus fuit ſimilis nummus in Elagabalo, quem ad Veteranos Legionis Parthicæ in Coloniam ab

ab Elagabalo Sidonem tranſmiſſos ſpectare diximus : id nos docuit vexillum in quo epigraphe LEG. III. PAR. legebatur. Hæc Legio à Septimio Severo inſtituta eſt, dum bellum contra Parthos gerere decrevit, bello verò confecto eam in Meſopotamiam pro illius ſecuritate hiemare juſſit. Elagabalus illius milites qui ſtipendia impleverant, in Coloniam à ſe ductam avi ſui Severi memor tranſmiſit. Coloni autem militares Imperatoris matri gratiam agentes, quòd ejus forſan interventu Coloniam eſſent adepti, nummum cum ſuis inſignibus in ejus honorem percuſſerunt.

Hic nummus minoris formæ, raritatis eximiæ eſt & ſingularitatis.

TROAS.



IVL. SOEMIAS. AVG. Caput Soæmiadis.

COL. ALEX. TROA. *Colonia Alexandria Troas.* Apollo ſtans ſupra cippum, dextrâ pateram, lævâ arcum, ante illum tripus, in aliis ara.

Troadenſes nummos dedicarunt Soæmiadi magnæ auctoritatis apud filium matri; Lampridium audias. *Ubi primùm diem Senatus habuit, matrem ſuam in Senatum rogari juſſit.* Apollo tutelaris urbis Deus, cum Neptuno Trojæ muros confecit, teſte Colutho de raptu Helenæ verſ. 272.

Ἴλιον ἣν πύργωσε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων.

Troja, quam turribus munivit Neptunus & Apollo.

Tripus ante Apollinem, ſacra pro Mæſa à Troadenſibus facta denotat.

Hic nummus minimæ molis, maximi eſt momenti & raritatis.



JULIA MÆSA.



JULIA MÆSA ſoror erat Juliæ Domnæ, mater Juliæ Soæmiadis, & Juliæ Mammææ, avia Elagabali & Alex. Severi, quos ambos opibus & prudentiâ ad Imperium Romanum evexit, ſed illos ex ipſo deturbavit, Elagabalum ſcilicet, matris Soæmiadis impudentia, & Alexandrum Mammææ avaritia. Julia Mæſa nomen à gente Julia habuit, cognomen verò *Mæſa* à dignitate, nam Syriâ Linguâ idem ſonat ac Sol, cujus erat Sacerdos.

JULIÆ MÆSÆ *nummi ex omni modulo obſervantur, ſed eximiæ ſunt raritatis & elegantiæ.*

ANTIOCHIA Piſidiæ.



IVLIA MAESA AVG. Caput Juliæ Mæſæ.

COL. ANTIOCHENS. *Colonia Antiochenſis.* Mulier ſtolata ſtans, dextrâ pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ.

Ad Antiochiam Piſidiæ, cognomine Cæſaream pertinet nummus, & non ad Antiochiam Syriæ, cujus nummi cum caracteribus Græcis, & Metropolis titulo ſemper inſcripti ſunt. Populi omnes Mæſam venerantur; illa enim nepotes ad Imperium evexerat, ut de Elagabalo hæc narrat Herodianus lib. 5. pag. 564. Τῇ ᾗ Μαισῇ ἐλέγετο σωρὸς εἶναι χρημάτων· ἐκείνην δὲ ἑτοίμως πάντα προέσθαι τοῖς στρατιώταις, εἰ τὴν βασιλείαν τῷ γένει ἀνανεώσαιτο. *Porro etiam acervos habere nummorum Mæſa dicebatur, facilèque omnes militibus elargitura, ſi modò Imperium ſuæ ſoboli reſtitueretur.* Antiochenſes Auguſtam principem, tanquam urbis Genium in nummis exhibuerunt : figura enim muliebris illa, Genius eſt, pateram tenet ad ſacrificia quæ illi fiebant ex mero & floribus, ut tradit Horatius in Epiſt.

Floribus & vino Genium memorem brevis horæ.

Siniſtrâ cornucopiæ gerit, quòd omnium gignendarum rerum Deus crederetur, ex quo abundantia maxima.

Hic nummus ſecundæ & minimæ molis inter rariſſimos numerandus.

EDESSA.



ΙΟΥΛΙΑ ΜΑΙΣΑ CΕΒΑCΤΗ. Caput Juliæ Mæſæ.

ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Ἐδεσσηνῶν. Mulier ante arulam patrio veſtitu ornata & turrita, montibus inſidens, quibus ſiniſtrâ innititur, dextrâ ſiſtrum gerit, pro pedibus, enatantis fluvii figura, in area quatuor aſtra vel ſtellæ.

Edeſſa in Meſopotamia urbs Oſrhoënorum, Metropolis à Caracalla & Colonia conſtituta, fundatoris materteræ gratulans, nummos ſuos dedicat. Mulier turribus ornata, Genius eſt urbis,

montibus

montibus inſidet, ſitum arguens in clivo, illam Bambycam & Hierapolim vocat Strabo lib. 16. p. 748. Ἡ μὲν οὖν ἀνάβασις τοῦ Εὐφράτου κατὰ τὴν Ἀνθεμουσίαν ἐστὶν αὐτοῖς, τόπον τῆς Μεσοποταμίας· ὑπέρκειται δὲ τοῦ ποταμοῦ· σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν. *Euphratem tranſeunt juxta Anthemuſiam in Meſopotamia. Quatuor Schœnorum ſpatio trans flumen eſt Bambyca, quam Edeſſam & Hierapolim quoque, id eſt ſacram urbem, vocant.* Fluvius ad pedes mulieris, non igitur eſt Euphrates, ſed Chaboras in eum defluens. Genius gerit ſiſtrum, Iſidis inſigne, hanc Deam in hac urbe ſummopere cultam ſeu tutelarem eſſe indicans. Quatuor in area ſtellæ, an ad Edeſſam urbem ſpectent, an ad Elagabalum Deum, cujus erant Sacerdotes Elagabalus & Alex. Severus, Mæſa, & forſan alterutrius mater. In Elagabali uxorum & ejus matris nummis Romanis aſtrum ſeu ſtella exhibetur, hoc verò numiſma ſub Alexandro cuſum ſuſpicamur, cùm hæc aſtra in Edeſſenorum nummis Alex. Severo & Mammææ matri dicatis frequenter occurrant. Mæſa autem Elagabalo ſuperſtes fuit, teſte Herodiano in Alexandri Severi vita lib. 6. pag. 574. Ἡ μὲν Μαισὰ, πρεσβύτις ἤδη οὖσα, ἀνεπαύσατο τοῦ βίου· ἐτυχέ τε βασιλικῶν τιμῶν, καὶ, ὡς νομίζουσι Ῥωμαῖοι, ἐξεθειάσθη. *Mæſa jam extremæ ſenectutis, diem ſuum obiit, honores adepta Imperatorios, atque (ut mos Romanis eſt) inter divas relata.*

Hic nummus primæ magnitudinis, in Cimelio R. P. de la Chaiſe Regi à confeſſionibus, eximiæ raritatis eſt.

SIDON.



IVL. MAESA. AVG. Caput Juliæ Mæſæ.

COL. AVR. PIA. METR. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Currus ſacer, in quo Aſtartes ſignum medio corpore.

Sidon Phœniciæ urbs beneficiorum ab Elagabalo acceptorum memor, ille enim eam non modò Metropolim Phœniciæ conſtituerat, ſed Coloniam deduxerat, nummos ſuos ergo conſecrat Imperatoris matri Auguſtæ, quam Herodianus lib. 5. mulierem acerrimam vocat. Ἀλλὰ τὰς ἐπιβουλὰς πάσας ἀπειργέ τε καὶ ἐκώλυεν ἡ κοινὴ μάμμη ἀμφοτέρων Μαισὰ, γυνὴ καὶ ἄλλως ἐντρεχής. *Sed omnes inſidias arcebat prohibebatque Mæſa, mulier alioqui acerrima.* Sidonii in nummo tutelarem Deam Aſtarten exhibuerunt adulantes Mæſæ, quaſi ipſa tutelaris eſſet eorum civitatis numen. Aſtarten verò, alii Venerem, alii Junonem eſſe exiſtimabant. D. Auguſtinus in lib. Judic. Junonem eſſe putavit. Plutarchus in Craſſo pag. 553. Junonem vel Venerem. Γίνεται δὲ πρῶτον αὐτῷ σημεῖον ἀπὸ τῆς θεοῦ ταύτης ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν ..... νομίζουσι. *Omen primum ei offertur ab hac dea, quam Venerem, alii Junonem ..... arbitrantur.* In Mæſæ nummis Romanis IVNO inſcribebatur.

Hic nummus majoris moduli, ſingularis elegantiæ eſt.



COL. AVR. PIA. MET. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Tria ſigna militaria.

Tria hæc ſigna militaria Patinus ad Legiones quæ in Syria erant revocat; ſed illa ad Veteranos Sidonem tranſmiſſos ab Elagabalo ſpectare diximus, tum ex civibus togatis, cùm ex militibus: hos quidem ex Legione III. Parthica nos docuiſſe nummos vidimus, quorum mentionem facit vetus inſcriptio Romæ ab Onuphrio allata in lib. de Imperio Rom. pag. 205.

L. AVRELIO. L. F. PAP. FAVORI.
VETERAN. LEG. III. PARTHIC. P. F.
ET. A. LOCIS. AEGRIS. CVST.
LEG. EIVSDEM.

Tertia hæc Legio nomine *Parthica*, Gallieni tempore, & prima hujus nominis, exauctoratæ, aut nomina mutaſſe videntur, cùm ſola II. Parthica inter alias fere omnes hujus ævi Legiones in ipſius Imperatoris nummis reperiatur: hæc Centaurum ſagittam ex arcu emittentem exhibet ob Parthicæ nomen, quòd Parthi eximii eſſent Equites, & Sagittarii.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 340. vulgatus, inter præſtantiſſimos collocandus.

TYRUS.

IULIA MAESA AVG. Caput Juliæ Mæſæ.
TYRIORVM. Caput Elagabali laureatum.

Tyrum Phœniciæ urbem pro Macrino acriter contra Elagabalum ſtetiſſe, ex Dione novimus; ipſius Metropolis dignitatem Sidoni alteri urbis Phœniciæ celeberrimæ & vetuſtiſſimæ, imò ejus matri dictæ tributam ſuſpicamur, olim Severus Antiochiæ Peſcennii partium fautrici privilegia & immunitates abſtulit, quæ Laodiceæ conceſſit, ad id nos movent in plurimis ipſius nummis ſola *Tyriorum* epigraphe, & nulla Metropolis & Coloniæ mentio, quorum titulorum urbes adeo erant ſtudioſæ, ut pro iis inter ſe bella ſæpe moverent. Tyrii autem Mæſæ benevolentiam ſibi conciliare volentes, ejus caput in digniore nummi parte collocarunt, quippe enim apud nepotem, quem ad Imperium evexerat, plurimùm valebat auctoritas; nam illa Elagabalo perſuaſit, ut Alexandrum conſobrinum duobus annis juniorem Cæſarem faceret, teſte Herodiano in illius vita pag. 570. Πείθει αὐτὸν (κοῦφον ἄλλως καὶ ἄφρονα νεανίαν) θέσθαι υἱὸν Καίσαρα δὲ ἀποδεῖξαι, τὸν ἑαυτοῦ μὲν ἀνεψιὸν, ἐκείνης δὲ ἔκγονον, ἐκ τῆς ἑτέρας θυγατρὸς Μαμαίας. *Perſuadet levi alioqui ſtolidoque adoleſcenti, ut ſibi conſobrinum ſuum nepotemque ipſius, ex altera filiarum Mammæa prognatum adoptaret, & Cæſarem declararet.* Dignitates Tyro, an Mæſæ interventu, ab Elagabalo ſunt tandem reſtitutæ.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, raritatis eſt & elegantiæ.

INCERTUM.

In Cimelio Exc. Hier. Corrari Senatoris Veneti.

ALEX. SEVERUS.





Lexander, à parentibus dictus *Alexianus*, in Aureliam verò gentem ab Elagabalo adoptatus, *Alexandri* nomen tulit, quòd in templo Alexandri M. natus esset, & tunc vocatus est *Aurelius Alexander Cæsar :* cùm verò Imperator proclamatus est, *Severi* cognomen in memoriam avi sui Sept. Severi assumpsit, nec illi à militibus ob austeritatem datum. Mesopotamiam à Parthis fugato eorum Rege Artaxerxe recuperavit, Coloniam Bostram Arabiæ urbem deduxit, emeritis militibus in eam partim deductis, exercitum verò ad bellum Germanicum duxit, in quo tumultuario impetu cùm Tribunitiam potestatem xiv. suscepisset, à militibus interemptus est.

Alexandri Severi *nummi ex omni modulo frequentes & obvii.*

ANTIOCHIA Pisidiæ.



IMP. CAES. SEVER. ALEXANDER. AVG. Caput Alexandri Severi laureatum.

COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæsarea Antiochensis.* In imo s. r. Lupa sub arbore ubera puerulis præbet.

Antiochia hæc Pisidiæ, non autem Syriæ tribuenda, ut placet Tristano, qui nummum vulgavit tom. 2. pag. 397. Pisidica Plinio Cæsarea nominatur lib. 5. cap. 27. *Pisidæ, quorum Colonia Cæsarea, eadem Antiochia.* Syriaca verò Metropolis inscribitur, & Græcam epigraphen præfert. Arbor sub qua Lupa cum puerulis, ficus est, circa quam Romulus & Remus abjecti sunt. *Ruminalis* dicta teste Livio Dec. 1. lib. 1. *Ita velut defuncti Regis Imperio, in proxima alluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt.* Antiochenses hunc typum cælarunt, tanquam Coloni Romani, quorum solitum est, ut sæpius diximus, symbolum: an aliquod illi ab Alexandro beneficium acceperint, vel ipsius tantùm studiosi, incertum est, erat ille *cunctis hominibus amabilis*, teste Lampridio in ejus vita. De vocibus s. r. pag. 74. diximus.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariores collocandus.



IMP. CAES. SEV. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæsarea Antiochensis.* In imo s. r. Fluvius barbatus decumbens, dextrâ arundinem, sinistro brachio urnæ aquas vomenti innixo.

Senilis hæc figura Fluvii decumbentis, Antiochiam Cæsaream ad fluvium aliquem sitam esse denotat, qui Mæander esse videtur; in nummis enim barbata effigie exhibentur fluvii in mare delabentes. In imo collis forsan ille præterlabitur, in qua urbem esse sitam memorat Strabo lib 12. pag. 577.

pag. 577. Η δ' ἐπὶ λόφȣ ἔχȣσα ἀποικίαν Ῥωμαίων· ταύτην ἔκτισαν Μαγνῆτες οἱ, πρὸς Μαιάνδρῳ. *Hæc in colle sita, & Coloniam habens Romanam; hanc Magnetes condiderunt, qui ad Mæandrum habitabant.* Antiochia ad Mæandri ortum versus montes in tabulis Geographicis ponitur, nummus autem ejus situm ad fluvium indicat.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro rarissimo habendus.

ANTIOCHIA Syriæ.





ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. CΕ. Caput Alex. Severi laureatum, in aliis radiatum.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗ. ΚΟ. In aliis ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΟΝ. Diversæ sunt epigraphæ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολονίας. In area S. C. Δ. Ε. Mulier habitu patrio, turrita, insidens rupibus, quibus illa lævâ innititur, dextrâ spicas gerit, pro pedibus Fluvius, in quibusdam Aries in vertice.

Solitus est hic Antiochiæ Syriæ typus: figura muliebris turrita, Genius est urbis; insidet montibus, ob ejus in clivo situm; spicas gerit, propter frumenti in agro suo abundantiam; pro pedibus Fluvius, Orontes est ejus mœnia alluens. Antiochenses autem nummos Alex. Severo præsertim cudisse videntur, quòd ille Syrus esset, licèt Lampridio teste, Syrus dici nollet. *Syrum se dici noluit, sed à majoribus Romanum. Et stemma ejus depinxerat, quo ostendebatur genus ejus à Metellis descendere.* De vocibus S. C. Δ. Ε. sæpius diximus.

Hic nummus primæ & secundæ formæ obvius & tritus.



Α. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. CΕ. Caput Alex. Sev. laureatum.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗ. ΚΟΛΟ. ΔΟC. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. an. 274. in imo S. C. Mulier turrita & velata insidet montibus, à dextris Fortuna, stans dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ, à sinistris verò Imperator paludatus pariter stans, dextrâ verò coronam imponit mulieri montibus insidenti.

Cùm Alex. Severus esset Syrus, beneficium aliquod Antiochiæ Syriæ Metropoli contulisse denotat insolens ille typus in ipsius honorem ab ea percussus, in quo ille Genio urbis tanquam tutelari Deo coronam imponit. Speciosum fuisse Genii templum tradit Amm. Marcellinus lib. 21. *Reversus ex comitatu Principis, cum transiret per speciosum Genii templum.* Fortuna Imperatori comes assistit, quia veteres illam humanarum rerum regimen habere existimabant, unde in nummis Romanis frequens est epigraphe, FORTVNA. AVG. in Græcis, ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. *Bona Fortuna.* Litteræ numerales ΔΟ C. annum 274. æræ Antiochenæ signant. Antiochenses autem ingenio leves & mutabiles, varias in nummis æras computarunt. Prima ab ipsis signata est sub Regibus suis à condita Antiochia. Secunda cum epigraphe αὐτονόμȣ, Principibus suis expulsis, & Syriâ in provinciam redactâ, an. U. C. 641. Tertia post interfectum Pompeium, qui Antiochiam suis legibus uti concesserat, nimirum sub Jul. Cæsare an. U. C. 705. juxta mentem Evagrii, cùm ille Consul esset cum Vatia. Quarta denique sub Augusto, quando ille Antonio fugato ad Actium solus Imperii rector extitit, cujus rei luculenti testes sunt eorum nummi cum hac epigraphe, ΕΤΟΥΣ ΝΙΚΗΣ, *Anno victoriæ*, urbis nimirùm conditæ 723. Sed eam etiam mutarunt sub Vespasiano, extinctis post Neronem Cæsaribus, Julianâ iterum receptâ, ut hic nummus & alii confirmant. Itaque si anno U. C. 705. hujus epochæ initio addideris annos in Alex. Severo signatos 274. simul juncti efficient annum U. C. 979. in quo Tribuniciam potestatem III. agebat.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro habendus.

Hic Lectorem per Antiochensium æram in nummis sub Syriæ Præsidibus percussis signatam, D. N. Jesum Christum sub Augusto, Syriam regente Varo an. U. C. 749. natum nos cognovisse monemus; de quo fusiùs in Dissertatione particulari, aut in 2. de Syriæ Præsidibus tomo, quem aliquando sumus edituri.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΣΕΒ. Caput Alex. Severi laureatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Variæ ſunt epigraphe. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως κολωνίας, & non uno verbo ΜΗΤΡΟ Κολωνίας, ut ſcribit Eq. Patinus in Theſ. Mauroceno pag. 134. Caput muliebre turritum & velatum, ſupra quod in vertice nummi Aries. In area S. C. Δ. E.

Plurimi nummi in Alexandri Severi honorem ab Antiochenſibus percuſſi occurrunt, ſive quòd ille Imperator, Syrus eſſet, ſive quòd beneficia Antiochiæ contuliſſet, ſive ob ejus in urbem ingreſſum dum contra Parthos bellum ſuſcepit, cujus meminit Herodianus lib. 6. pag. 579. Πλείστην τε δύναμιν κἀκεῖθεν ἀθροίσας ἐς τὴν Ἀντιόχειαν ἀφίκετο. *Magnis inde viribus collectis, Antiochiam contendit.* In hanc etiam urbem confecto bello illum rediiſſe narrat Lampridius in ejus vita. *Fuſo denique, fugatoque tanto Rege ..... ſtatim Antiochiam rediit.* Caput turritum & velatum, Genius eſt urbis, principum civitatum inſigne. Aries in vertice, Antiochenſes annum ſub hoc inchoaſſe, ut ſæpe diximus, denotat.

Hic nummus majoris formæ frequens & obvius.

B O S T R A.



IMP. CAES. SEV. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COLONIA BOSTRA. Caput Jovis Ammonis.

Boſtra urbs Arabiæ Petrææ, quam Trajanus per Palmam Syriæ Præfectum Pop. Romano acquiſivit, de qua Dio lib. 68. pag. 777. Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον καὶ Πάλμας τῆς Συρίας ἄρχων τὴν Ἀραβίαν τὴν πρὸς τῇ Πέτρᾳ ἐχειρώσατο, καὶ Ῥωμαίων ὑπήκοον ἐποιήσατο. *Per id tempus Palma Præfectus Syriæ, cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegitque in ditionem Populi Romani.* Boſtra ab Alex. Severo deducta eſt Colonia, ut infrà oſtendemus : ergo P. Harduinus pag 98 nummum cum hac epigraphe, COL. F. BOSTRA. ALEXAND. Aquiliæ Severæ perperam tribuit, ille in Theſauro Regio nunquam extitit. Jupiter cornu arietino ornatus, vocatur Ammon, quod ſub ſpecie arietis cultus ſit, ſic dictus, quod ſitienti Libero Patri in Arabiæ deſertis, Jovemque imploranti, apparuerit in forma arietis, terramque concutiens pedibus, fontem oſtenderit, quamobrem illic templum Liber ædificavit : nil mirum igitur ſi Ammon in Arabiæ urbe Boſtra colatur. De Ammone Lucianus lib. 9.

Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, ac Indis unus ſit Jupiter Ammon.

Hic nummus minimi moduli rarus eſt & elegans.



COLONIA BOSTRA. Silenus ſtans dextram attollit, humero ſiniſtro utrem hircinum gerit.

Boſtram Arabiæ urbem vocat *inſignem* Amm. Marcellinus lib. 14. *Hæc quoque civitates habet, inter oppida quædam, ingentes Boſtram & Geraſam atque Philadelphiam murorum firmitate cautiſſimas.* Arabes Bacchum coluiſſe narrat Nonnus, qui res geſtas ejus deſcripſit. Boſtra Silenum ejus Pædagogum pariter venerata eſt. Silenum Bacchi etiam Sacerdotem appellat Jul. Maternus. *Poſt hoc*, inquit, *extruit templum, & Pædagogum pueri conſtituit Sacerdotem : huic Silenus fuit.*

Hic nummus minimæ formæ inter conſpicuos collocandus.



N. TR. ALEXANDRIANAE COL. BOSTR. *Nerviæ Trajanæ Alexandrianæ Coloniæ Boſtræ.* Colonus agens boves.

Reſtituenda ut ſuprà apud Erizzum prava hæc nummi epigraphe M. TR. ANDRIANAE COL. POST.

Nomen Alexandrianæ, quod veteri Nerviæ Trajanæ appellationi adjunxit Colonia Boſtra, ipſam ab Alexandro Severo deductam arguit, idque Coloni boves agentis typus in nummo ſignatus confirmat. Græca ejus urbis in Commodo epigraphe, NE. TP. BOCTPA circa Camelum; malè apud Patinum pag. 264. N. TR. BOCTRA. vulgata eſt, & illius perperam *Novæ Trajanæ* interpretatio, cùm nummus ille ſit Græcus, uti Holſtenius pag. 72. & P. Harduinus pag. 98. agnoſcunt; ſed hi eandem *Novæ* & Νέας explicationem reddunt; quem errorem à Triſtano pag. 426. omnes hauſiſſe videntur; ille autem Boſtram ob Trajani nomina, Coloniam ab eo factam protulit, ſed cùm epigraphe Græca ſit, & urbs Coloniæ titulum non habeat, pace tantorum virorum, Boſtram Coloniam ab eo deductam fuiſſe minimè probant, imo inſcriptio ejuſdem urbis in Caracallæ nummo Regio à P. Harduino ibid. vulgato A. TYXH BOCTPΩN. circa caput turritum, Coloniam ſub hoc Imperatore nondum accepiſſe evincit: in qua ſententia fuiſſe videtur Ill. Spanhemius Diſſ. 9. pag. 776. qui Boſtram à Nerva Trajano ornatam, ſed ſine Coloniæ jure & cognomento, & primum dictam in Alexandri nummis Coloniam aſſerit. Boſtra autem Nerviæ Trajanæ nomen accepiſſe videtur ob beneficium ab Imperatore collatum poſt acquiſitam per Palmam ejus Legatum Arabiam. Tantum fuit erga Trajanum Alexandri Severi ſtudium, ut honoris causâ, ſi Lampridio fides, ipſius nomen omnibus ædificiis ab illo exſtructis, quæ collabentia reſtituit, reſervare voluerit. *Pontes quos Trajanus fecerat, inſtauravit penè in omnibus locis: aliquos etiam novos fecit, ſed inſtauratis* NOMEN TRAIANI *reſervavit.* Nil mirum igitur ſi Nerviæ Trajanæ appellationem Boſtræ reliquerit, & hoc Alexandrianæ gentis ſuæ nomen nummo tantùm addiderit.

Hic nummus primæ magnitudinis, ab Erizzo pag. 478. *vulgatus, & in Cimelio Mediceo reconditus; eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.*



COLONIA BOSTRA. Caput turritum modio ornatum, pone quod cornucopiæ.

Caput turritum, urbis ſymbolum eſt; turribus quidem ornatum, ut una ex primariis civitatibus, Boſtram autem inter Arabiæ inſignes ab Amm. Marcellino nominatas ſuprà diximus, Damaſcius apud Photium, civitatem à Severo factam narrat. Απεδήμησεν εἰς τὰ Βόςρα τῆς Ἀραβίας πόλιν μὲν οὐκ ἀρχαίαν ὑπὸ τοῦ Σεβήρου τοῦ Βασιλέως πολίζεται, φρούριον δὲ παλαιόν. *Exonerat ſe in Boſtra Arabiæ, quæ ſub Severo Imperatore in civitatem redacta eſt, cùm olim præſidium fuiſſet.* Per civitatem Damaſcius intelligere videtur, Boſtram jus civium Romanorum ab Alexandro accepiſſe, cùm olim Præſidium fuiſſe notet. Ptolemæus autem l. 5. c. 17. eam appellat, Βόςρα Λεγίων. *Boſtra Legio*, ſic forſan vocata eſt, ob Legionem II. Trajanam fortem à Trajano conſtitutam in hac urbe hiemare juſſam, quam Dio l. 55. p. 564. *Ægyptiam* vocat. Τραιανὸς τὸ δεύτερον τὸ Αἰγύπτιον, καὶ τὸ τριακοστὸν, τὸ Γερμανικόν· ἃ καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐπωνόμασεν. *Trajanus ſecundam Ægyptiam, & trigeſimam Germanicam, quibus à ſuo nomine nomen impoſuit.* Ob illud forſan beneficium Nerviæ Trajanæ nomina aſſumpſerat. Cornucopiæ poſt caput ſignatum, urbem rebus omnibus ad vitam neceſſariis abundantem denotat.

Hic nummus minimæ molis pro raro numeratur.

CÆSAREA *Palæstinæ.*



IMP. C. SE. ALEXANDER. Caput Alex. Severi laureatum.

C. PR. F. CAES. METROPOL. In aliis C. P. F. A. FEL. CAES. METR. *Colonia prima Flavia Augusta Felix Cæsarea Metropolis.* In area S. P. Q. R. Aquila alis expansis.

Cæsarea Palæstinæ urbs, in hoc Alex. Severi nummo Metropolis dignitatem præfert, quam ab ipsius Imperatoris munificentia accepisse videtur. Sept. Severus Laodiceam Metropolim Syriæ secundam, & Tyrum Phœniciæ constituit; Caracalla Emesam Mesepotamiæ cis Euphratem, Elagabalus Sidonem Phœniciæ secundam, Alexander verò Cæsaream Palæstinæ, illa jam sub Vespasiano caput erat Palæstinæ apud Tacitum hist. lib. 2. *Discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream, illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* Utrùm à Syria sejuncta Judæam, Samariam, Galilæam, Idumæam, & Decapolim ut olim complexa sit. Aquila Imperium Romanum denotat, velut epigraphe S. P. Q. R.

Hic nummus minimi moduli nec rarus, nec obvius est.

CARRHÆ.



AYT. K. M. AYP. AΛEΞANΔPOC. Alexander medio corpore tenus, dextrâ hastam, lævo humero clypeum gerit.

KOA. MH. KAPPHNΩN. Κολωνίας Μητροπόλεως Καῤῥηνῶν. Mulier turrita insidens rupibus, dextrâ spicas, pro pedibus Fluvius enatans, in area arula ignita.

Carrhæ urbs Mesopotamiæ suos Alexandro Severo nummos præsertim dedicavit, cùm ille contra Artaxerxem Persam, qui Artabano Parthorum Rege interfecto, & Imperio ad Persas iterum translato, Romanas provincias vastabat, profectus, Mesopotamiam ingressus est, ut innuit Herodianus lib. 6. pag. 582. Γενόμενος δὲ ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ ὁ Ἀλέξανδρος, αὐτός τε ῥᾳδίως ἐπεῤῥώσθη τῷ εὐψυχεῖ καὶ ἐνύδρῳ τῆς πόλεως, μετὰ τὸ ἐν Μεσοποταμίᾳ ξηρὸν αὐχμὸν, τούς τε στρατιώτας ἀνεκτᾶτο. *Ut verò Antiochiam pervenit Alexander, facilè & ipse convaluit, spiritu illo cœli, & aquarum abundantiâ, post æstuosos Mesopotamiæ calores refectus, & milites universos recreavit.* Mulier turrita, Genius est urbis, illa turribus ornatur, qualem decet Metropolim. Fluvius pro pedibus situm ejus indicat; illa enim ad Chaboram in Euphratem sese exonerantem sita est. Arula sacrificia pro salute ægrotantis Alexandri perpetrata denotat.

Hic nummus mediocris moduli obvius & frequens est.



Eadem epigraphe. Caput Alexandri Severi laureatum.

KAPPA. KOA. MH. MEC. Δ. Κάῤῥα Κολωνία Μητρόπολις Μεσοποταμίας Δευτέρας. Mulier ut suprà rupibus insidens, quibus lævâ innititur.

Insignis est hic Carrharum urbis nummus, qui eam Κάῤῥα pro Κάῤῥαι, & Mesopotamiæ Metropolim secundam nominat : cùm enim littera Δ. in ambitus circulo posita sit, præsertim sine præcedentibus ET. vel L. notis, illa proculdubio Δευτέρας exponenda est, nec annum 4. denotare potest, quod sanè nostram de Emisa prima Mesopotamiæ Metropoli cis Euphratem sententiam confirmat.

Mulier

Mulier illa turrita, Genius est, hujus tractus urbium solemne symbolum ; spicas gerit, ad denotandam frumenti in agro suo abundantiam : Carrhæ autem urbs Crassi clade & nece celebris est, de qua Plutarchus in ejus vita.

Hic nummus secundæ magnitudinis, pro rarissimo habendus.

COILLU.



IMP. C. ALEXANDER. Caput Alexandri Severi laureatum.
AEL. MVNICI. COIL. A. *Ælium Municipium Coillutanum Antoninianum.* Prora navis; desuper Cornucopiæ.

Coillu urbs Africæ ex præcipuis Numidiæ, ad confinia Mauritaniæ Cæsariensis, nummos suos, ut Alex. Severo obsequium suum testaretur, cùm Africa rebellione turbaretur, forsan percussit; Lampridius enim in ejus vita res novas in Mauritania esse compressas narrat. *Actæ sunt res feliciter, & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum.* Cave ne nummum cum P. Harduino p. 120. ad Cælium in Calabria haud procul Brundusio revoces. Coillutani proram navis in nummo ad situm indicandum cuderunt ; locata enim erat eorum urbs ad ostia Ampsagæ fluvii, in ora littorali maris Mediterranei, portu capaci gaudens, & ab ea sinus parvus adjacens dicitur hodie *Golfe de Colle.* Cornucopiæ supra proram, omnium rerum in agro suo abundantiam denotat. Cuillu purpurâ celebrem fuisse tradit Solinus cap. 28. *Dein Cullu purpurario fuco Tyriis velleribus comparata.* De *Antoniniani* cognomine dictum est in Elagabalo.

Hic nummus minimæ formæ inter raros reponendus.

DEULTON.



IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton* vel *Deultana.* Diana venatrix gradiens, telum è pharetra depromit, lævâ arcum, pro pedibus canis venaticus.

Deulton urbs Thraciæ, Colonia à Vespasiano deducta, unde *Flaviæ* & *Pacensis* nomina, *Flaviæ* quidem à gente Flavia, *Pacensis* verò à Deæ Pacis cultu, in cujus honorem ille templum Romæ erexit celeberrimum. Vox *Pacensis* à P. Harduino vindicata est pro *Pacifica* ab aliis malè usurpata. Deultani Alexandro Severo & Juliæ Mammææ ejus matri nummos dicarunt ob beneficium forsan ab eo acceptum. Lampridius autem in ejus vita, illum urbium vectigalia ad fabricas earum resarciendas concessisse narrat. *Vectigalia, civitatibus ad proprias fabricas deputavit.* Diana sui cultum in Colonia demonstrat : hæc venatricis habitu signata est, quia Dianam primam venationis inventricem tradunt. Canis ei comes datur, quòd illi Deæ sacri sint, teste Phornuto de Nat. Deor. *Cui concinit & illud, quod huic canes sacros esse putarint, qui ad venatum accommodi sunt, ac ad custodiam & ad latratum nati.*

Hic nummus secundi moduli rarus est nec obvius.

IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton*, vel *Deultana.* Genius cum modio in capite stans, dextrâ pateram super aram, lævâ cornucopiæ.

Genius à Deultanis in Alex. Severi nummo signatus est, Imperatori alludentibus, quòd ille tanquam tutelaris esset Coloniæ Deus. Genius enim cujusque loci Deus putabatur, & in cujus tutela omnia essent: ferè semper ille cum patera in morem sacrificantis depingitur: an sacrificium ipsi continuum, vel potiùs Imperatori faciendum denotet, illi quidem mero fiebat, ut tradit Persius.

Funde merum Genio. Et Horatius: *Cras Genium mero curabis.*

Cornucopiæ lævâ ad frugum omnium ubertatem indicandam gerit; Genius enim rerum omnium gignendarum vim habere existimabatur.

Hic nummus minimæ formæ inter raros ascribendus.



IMP. C. M. AVR. SE. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton*, vel *Deultana.* Fortuna stans, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Ut Genius in Deultanorum nummis Alex. Severo dicatis, tanquam ipse urbis suæ tutelaris Deus signatus est, simili modo Fortuna sub matris ejus Mamææ effigie in ipsis repræsentatur, tanquam ipsa, altera Coloniæ tutelaris Dea, Genius gignendarum rerum vim habet, Fortuna earum regimen, ideo utrique cornucopiæ pro symbolo tribuitur: ille pro Imperatoribus, hæc pro fœminis Principibus repræsentatur: at Fortuna in Alex. Severi nummis ob summam matris in Imperio auctoritatem, qua de re Herodianus in Alexandri vita fol. 575. Ἦρχε γὰρ αὐτοῦ καὶ ὑπερβαλλόντως ἡ μήτηρ, καὶ πᾶν τὸ κελευόμενον ἐκεῖνος ἐποίει· τοῦτο δ' ἄν τις μόνον ἔσχεν ἐγκαλέσαι αὐτῷ ὅτι δὴ ὑπὸ βελτίστης πρᾳότητος καὶ αἰδοῦς πλείονος ἢ ἐχρῆν, τῇ μητρὶ ἐν οἷς ἀπηρέσκετο, ὅμως ἐπείθετο. *Quippe illi mater supra modum imperitabat, ac dicto audientem semper habebat: ut hoc tantum reprehendi in Alexandro possit, quòd mansuetudine nimia, & reverentia majore quàm oportuit, etiam contra animi sui sententiam matri obsequeretur.* Romani & Græci Alexandrum & Mamæam simul in nummis exhibuerunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus, nec obvius est.



IMP. CAES. SEV. ALEXANDER. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton*, seu *Deultana.* Tres figuræ muliebres nudæ sese amplectentes.

Tres hæ mulieres nudæ, Charites sunt in Deultana Colonia cultæ, ut & in aliis Thraciæ urbibus observantur, teste Valeriani nummo Byzantii cuso, in quo illæ similiter exhibentur. Gratiæ Jovis filiæ aliquibus ex Eurynome Oceani filia dictæ sunt, primum his templum extruxisse Eteoclem Orchomeniorum Regem tradit Strabo lib. 9. pag. 414. Ἐτεοκλῆς δὲ τῶν βασιλευσάντων ἐν Ὀρχομενῷ τις Χαρίτων ἱερὸν ἱδρυσάμενος πρῶτος &c. *Eteocles etiam, unus de iis qui Orchomeni regnaverunt, Gratiarum templo dedicato primus &c.* Gratiarum nomina sunt, Aglæa quæ *Venustas* dici potest; Euphrosyne altera, id est *Hilaritas*; tertia Thalia, *Festivitas:* Euphrosyne & Aglæa dicuntur se mutuò aspicere, ut quæ dat, citò remuneretur, sicuti proverbium monet: χάρις χάριν τίκτει *Gratia gratiam parit.* Thalia aversa effingitur ad promerendum, ne videlicet cùm beneficium exhibet, remunerationem expectet. Nudæ sunt illæ, ea videlicet ratione, quod amici amicos solutos ac nudos inter se habere debeant.

Hic nummus mediocris formæ rarissimus & elegantissimus est.

DIUM.



IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AV. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. IVL. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Dienſis, Decreto Decurionum.* Cupido alatus in templo diſtylo.

Dium urbs eſt Macedoniæ, Colonia à Julio Cæſare conſtituta, ut nomen Juliæ indicat, de qua paſſim. Cupido ſui cultum apud Dienſes indicat, in cujus honorem templum ædificaverunt. Feſtum ejus celebraſſe, & ludos ipſi inſtituiſſe Theſpienſes, auctores ſunt Plutarchus, Pauſanias, & Athenæus: hic vero lib 13. pag. 561. Θεσπιεῖς τὰ Ερωτίδια τιμῶσι. *Theſpienſes Erotidia, id eſt Amoris ſacra, celebrant.* Ludi erant quinquennales in ejus honorem inſtituti apud Plutarchum in Ερωτικῷ. Αγυσι γὰρ ἀγῶνα πενταετηρικὸν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μέσαις, καὶ τῷ Ερωτι, φιλοτίμως πάνυ, καὶ λαμπρῶς. *Nam certamen quinquennale celebrant, ut Muſis, ita etiam Amori, magnifice admodum & ſplendidè.* Cupido facem gerit, unde Πυροφόρος dictus, quoniam quod ignis lucidum eſt, ſuaviſſimum: quod verò, καυστικὸν, id eſt adultivum, moleſtiſſimum.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariſſimos collocandus.

EDESSA.



ΑΥΤΟΚ. ΜΑΡ. ΑΥΡ. CE. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. Caput Alex. Severi laureatum.

ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕΣ. Μητρόπολις Κολωνία Εδεσσηνῶν. In aliis ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. Variæ ſunt epigraphæ. Mulier turrita & velata inſidens rupibus ante arulam, dextrâ pateram, pro pedibus Fluvius.

Edeſſa urbs Meſopotamiæ, Oſrhoënorum Metropolis, à Caracalla Colonia conſtituta, ut dictum eſt, plurimos Alex. Severo nummos dicavit, quòd in urbem ſuam venerit, cùm ille Meſopotamiam ad Parthos ex ea propulſandos ingreſſus eſt; jam enim Artaxerxes poſt Parthorum occupatum Imperium, hanc provinciam vaſtabat, teſte Xiphilino in Alex. pag. 451. Οὗτός τε οὖν φοβερὸς ἡμῖν ἐγένετο, στρατεύματι πολλῷ οὐ μόνον τῇ Μεσοποταμίᾳ, ἀλλὰ καὶ τῇ Συρίᾳ ἐφεδρεύσας. *Hic igitur nobis formidoloſus fuit, quod maximis copiis non modò Meſopotamiam invaderet, ſed etiam Syriam minaretur.* Mulier turrita, Genius eſt urbis, perpetuum ejus ſymbolum: figura verò enatans, fluvium Chaboram urbem alluentem denotat.

Hic nummus primi moduli rarus eſt, ſecundi obvius.



ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΙΟΥΛ. ΜΑΜΑΙΑ. CΕΒ. Capita Alex. Severi & Mamææ adverſa.

ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Εδεσσηνῶν. Mulier turrita & velata inſidens rupibus, dextrâ ſiſtrum, ante eam arula, pro pedibus verò Fluvius enatans. In area quatuor ſtellæ aut aſtra.

Edeſſeni nummos ſuos Imperatori & ejus matri ſimul percuſſiſſe videntur, cùm hæc filium in Meſopo-

Mesopotamiam contra Parthos bellum gerentem comitata esset : notat autem Herodianus lib. 6. pag. 581. Alexandrum cum exercitu Romanos Barbarorum fines non esse ingressum, sed cum matre in quadam Mesopotamiæ urbe remansisse. Μήτε εἰσαγαγὼν τὸ στρατὸν, μήτε εἰσελθὼν, ἢ διὰ δέος, ἵνα μὴ δὴ αὐτὸς κινδυνεύσοι ψυχῇ καὶ σώματι ὑπὲρ τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς· ἢ τῆς μητρὸς ἐπισχούσης γυναικείᾳ δειλίᾳ, καὶ ὑπερβαλλούσῃ φιλοτεκνίᾳ. *Neque enim aut ipse venit, aut exercitum adduxit : incertum metu ne proprio, ne ipse, Imperium tuendo, vita periclitaretur ; an quia mater retinuerit, muliebri pavore & caritate filii nimia.* Sistrum quod mulier rupibus insidens gerit, ad Isidis cultum in Mæsæ nummis retulimus. Stellæ verò in area, utrùm ad Elagabali sacerdotium, an ad Edessenos spectent, videant eruditi : cùm autem Strabo, Plinius & alii Phœnices ab Astronomiæ peritia commendent ; aliquam fortasse constellationem ab iis observatam suspicatur Amicus.

Hic nummus primæ formæ inter rariores numerandus.



ΑΥ. Κ. Μ. ΣΕ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Caput Alex Severi laureatum.

ΚΟΛ. ΜΗΤ. ΕΔΕССΗΝΩΝ. Κολωνίας Μητροπόλεως Εδεσσηνῶν. Mulier turrita & velata rupibus insidens, dextrâ vexillum, pro pedibus fluvius emergens.

Genius in hoc nummo vexillum Coloniæ symbolum gerit, quod Veteranorum à Caracalla in Coloniam transmissorum insigne esse potest : cùm autem nullus sub Caracalla & Elagabalo cum hoc signo nummus, sed tantùm sub Alex. Severo observetur, urbem Colonis militaribus ab Alexandro iterum frequentatam suspicari meritò possumus, plurimi enim Coloni in Parthico bello consumpti fuerant, & milites ad urbis seu provinciæ præsidium necessarii videbantur, si Herodiano fides, qui Alexandrum Mesopotamiam deserere coactum, Germanicis Romanos fines vastantibus narrat lib. 6. pag. 584. Καταλιπὼν τε δύναμιν ὅσην αὐτάρκη ᾤετο ῥύεσθαι τὰς Ρωμαίων ὄχθας, τά τε στρατόπεδα, καὶ τὰ φρούρια ἐπιμελέστερον τειχίσας, καὶ πληρώσας ἕκαστα τοῦ ὡρισμένου στρατοῦ, αὐτὸς εἰς Γερμανοὺς ἠπείγετο ἅμα τῷ λοιπῷ πλήθει. *Relictis autem copiis quantas satis tuendis Romanis ripis arbitrabatur, castrisque & castellis diligentiùs communitis, ac præsidio firmatis ; ipse adversus Germanos cum reliqua omni multitudine approperabat.* De Genio & Fluvio sæpius dictum est.

Ad Edessam verò pertinent nummi cum epigraphe ΚΟΙ. ΔΕΙΝΩΝ. quos Goltzius & Tristanus ad nescio quam Ægypti urbem nomine *Diam* revocant : sunt & alii cum inscriptione ΜΕΤΡ. ΔΕССΗΝΩΝ, quos ad alteram ejusdem provinciæ urbem nomine *Dessam* Occo, Tristanus, & Patinus retulerunt.

Hic nummus minimi moduli pro raro habendus.

E M I S A.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. C. Alexander laureatus medio corpore tenus, dextrâ hastam, humero lævo clypeum gerit.

ΕΜΙ. ΚΟ. ΜΗ ΜΕССΟΠ. In area Α. Εμισῶν Κολωνίας Μητροπόλεως Μεσοποταμίας πρώτης. Mulier turrita & velata insidens rupibus ante arulam, dextrâ spicas tenet.

Emisa urbs Phœniciæ ascripta, ex qua Elagabalus & Alex. Severus oriundi, à Caracalla in Juliæ matris gratiam Colonia deducta est, deinde ab Elagabalo Metropolis facta, ut ipsius nummi testantur : alii cum epigraphe ΚΟΛ. ΕΜΙСΩΝ ejus Imperii initio cusi, alii cum inscript. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΜΙСΩΝ, post partam Metropolis dignitatem signati. Cujusnam autem provinciæ Metropolis esset Emisa, in Elagabalo disceptatum est : hic nummus eam Mesopotamiæ tribuit, in quam sententiam Ill. Spanhemius ectypo in Jul. Cæss. p 96. vulgato descenderat, sed in Notis pag. 4? 1. à pristina mente discessit, tum propter urbis situm cis Euphratem, tum propter primam litteram vocis ΕΜΙ. paululùm detritam, in cujus locum P. Harduinus pag. 3?. ingeniosè substituit ΑΜΙ. pro ΕΜΙ. sicque urbem de qua nunc agitur, ad Amidam Mesopotamiæ in Conciliis Metropolim revocavit, quasi in Imperio idem esset qui postmodum in Ecclesia fuit ordo. Amidæ ad Tigrim in nummis nulla mentio, cujus frequens esset, si Metropolis dignitate hoc tempore ornata fuisset, sicuti crebra est Emisæ : at cùm illa Mesopotamiæ in hoc nummo tribuatur, fecit ut duas in hac provin-

provincia, sicut in aliis proximis, Metropoles constitutas esse crediderimus, unam cis Euphratem, alteram trans fluvium; quod confirmare videtur littera A. in area nummi, quam interpretati sumus πρώτης, ut in Carrhenis Δ. pro δεύτερας, non semel observavimus, Emisa quidem prima Metropolis constituta, Carrhæ verò urbs, secunda. Mulier turrita, Genius urbis est; spicas ad frumenti abundantiam in bello denotandam tenet. Arula ignita, sacrificia pro Alex. Severo forsan in agro suo Parthico perpetrata significat.

Hic nummus mediocris magnitudinis, ab Ill. Spanhemio in Julian. Cæss. pag. 96. vulgatus, inter rarissimos reponendus.

N E S I B I S.



ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Caput Alex. Severi laureatum.
ΣΕΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕΣΙΒΙ. Σεπτιμίας Κολωνίας Νέσιβι. Caput turritum & velatum, in quibusdam Aries in vertice.

Nesibis urbs Mesopotamiæ, Colonia à Septimio Severo, ut *Septimiæ* ipsius gentis nomen indicat, deducta est, de qua in Julia Paula dictum est. Nesibenses Alex. Severo, ut alii provinciæ suæ Coloni, gratulantes, quòd in Mesopotamiam ad repellendos Persas venisset, nummos ipsi percusserunt; de quo Rufus in Breviario. *Aurelius Alexander, quasi fato quodam in exitium Persicæ gentis natus, juvenis admodum Romani gubernacula suscepit Imperii. Ipse Persarum Regem nobilissimum Artaxerxem vicit.* Caput muliebre turritum, Genius est urbis; turribus ornatur, ut inter provinciæ primarias constituta, siquidem eam Plutarchus in Lucullo pag. 514. magnam fuisse & populosam dixit. Καὶ πόλιν ἐν αὐτῇ μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον ἔχουσαν. *In qua urbs* Nesibis *ampla & populosa erat.* Aries supra caput ad Veris Æquinoctium spectare videtur, quo Nesibenses annum inchoabant, alii ab Autumno ordiebantur.

Hic nummus secundi moduli inter rariores collocandus.

P E L L A.



IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. Caput M. Aurelii laureatum.
COL. AVG. PELLA. Figura virilis nuda rupibus insidens, dextrâ coronam capiti imponit, lævâ pedum, juxta eam fistula campestris.

Pella urbs Macedoniæ, Colonia à Julio constituta est, ut superiores nummi cum *Juliæ* nomine indicant, & ab Augusta Colonis iterum frequentata, ut *Augustæ* epigraphe denotat. Pellenses Alex. Severo ad bellum Parthicum per Macedoniam eunti nummos, Diensium ejusdem provinciæ exemplo, cuderunt. Herodianus illum per Illyriam transgressum memorat lib. 6. pag. 579. Μετὰ πολλῆς δὲ σπουδῆς ποιησάμενος τὴν πορείαν, τά τε Ἰλλυρικὰ ἔθνη καὶ στρατόπεδα ἐπελθὼν, πλείστην τε δύναμιν κἀκεῖθεν ἀθροίσας, εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἀφίκετο. *Cæterum festinato itinere, cum Illyricas etiam gentes exercitusque lustrasset; magnis inde quoque viribus collectis, Antiochiam contendit.* Figuram scopulis insidentem in ferè simili Hadriani nummo Apollinem augurati sumus ob ejus imaginem in urbis Pellæ numismatibus à Goltzio in Asia Min. tab. 23. num. 2. vulgatam. Apollo diversis modis depingitur, cum arcu ut Sagittarius, cum tripode ut Vates, cum serpente ut Medicinæ Inventor, cum lyra ut Citharœdus, hic verò ut Pastor, nam ob interfectos Cyclopes divina potestate spoliatus armenta Admeti Thessaliæ Regis per novem annos pavit. Thessalia autem Macedoniæ contermina est, imo etiam aliquando pars ejus. Apollo insidens rupibus, urbis situm denotare videtur, ut dictum est: coronam sibi imponit, ob superatum Marsyam. Diodorus lib. 3. pag. 134. Ἐνίζοντος δὲ τοῦ Μαρσύου πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα περὶ τῆς τέχνης. *Tum Marsyas cum Apolline de artis præstantia in certamen descendit.* Integram apud eum historiam perlegas.

Hic nummus mediocris formæ pro raro numerandus.

PTOLEMAIS.



IMP. C. M. AVR. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COLONIA PTOLEMAIS. *Colonia Ptolemais.* Imperator Eques pacificatoris habitu, dextram erigens.

Ptolemais urbs Phœniciæ, Colonia à Claudio deducta, ſuos etiam Alex. Severo gratulabunda, ob Perſas longè latèque repulſos, dedicat. Ejus victoriæ luculentus teſtis eſt Lampridius in ipſius vita. *Artaxerxem Regem potentiſſimum vicit :* & paulò pòſt, *& de præda quam Perſis diripuit, ſuum ditavit exercitum.* Figura equeſtris pacificatoris habitu, cùm jam eodem modo ſignata ſit in nummis Caracallæ pag. 41. non ad Alexandrum ſpèctare videtur, ſed potiùs ad ſtatuam equeſtrem in Caracallæ honorem à Ptolemaidenſibus poſitam, quam illi tanquam filio gratam in nummis exhibuerunt : Alexander enim Severi nomen in avi ſui Sept. Severi memoriam acceperat, ut diximus, & ſe Caracallæ filium nominabat, teſte Herodiano lib. 6. pag. 578. Ἀλλ' οἱ μὲν πρεσβύτεροι ὑμῶν, ὑπομνήσατε ἑαυτοὺς τροπαίων ἃ μετὰ Σεβήρου, καὶ Ἀντωνίνου τοῦ ἐμοῦ πατρὸς ἠγείρατε πολλάκις κατὰ βαρβάρων. *Sed quicumque ſeniores hic adeſtis, admonete quamprimum illum tropæorum, quæ plurima adverſus barbaros, Severo, atque Antonino parente meo ducibus, excitaſtis.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores collocandus.

RHESAINA.





ATT. K. M. AAEΞANΔPOC. CE. Caput Alex. Severi laureatum.

PHCAINHCIΩN. *Rheſaineſiorum.* Colonus agit boves, juxta vexillum, in quo LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica.*

Secundus Rheſainæ nummus pertinet ad Traj. Decium.

Rheſaina urbs eſt Meſopotamiæ circa Chaboram fluvium in Euphratem illabentem ſita, non longè, ut videtur, à Carrhis, quas ad hunc fluvium poſitas diximus, remota. Coloni typus urbem Coloniam eſſe indicat, licèt Coloniæ nomen non præferat, quam à Sept. Severo deductam nos edocent Trajani Decii nummi cum Σεπτιμίας Κολωνίας appellationibus : ſed hic Veteranos Legionis Tertiæ Gallicæ Colonos in illam denotat fuiſſe tranſmiſſos, cujus alteram partem Tyrum Coloniam à ſe etiam conſtitutam traduxit, ut præclari illius nummi demonſtrarunt. Rheſainеſii nummos Alexandro dedicant tanquam grati animi monumentum, quòd illos à Perſarum vaſtationibus liberarit, de quo narrat Eutropius lib. 9. *Suſceptoque adverſus Perſas bello, Artaxerxem eorum Regem glorioſiſſimè vicit.* Colonus civium Togatorum inſigne, vexillum Veteranorum ſymbolum eſt. Quanta igitur Hiſtoriæ lux è nummis !

Hic nummus ſecundæ magnitudinis pro rariſſimo habendus.



Eadem epigraphe. Alexander laureatus medio corpore tenus, dextrâ ſpiculum, lævo humero clypeum gerit.

PHCAINHCIΩN. LEG. III. GAL. *Rheſaineſiorum Legio Tertia Gallica*, vel *Legionis Tertiæ Gallicæ.* Mulier turrita & velata inſidens rupibus, quibus lævâ innititur, dextrâ Aquilam.

Impera-

Imperatores qui aliquam belli expeditionem suscepere, medio corpore cum hasta & clypeo in nummis depinguntur: talis Alexander à Rhesainesiis cùm contra Persas Mesopotamiam ingressus est, exhibetur. Mulier turrita, Genius est urbis, quam in clivo conditam indicant monticuli quibus insidet: Fluvius, Chaboras est, qui ejus muros alluit vel circa illam decurrit, ut tradit Stephanus. Ῥέσινα πόλις περὶ τὸν Ἀβορὸν ποταμόν. *Rhesina, urbs circa Aborum Fluvium.* Regum 2. cap. 16. fluvius hic dicitur *Chabor*, litteræ autem gutturales sæpe negliguntur, ut apud Ammianum lib. 23. hic fluvius *Abora* dicitur, de Cercusio loquens. *Cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina.* Idem Historicus paulò pòst Rhesainæ etiam meminit, ubi narrat Gordianum Pium Persarum Regem fudisse. *Apud Rhesainam superato fugatoque Rege Persarum.* Sed hæc urbs non illius Imperatoris sepulcro nobilis est, ut putat P. Harduinus pag. 420. cùm Ammianus priùs dixerit. *Profecti exinde Zaitam venimus. Hic Gordiani Imperatoris monumentum longè conspicuum vidimus.* Aquila quam gerit urbis Genius, Romanæ ditionis insigne est.

Hic nummus mediocris moduli mihi cum multis aliis ab amicissimo D. Camelio Romæ nuper dono datus, inter præstantissimos locum habere debet.

SIDON.

IMP. CAE. M. AVR. SE. ALEXAND. AVG. Caput Severi laureatum.

COL. AVR. PIA. MET. SID. *Colonia Aurelia Metropolis Sidon.* Bacchus seminudus stans, dext. poculum, lævâ thyrsum, pro pedibus Pardalis. In aliis, currus Astartes in vertice nummi.

Sidonem à Sidone Chanaanis filio, Chami nepote, nomen habuisse narrant, unde illa urbs vetustissima haberi debet, si quidem ejus mentio est in l. Judic. cap. 18. Diversos pro varia Fortuna motus experta, tandem Colonia & Metropolis Phœniciæ ab Elagabalo facta, & Alexandro, quem ille Cæsarem nominaverat, gratulabunda nummos dedicavit, præsertim ob Persas Syriam minitantes, ab eo devictos, de quorum Rege hæc narrat Herodianus in ejus vita pag. 576. Οὐδ' ἐντὸς Τίγρηδος ποταμοῦ μένει, ἀλλὰ τὰς ὄχθας ὑπερβαίνων καὶ τοὺς τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς ὅρους, Μεσοποταμίαν τε κατατρέχει, καὶ Σύροις ἀπειλεῖ. *Neque jam intra fluvium Tigrim tenere se; sed superatis ripis ac Romani finibus Imperii, excurrere per Mesopotamiam, Syriæque minitari.* Bacchus in plurimis Syriæ & Phœniciæ urbibus cultus est, ob ejus in Orientem expeditiones. Sidonii itaque in nummis Alexandri Bacchum signarunt, ipsi forsan alludentes, quòd Imperator, alter foret Orientis domitor. Bacchus poculum gerit vino plenum, ob illius inventum. De quo Dionys. lib. 12.

Καὶ γλυκερὸν ποτὸν εὗρε. *Et dulcem potum invenit.*

Cur Pardalis comes ei detur, audias Phornutum de Nat. Deor. *Pardales Dionysio subjunguntur, atque illum sequi inducunt, sive ob coloris varietatem, ita ut etiam ipse & Bacchæ Nebride induantur: aut quòd asperrimi etiam mores temperato vini usu mansuescant.* Thyrsus latens est telum, Baccho tributum.

Hic nummus minimæ formæ pro obvio habetur, similis à Patino vulgatus est pag. 349. in quo AVG. *pro* AVR. *Typographi errore substitutum videtur, cùm ille pag. 340. vocem* AVR. *jam Aureliam esset interpretatus.*



IMP. SEV. ALEXANDER. Caput Alex. Severi laureatum.

CO. A. PI. MET. SID. *Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon.* Europa tauro vecta, ambabus velum manibus, supra caput volitans tenet.

Europam alii Agenoris Phœniciæ Regis, alii Phœnicis filiam dicunt, teste Apollodoro lib. 3. Moschus in Idyl. eam Phœnicis filiam facit.

Φοίνικος θυγάτηρ ἔτι παρθένος Εὐρώπεια.

Phœnicis filia adhuc virgo Europa.

Illius ossa apud Corinthios in pompa ferebantur per Ellotiorum festa, juxta Athenæum lib. 15. c. 6. Πομπεύειν τε ἐν τῇ τῶν Ἑλλωτίων ἑορτῇ φησὶ δ' ἐν αὐτῷ τὰ τῆς Εὐρώπης ὀστᾶ κομίζεσθαι, ἣν ἐκάλουν Ἑλλωτίδα· ἄγεσθαι δὲ καὶ ἐν Κορίνθῳ τὰ Ἑλλώτια. *Eamque in Ellotiorum festo, quod apud Corinthum solenne est, in pompa vehi,*

cum ossibus Europæ, quam Ellotida Corinthii nominant. Sed cur Europam Sidonii in Alexandri nummis signarunt, an ad indicandam urbis antiquitatem, an verò in gratiam Mamææ, cujus venustati alludebant, eligant eruditi. Europam quare ob eximiam pulchritudinem ab Jove sub tauri specie raptam fabula testatur. Vide Palæphatum de fab. narrat. lib. I.

Hic nummus infimæ molis inter raros collocatur.



IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. AVR. PIA. METRO. SID. *Colonia Aurelia Metropolis Sidon.* Mensa supra quam duæ urnæ, in utraque palmæ ramus, infrà vas & poma.

Similem ferè typum Sidonii in Elagabali nummis signarunt cum eadem epigraphe, sed ampliori CE. PER. ISEL. OECVM. *Certamina Periodonica, Iselastica, Oecumenica,* quæ fusè ibi explicavimus : eadem videntur sub illo tempore indicata aut celebrata, quo Alexander Antiochiam victor ex Persis rediens, in hac urbe hiemavit, ut innuit Herodianus pag. 583. Ἅπερ μανθάνων ὁ Ἀλέξανδρος, καὶ ἔτος ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ διέτελεν· εὐθυμότερος δὲ καὶ ἀδεέστερος γινόμενος, ἀνειμένης αὐτῷ τῆς περὶ τὰ πολεμικὰ φροντίδος, ταῖς τῆς πόλεως ἐσχόλαζε τρυφαῖς. *Quibus intellectis, Alexander Antiochiæ commorabatur ; hilariorque jam & liberior, laxatis bellorum curis, urbis ejus deliciis indulgebat.* Urnæ duæ certamina hæc universalia duobus numinibus fuisse dicata denotant, sed quibus, incertum est, nisi fortè amplior aliquando nummus eorum nomina suppeditet.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter elegantiores ascribendus.

SINGARA.



AYT. AYP. AΛEΞANΔPOC. Caput Alex. Severi laureatum.

AYP. CEΠ. KOΛ. ΣINΓAPA. Αὐρηλία Σεπτιμία Κολωνία Σίγγαρα. *Aurelia Septimia Colonia Singara.* Caput velatum & turritum.

Singara Mesopotamiæ urbs, Rhætavorum civitas quibusdam dicta, Colonia videtur potiùs sub M. Aurelio & L. Vero, quàm sub Severo deducta, ob nomen Aureliæ ante Septimiæ gentis appellationem positum, quidquid proferat Seguinus edit. 2. p. 178. *Septimiæ* nomen *Aureliæ* additum, quoddam beneficium à Severo acceptum, vel urbem Colonis iterum frequentatam indicat. Verus enim Mesopotamiam recuperaverat ante Severum, & Divi fratres in ea provincia Carrhas & Singaram Colonias condiderant, Severus verò Nisibin & Rhesainam constituit. Singareni Mesopotamiensium imitatione nummos suos Alexandro gratulantes dedicant, propter ejus victorias contra Persas, licèt Herodianus illum amisisse exercitum tradat, quod scripsisse illum Maximino ejus hosti adulantem notat Lampridius. *Nam & amisisse illum exercitum fame, frigore, ac morbo, ut Herodianus auctor est contra multorum opinionem.* Caput turritum, urbis Genius est : turribus ornatur, ad arguendam urbem mœnibus munitam ; quem typum omnia Mesopotamiæ oppida ferè exhibent, valdè scilicet hostium incursionibus exposita.

Hic nummus mediocris moduli inter elegantiores collocandus.

TROAS.



IMP. C. M. AV. ALEXAND. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.

COL. ALEX. AVG. TROA. *Colonia Alexandria Augusta Troas* vel *Troadensis.* Apollo muliebri habitu stans in cippo, dextrâ pateram, lævâ arcum, ante eum ara ignita, in aliis tripus serpente involutus.

Troas Phrygiæ minoris urbs, Colonia ab Augusto deducta est, ut *Augustæ* nomen arguit. *Alexandriæ* verò appellationem habet, vel ab Alexandro Magno, à quo ex Trojæ ruderibus exstructa est, Strabone & Q. Curtio adstipulantibus, vel ab Alexandro Severo, quod maximum illius esset, ut Caracallæ patris, in hunc heroëm studium, ut tradit Lampridius in ejus vita. *Alexandrum verò Magnum inter Divos & Optimos in Larario majore consecravit.* Troadenses plurimos Alexandro nummos percusserunt, seu ob acceptum ab eo beneficium, vel ob confirmata ipsorum privilegia, cùm eorum urbem, in Syriam proficiscens, lustravit. Apollo in cippo, Deus est tutelaris, quem in urbis obsidione Trojanis maximè opitulatum narrat Q. Smyrnæus lib. 9.

κατεσσάμενος δ' ἄρ' Ἀπόλλων
Ἀργείοις, ὥρμαινε βαλεῖν θρασὺν υἷα Ἀχιλῆος.

Apollo itaque iratus
Argivis animum induxit trajicere ferocem Achillis filium.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter obvios reponendus.



IM. S. ALEXANDER. AV. Caput Alexandri Severi laureatum.

COL. ALE. AV. TRO. *Colonia Alexandria Augusta Troas* vel *Troadensis.* Apollinis signum in cippo, ante quod Imperator eques decurrens.

Troadenses Alexandri Severi effigiem ob ipsius in suam urbem adventum in nummis consignare voluerunt; ille enim Alexandrum Magnum imitatus est, qui contra Persas bellum gesturus, Trojam pro sacrificio perpetrando ascendit. Decurrens in nummo exhibetur Alex. Severus, tanquam ad expeditionem Persicam properans, ut innuit Herodianus in ejus vita lib. 6. pag. 579. Μετὰ πολλῆς δὲ σπουδῆς ποιησάμενος τὴν πορείαν &c. εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἀφίκετο. *Cæterùm festinato itinere &c. Antiochiam contendit.* Apollo in cippo, non autem Diana, ut putat Patinus, Alex. Severum ante ipsius signum tanquam urbis tutelari Deo sacra fecisse denotat. Apollo autem cum Neptuno Trojæ mœnia confecerat, ut asserit Dionysius Perieg. vers. 817.

Ἴλιον ἣν ἐτάλασσε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων.

Trojam, quam condiderunt Neptunus & Apollo.

Hic nummus minimi moduli à Patino vulgatus pag. 349. rarissimus est.



COL. ALE. AV. TRO. *Colonia Alexandria Augusta Troas.* Apollo in templo distylo, dextrâ pateram, lævâ arcum.

Hic nummus Apollinis templum exhibet, cujus erat summus apud Trojanos cultus; ille enim mœnia antiquæ urbis cum Neptuno extruxit. Trojanos in obsidione plurimùm adjuvit, pestem in Græcorum exercitum immisit, Hectorem nebulâ contextum Achilli surripuit; Achillis se solum urbem expugnasse jactantis talum sagittâ, sub Paridis forma, percussit, & eum occidit, tristis de Trojæ obsidio depingitur à Tryphiodoro de Ilii Excid. vers. 467.

Ἀχνύμενος μεγάλοις ἐπὶ τείχεσι Φοῖβος Ἀπόλλων.

Phœbus Apollo, tristatus propter mœnia Trojanorum.

Apollo dictus est ἀπὸ τοῦ πάλλειν, hoc est à jaculando radios, ideo arcum gerit, quod innuit Phornutus de Nat. Deor. *Apellatur Sol Apollo, at Luna Diana, atque ob id ambos Sagittiferos inducunt; longum illum radiorum jactum quodammodo adumbrantes.* Apollo Pythonem serpentem telo ex arcu emisso occidit.

Hic nummulus, à Patino vulgatus pag. 349. inter elegantes locandus.



COL. ALE. AVG. TRO. *Colonia Alexandria Augusta Troas.* Templum idem, in quo tripus cui involutus est serpens.

Templi figura in hoc Troadensium nummo, eadem quæ in superiori, ad eundem Apollinem illud pertinere demonstrat, licèt ejus simulacrum non habeat, sed tripodem cum dracone ipsius vulgare, & non in hoc loco symbolum Æsculapii, ut vult P. Hard. p. 508. cujus nulla mentio in obviis & frequentibus Coloniæ Troadensis nummis. Apollo, quem eumdem cum Æsculapio narrat Macrobius, cum dracone quidem circa tripodem involuto invenitur, Æsculapius autem cum dracone circa baculum implicato : at vero quia Apollo ab antiquis pro Vate habebatur, illi tripus & draco sacri erant, tanquam Vaticiniorum symbola, de quibus Ill. Spanhemius Diss. 3. p. 175. *Hinc apud Delphos draco sub tripode vocem edens juxta Lucianum.* De Apolline tutelari Troadensium Deo hæc narrat Q. Smyrnæus lib. 9.

Καὶ τότε δὴ Τρώεσσιν ἀρηγέμεναι μενεαίνων
Ἔκθορεν οὐλύμποιο, καλυψάμενος νεφέεσσι,
Λητοΐδης.
Exinde dum Trojanis opem ferre instituit,
E cœlo, nubibus velatus, desilit
Latoides (Apollo.)

Hic nummulus inter præclaros numerandus.



IMP. ALEXANDER. AVG. Caput Alex. Severi laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troas* vel *Troadensis.* Quatuor figuræ stantes. Silenus, quem duo ejus socii sustinent, & Satyrus à sinistris.

Silenus utrem hircinum supra humerum gerens in nummis à Troadensibus M. Aurelio, Commodo, & Caracallæ dicatis signatus, sui cultum in eorum urbe indicat. Hic typus aliquod Sileni festum forsan repræsentat, in quo omnes vino indulgebant ad ebrietatem usque, Sileni exemplo, quem ebrium comites sustinent, de quo Virgilius in Sileno.

Inflatum hesterno venas, ut semper Iaccho.

Ille cum φίλοινος à Maximo Tyrio Dyss. 30. vocatur, & vitis sator creditur, si quidem apud Julianum in Cæss. vites appellat filias suas. Ἀλλὰ ἐκράτησαν δέ σε πολλάκις αἱ ἡμέτεραι θυγατέρες, αἰνιττόμενος τὰς ἀμπέλους. *Imò verò sæpius inquit nostræ filiæ te potentiores extiterunt, vineas obscurè significans.* Sileno Satyrus, & alii Sileni comites adsunt ipsius ministri, ille ad tripudium, hi ad dicteria. De quibus Phornutus de Nat. Deor. *Cæterum his omnibus innuitur ebriorum corpus.* Provectioris ætatis Satyros Pausanias, Silenos nuncupatos fuisse tradit in Atticis pag. 41. Τοὺς γὰρ ἡλικίᾳ τῶν Σατύρων προήκοντας ὀνομάζουσι Σειληνούς. *Maximos enim natu Satyrorum, Silenos nuncupant.*

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Spanhemio in Julian. Cæss. pag. 393. vulgatus, eximiæ raritatis est.



COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troas,* vel *Troadensis.* Mulier turrita stans, dextrâ victoriæ signum, lævâ vexillum.

Mulier turrita stans, Genius est urbis & Coloniæ ; turribus enim ornatur tanquam urbs mœnibus validis cincta, lævâ autem vexillum gerit, Coloniæ deductæ symbolum ; constitutam ab Augusto,

gusto, nomen *Augustæ* denotat, Veteranis etiam esse frequentatam indicat labarum. Troadenses Victoriæ simulacrum in Genii dextra posuerunt, ob insignem illam de Persis victoriam ab Alexandro relatam, cui Senatum acclamasse narrat Lampridius in ejus vita. *Alexander Auguste, Dii te servent. Persice maxime, Dii te servent. Verè Parthicus, verè Persicus. Tropæa tua & nos vidimus, victorias & nos vidimus.* Nomina Veteranorum ab Augusto Trojam traductorum ignorantur, nummus amplior forsan aliquando indicabit.

Hic nummus secundæ magnitudinis, ex museo V. Cl. Jo. Petr. Bellorii, inter rariores reponendus.



COL. ALE. TRO. In aliis COL. ALEX. AVG. In aliis COL. ALEX. AVG. TRO. *Colonia Alexandria Augusta Troas.* Lupa cum puerulis.

Troadenses, inter alios quos Imperatoribus dedicarunt nummos, Lupam ubera Romulo & Remo præbentem exhibuerunt, seu quòd solemnis esset Coloniarum Romanarum typus, seu quòd Troadenses Romanæ gentis auctores se jactarent. Troas & Alexandria, urbs est eadem, sic ab Alexandro Magno dicta; sed Troas & Ilium, duæ sunt urbes post Trojam antiquam dirutam seorsim conditæ, quod nummi confirmant, licèt Ilienses à quibusdam auctoribus pro Troadensibus accipiantur, illos distinguit Polybius l. 5. p. 447. Τὸ δὲ τελευταῖον καὶ πολιορκεῖν τοὺς Ἰλιεῖς ἐπιβαλλομένων· ἐγένετο μὲν τις οὐκ ἀγεννὴς περὶ ταῦτα πρᾶξις, καὶ ὑπὸ τῶν περὶ τὴν Τρῳάδα κατοικούντων Ἀλεξανδρέων. Θεμίστην γὰρ ἐξαποστείλαντες μετ᾽ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων, ἔλυσαν μὲν τὴν Ἰλιέων πολιορκίαν. *Qui quùm Ilienses ad extremum obsidere essent aggressi, egregium sanè facinus ab Alexandrensibus, qui Troadem colunt, est editum: misso enim Themista cum quatuor militum millibus, non solùm Ilienses obsidione liberarunt.* Troadenses, cùm Romani sint Coloni, Latinè nummos scribunt, Ilienses verò epigraphen Græcam ΙΛΙΕΩΝ præferunt.

Hic nummus minimæ molis obvius est & frequens.



IMP. ALEXANDER. AV. Caput Alex. Severi laureatum.
COL. ALEX. AVG. In aliis, COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troadensis.* Equus pascens, liber, & solutus.

Equus ille pascens, immunitatum Troadensis Coloniæ symbolum, frequens in eorum nummis occurrit, ad indicandam omnium onerum remissionem ipsis à Claudio concessam, quam ob rem feliciter suspicari possumus Troadenses, eundem typum in nummis Alexandri, ob privilegia ab ipso confirmata, cudisse: illum enim Troadem ascendisse, & Apollini pro victoria contra Persas obtinenda, sacrificasse diximus. Plura de equi pascentis typo, in Commodi & Caracallæ nummis videas.

Hic nummus minimi moduli, frequens & obvius est.

TYRUS.



M. ALEXANDER. CAES. Caput Alexandri nudum.
SEP. TYRO. METR. *Septimia Tyros Metropolis.* Astarte seu Venus solito modo stans, dextram imponit trophæo, à sinistris verò Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit, hinc Silenus, inde conchylium.

Tyros

Tyros ſive Tyrus hunc perrarum nummum in memoriam adoptionis Alexandri percuſſit, quando ille Mæſæ conſilio ab Elagabalo adoptatus eſt, ut tradit Herodianus lib. 5. pag 570. Πείθει αὐτὸν (κοῦφον ἄλλως καὶ ἄφρονα νεανίαν) θέσθαι υἱὸν Καίσαρά δὲ ἀποδεῖξαι, τὸν ἑαυτοῦ μὲν ἀνεψιὸν, ἐκείνης δὲ ἔκγονον, ἐκ τῆς ἑτέρας θυγατρὸς Μαμαίας. *Perſuadet levi alioqui ſtolidoque adoleſcenti, ut ſibi conſobrinum ſuum, nepotemque ipſius, ex altera filiarum Mamæa prognatum adoptaret, & Cæſarem declararet.* Tyrii Alexandro gratulantur, quod ille poſt interfectum Macrinum, Cæſar à Senatu jam nuncupatus, eam tandem appellationem ab Elagabalo, qui ejus pater videri volebat, obtinuiſſet. De Aſtarte ſeu Venere, altera Tyriorum Dea tutelari ſæpius dictum, illa manum imponit trophæo ob Colonias longè latèque à Phœnicibus tranſmiſſas, eamque ob cauſam, victoria illi coronam imponit. Silenus pro ejus pedibus, ſui etiam cultum Tyri indicat: conchylium verò perpetuum eſt urbis, ob purpuram repertam, ſymbolum.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, pro rariſſimo & elegantiſſimo numerandus.

SALLUSTIA BARBIA ORBIANA.

Hiſtoriæ Romanæ ſilenti feliciter ſuppetunt numiſmata. Lampridius unam tantum Alex. Severi uxorem Memmiam Sulpitii Conſularis viri filiam nominat, quam patre occiſo relegatam in Africam narrat Herod. Nummi verò alteram illius conjugem Barbiam Orbianam vendicant, illam paulò ante Perſicam expeditionem ab eo ductam ſuſpicamur, quod Romana ipſius numiſmata non obvia ſint, ſed cur in Coloniis nulla hactenus obſervata & in Græcia Aſiaque minori cuſa eximiæ ſunt raritatis, cauſa forſan hæc fuit, quòd Mamæa ſummæ auctoritatis, quam in Imperio ſibi arrogaverat, ſtudioſiſſima, vocari tantum *Auguſta* vellet, eamque appellationem filii uxori inviderct, quapropter populi, illius iram, vel indignationem veriti, nummos in Orbianæ honorem ſignare non audebant: cùm autem deſint Colonici, alterum, ex duobus Græcis à nobis tantùm inſpectis, in Antiquariorum gratiam, hic inſerendum duximus.



Hic nummus primæ magnitudinis in muſeo Hæredum Seb. Erizzi Patr. Veneti aſſervatur: alterum minimi moduli, in quo Teleſphorus cum epigraphe ΠΡΟΥΣΑΙΕΩΝ *Chriſtinæ Reginæ Gaza recondit.*

JULIA

JULIA MAMÆA.



JULIA MAMÆA, Mæsæ filia, Alex. Severi mater, nomen *Juliæ* gentis à Julio patre, quem aliqui Avitum appellant, tulit; cognomen verò *Mamææ* & sororis ejus *Soæmiadis* Syriacum est, nam in hac provincia *Sohemius* nomen vulgare est, ita & *Mamas* & *Mamianus*.

JULIÆ MAMÆÆ *nummi licèt ex omni modulo observentur, pro raris tamen habendi sunt.*

ANTIOCHIA Syriæ.




ΙΟΥΛΙΑ ΜΑΜΕΑ CΕΒΑCΤΗ. Caput Juliæ Mamææ.
ANTIOXEΩN MHTP. KO. In aliis MHTPO. KOΛΩN. Variæ sunt epigraphæ, Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area, S. C. Δ. E. Mulier turrita & velata insidens rupibus, dextrâ spicas, pro pedibus fluvius, in quibusdam aries in vertice.

Antiochia Syriæ Metropolis, Colonia à Caracalla deducta, Juliæ Mamææ nummos suos consecravit, ut matris apud filium maximæ auctoritatis benevolentiam sibi conciliaret. Suidas autem de Mamæa loquens in Excerpt. Cæss. vit. Ἦρχε γὰρ αὐτοῦ ὑπερβαλλόντως ἡ μήτηρ· ἥτις ἀπῆγε τῶν αἰσχρῶν καὶ ἀπρεπῶν τοῖς βασιλεῦσιν ἔργων. *Nam mater summum in eum exercebat imperium: quæ eum à turpibus rebus & Imperatori indecoris arcebat.* Mulier insidens rupibus, Genius est urbis; Fluvius, Orontes ejus muros alluens; spicas tenet, ad arguendam in agro suo frumenti abundantiam. Aries in vertice, annum sub hoc signo inchoare Antiochenses denotat.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro numerandus.

BOSTRA.



IVLIA MAMAEA. AVGVSTA. Caput Juliæ Mamææ.
COLONIA BOSTRA. Caput Serapidis modio seu calatho ornatum.

Bostra urbs Arabiæ, Colonia ab Alex. Severo deducta est, ut in ejus nummis diximus, etsi conjecturæ locus; ob ejus in Trajani memoriam studium, si Lampridio fides: Bostra enim Nerviæ Trajanæ nomina præferebat, quibus & Alexandrianæ appellationem ille addidit, præclaris ejus & Mamææ testibus nummis, de quibus infrà. Serapis in parte aversa, apud Bostrenos sui cultum ex Ægypto receptum indicat. Nonnus autem Serapidem, Jovem Ægyptium nominat Dionys. lib. 40.

Εἴτε Σάραπις ἔφυς Αἰγύπτιος ἀνέφελος Ζεύς.
Sive Sarapis es Ægyptius innubis Jupiter.

De calatho capiti Serapidis impoſito vide Macrobium Saturn. lib. I. cap. 20. & quæ diximus in Domitiano pag. 138. & in Ant. Pio pag. 165.

Hic nummus minimæ formæ inter rariores collocatur.



COLONIA BOSTRA. Caput muliebre calatho inſigne, pone illud cornucopiæ.

Boſtreni Coloni ab Alex. Severo facti, illum tanquam Deum opes largientem venerati ſunt, & ſub præcipui urbis ſuæ numinis, Serapidis nimirum effigie, exhibuerunt. Juliam verò Mamæam, dilectiſſimam illius matrem, ſub Iſidis imagine repræſentant, tanquam præcipua mundi numina. Ægyptii illa Solem & Lunam exiſtimarunt; cùm enim omnium primi motum ordinemque cœleſtium corporum admirati, Solem ac Lunam Deos putarunt. Macrobius Serapin quidem Solem eſſe exiſtimat; Iſin verò Terram. *Ex his*, inquit, *apparet Sarapis & Solis unam & individuam eſſe naturam. Iſis juncta religione celebratur; quæ vel eſt Terra, vel Natura rerum ſubjacens Soli.* Ideo forſan cornucopiæ pone Iſidis caput; niſi urbis Genio tribuatur ob omnium rerum in agro Boſtrenorum abundantiam. Similis à Triſtano tom. 2. pag. 426. typus exhibetur, ſed cum varia epigraphe.

Hic nummus minimi moduli inter raros collocatur.



N. TR. ALEXANDRIANAE COL. BOSTR. *Nerviæ Trajanæ Alexandrianæ Coloniæ Boſtræ.* Aſtarte tutulata ſtans in templo tetraſtylo, dextrâ ſcipionem, lævâ cornucopiæ, pro pedibus, hinc & inde Centauri buccinam inflantis figura.

Boſtram Arabiæ urbem Nerviæ Trajanæ nomina, ob beneficium à Trajano acceptum, ſumpſiſſe paulò antè diximus, quibus Alexandrianæ appellatio ob Coloniam ab Alexandro deductam addita eſt. Aſtarte ſeu Venus ſui cultum Boſtræ indicat, cujus templum inſigne Boſtreni exhibent. Illa ſcipionem in crucem efformatum gerit, ut in noſtra Reg. Syr. Hiſt. pag 273. repræſentatur, lævâ cornucopiæ, ut in ſuperiori nummo, ad omnium rerum abundantiam in agro Boſtreno arguendam. Sed cur duo Centauri pro pedibus Aſtartes, eos ad urbis antiquitatem vel etymologiam ſpectare, nobis liceat ſuſpicari; Damaſcius enim in Photio, de Alexandro loquens, Boſtram à bovis œſtro dictam fuiſſe tradit. Ἀκούσας τὴν Ἰὼ θρυλλουμένην, καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως εἰς τὸν οἶστρον τοῦ βοὸς ἀναλυόμενον, ἠγάπησε τὴν συνέχειαν τῆς περὶ τὴν Ἰὼ πλάνης μεθυνομένης. *Cùm intellexiſſet Io toties decantatam, & nomen civitati ab œſtro bovis inditum eſſe, amavit illam, propter originem, quæ eſt de Io vagante.* Hippocentauri autem dicti ſunt, quod equis inſidentes, boves œſtris agitatos ſtimulis ad tecta revocarent: eſt enim κεντεῖν, *ſtimulare*, & *pungere.* Urbes autem res ad antiquitatem ſuam ſpectantes in nummis ſignare ſolebant.

Hic nummus primæ magnitudinis, in Theſauro Regio, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.

DEULTUM.



IVLIA MAMAEA AVG. Caput Juliæ Mamææ.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacenſis Deultana.* Diana Venatricis habitu gradiens, telum è pharetra depromit, lævâ arcum, pro pedibus canis venaticus.

Deultani Thraciæ Coloni, ut nummos Alex. Severo, ita Mamææ dedicarunt, Auguſti matrem ſibi conciliare ſtudentes, cujus conſilio omnia adminiſtrare noverant, ut adſtipulatur Lampridius

in

in Alexandro. *Egit omnia ex consilio matris.* Diana signata est in hoc nummo, sicuti depingitur à Minucio in Octav. pag. 187. *Diana interim est altè succincta venatrix.* Illa sui cultum in Colonia Deultana denotat, sed forsan in filii & matris nummis signata est, quòd venatione ambo delectarentur. De Alexandro quidem Lampridius. *Si id non poterat, pro loci qualitate vel vectabatur, vel piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur.*

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro numeratur.



COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Fortuna stans, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Hic Fortunæ typus in Alexandri nummis jam à Deultanis percussus est, seu quòd esset hoc numen ab iis cultum, seu quòd Mamæa pro Genio Coloniæ haberetur; & sic Augusti mater, tanquam tutelaris urbis suæ Dea, in Imperatoris nummis æque ac in suis, repræsentaretur: Alexander enim matris consilio nihil non regebat, ita ut ipsa parem cum eo potentiam haberet. De quo Lampridius in Alexandri vita. *Et cùm puer ad Imperium pervenisset, fecit cuncta cum matre, ut & illa videretur imperare, mulier sancta, sed avara.* Eam ob causam populi illam magnopere venerabantur.

Hic nummus mediocris moduli faciliùs quàm superior paratur.

PELLA.



IOVLIA. MAMAEA AVG. Caput Juliæ Mamææ.

COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Augusta Pella.* Mulier sedens tutulata, dextrâ caput sustentans, sinistrâ verò demissâ.

Pella urbs Macedoniæ, ut ait Mela lib. 2. cap. 1. *Quam maximè illustrem alumni efficiunt Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ.* Colonia à Julio constituta, & ab Augusto Veteranis frequentata est, uti *Juliæ* & *Augustæ* nomina indicant, illa nummos Mamææ Imperatoris matri dedicat, uti Alexandro filio percussit, utrumque venerata; filius enim unicè in matrem pius fuit, teste Lampridio: *Optimæ matris consiliis usus est.* Pellenses in Alexandri nummis Apollinem tutelarem urbis Deum, in hoc Securitatem, Coloniæ Genium cuderunt, utrique alludentes, Imperatori quidem, quòd esset alterum Coloniæ tutelare numen; Mamææ verò, quòd urbis esset Genius, ille sub Dei figura, hæc sub Deæ effigie percussa. Securitatem in Pellæ nummis, pro Genio urbis, repræsentari diximus in Caracalla, ob ejus in tumulo situm, natura & arte munitum ad Provinciæ conservationem, cui alludit Lucanus.

Exiguæ secura fuit Provincia Pellæ.

Pellenses Imperium Mamææ consiliis securum, urbemque suam Imperatoris matris tutelâ securam existimantes, Securitatis imaginem, prout à Romanis apud Ant. Augustinum dial. 2. pag. 48. depingitur, in Juliæ Mamææ nummis cælari curaverunt.

Hic nummus infimæ molis, inter rariores reponendus.

TROAS.



IVL. MAMAEA AVG. Caput Mamææ.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Caput turritum, pone quod vexillum.

Troas Phrygiæ minoris urbs, heroïcis ita casibus clara, ut nulla alia ex tota antiquitate clarior extiterit; non tamen eodem loco sita erat, quo olim ante excidium suum, ut sæpius ex Strabone diximus. Romanis semper adeo cara fuit quasi gentis suæ auctor, ut Divus Cæsar multa ei beneficia contulerit, & ob id eam Augustus Coloniam Romanam constituerit, quasi in avitas sedes Romanos transferret; eandem Veteranis locupletavit, quod indicat vexillum pone caput muliebre: turribus quidem ornatum est, tanquam urbs primaria; illa enim teste Strabone l. 31. ἐστὶ τῶν ἐλλογιμῶν πόλεων, *est una de urbibus nobilibus.* Solebant Antiqui urbes præcipuas uti Cybelem, Terram, seu Vestam depingere. Vesta verò apud Diodorum Saturni & Rheæ filia, structuram domus invenisse fertur, quamobrem fortasse eam turribus ornarunt, de qua Lucretius de rer. nat. lib. 1.

Muralique caput summum cinxere corona.

Phornutus tradit turritam coronam adhiberi solitam huic Deæ, propter urbes & arces, quæ in summitate montium fiebant antiquitùs.

Hic nummus minimi moduli pro raro habendus.



IOVLIA MAMAIA AVG. Caput Juliæ Mamææ.

COL. ALEXAND. TRO. *Colonia Alexandriana Troadensis.* Equus pascens.

Antiquarii Troadis nummorum epigraphen COL. TROA. interpretari soliti sunt, *Colonia Troas*: sed cùm sæpe occurrant voces COL. TROAD. exponendæ videntur *Colonia Troadensis*, & idcircò Alexandriana, imò multarum Coloniarum nomina, rectè per adjectiva reddi possunt, ut Colonia Troadensis, Berytensis, &c. Troadenses plurimos nummos Alexandro dedicarunt, præsertim cùm ille in Syriam contra Parthos contendens, ipsorum urbem ingressus est, ut suprà diximus, ita illi pari honore matrem Augustam filii Imperatoris comitem prosequuti sunt, Alexandroque adulantes, urbem suam Alexandrianam, seu in Alexandri M. conditoris memoriam, seu in Imperatoris illud nomen gerentis honorem appellarunt: Alexander autem Imperator Alexandri M. summopere studiosus fuit, si quidem ille Lampridio teste, *Alexandri habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electreos aliquantos: sed plurimos tamen aureos.* Equus pascens, Troadensium immunitatum est symbolum, in Mamææ nummis ab ipsis forsan signatum, quòd ipsorum privilegia illius indulgentiâ fuissent confirmata.

Hic nummus minimæ formæ rarus & elegans est.



IOVLI. MAMAIA AV. Caput Juliæ Mamææ.

COL. ALE. TRO. *Colonia Alexandria Troas*, vel *Alexandriana Troadensis.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Troadenses non modò Lupam cum puerulis in nummis tanquam Coloniæ Romanæ symbolum signare videntur, sed quod Romanos à se procreatos gloriarentur, ut hi etiam fatebantur, si quidem apud Tacitum mentio est veteris epistolæ Græco sermone à Senatu Populoque Romano ad Seleucum Regem scriptæ, quâ amicitiam & societatem ita demum ipsi pollicetur, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. An fuerit fabula Lupa Romulum & Remum lactasse, non hic est differendi locus, cùm Roma ipsa pro symbolo illius effigiem acceperit, & plurimi auctores à nobis citati in ea fuerint sententia, in quorum etiam numero Florus lib. 1. *Relictis*, inquit, *catulis lupa vagitum secuta, ubera admovit infantibus, matremque se gessit.*

Hic nummus minimi moduli pro raro numerandus.

C. JUL. MAXIMINUS.





MAXIMINUS, post Alexandrum occisum, Imperator acclamatus à militibus in Germania, eam ferè omnem in Romanam ditionem redegit. *Germanici* nomen in nummis tantùm assumpsit, licèt inscriptiones plurimæ ei *Dacici* & *Sarmatici* cognomina tribuant. Nullæ ab eo videntur Coloniæ deductæ, præsertim cùm exercitum ob bellum Germanicum & civile non dimiserit.

MAXIMINI *nummi secundæ & minimæ formæ hactenus observati, sunt rarissimi.*

DEULTUM.



IMP. C. MAXIMINVS. AVG. Caput Maximini laureatum.
C. F. P. D. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Delphinus.

Deultum urbs Thraciæ mediterranea ex Plinio, Colonia à Vespasiano facta est, ut *Flaviæ* gentis nomen arguit. Illius meminit Ptolemæus lib. 3. c. 10. Δεέελτος Κολωνία. *Deueltus Colonia: Dibaltum* autem ab Ammiano lib. 31. vocatur, *oppidum petivere Dibaltum.* In actis Conciliorum, Δίϐελτος dicitur, *Dibeltus.* Εὐφράτιος ἐπίσκοπος Διϐέλτε subscripsit Conc. Nicæno II. an. 787. Deultani se Thracem Imperatorem habere gloriantes, nummos Maximino præcipuè dedicarunt; ille enim apud Capitolinum *Thrax* esse dicitur in ejus vita. *Et ille, ut erat Thrax & barbarus, credidit.* Herodianus lib. 7. Τεθρύλλητο γὰρ παρὰ πᾶσι, καὶ διεϐέϐλητο, ὅτι δὴ ποιμαίνων ἐν τοῖς Θρᾳκίοις ὄρεσιν. *Quippe jam id tritum vulgatumque apud omnes, opilionem fuisse in Thraciæ montibus.* Delphinus in nummo ad Neptunum spectare videtur, cujus est, ut sæpius diximus, symbolum: illius forsan cultum ab Anchialo urbe Ponti littorali forsan recepit: ab illa 20. tantùm mill. distat, si Geographis fides; imò Amicus existimat appositum in hoc nummo Delphinum, ob proventum illorum piscium in Ponto, quorum piscationem cum Thunnis indicat Anchiali nummus, Maximo Maximini filio, cum Delphino inter duos Pelamides, dicatus.

Hic nummus minimæ formæ, eximiæ raritatis & elegantiæ est.

EDESSA.



ΑΥ. Γ. ΙΟ. ΜΑΞΙΜΕΙ. CΕΒ. Caput Maximini radiatum.
ΚΟΛ. ΕΔΕCCA. Κολωνία Ἔδεσσα. Caput muliebre velatum & turritum.

Edessa urbs & Metropolis Osrhoënorum in Mesopotamia, Colonia à Caracalla facta, etiamsi à Germania longè dissita, Maximino Imperatori nummos percussit, ipsius proculdubio studiosa, cùm plurimi ejus cives illum ad bellum Germanicum sequuti essent, ut innuit Herod. in ejus vita p. 590. Εἴχετο τῆς περὶ τοὺς Γερμανοὺς μάχης· μέγα δέ τι πλῆθος καὶ σχεδὸν ἅπασαν τὴν Ῥωμαίων δύναμιν σὺν ἑαυτῷ εἰσήγαγε, Μαυρουσίων τε ἀκοντιστῶν ἀριθμὸν πάμπλειστον καὶ τοξοτῶν Ὀσροηνῶν τε καὶ Ἀρμενίων (ὧν ἦσαν οἱ μὲν ὑπήκοοι, οἱ δὲ φίλοι καὶ σύμμαχοι.)

σύμμαχοι.) *Bellum Germanis intulit. Sequuti illum magna vis mortalium, ac penè omnes barbarorum copiæ : ad hæc Mauri jaculatores ſagittariique quamplurimi : præterea* OSRHOENI *& Armenii, quorum hi, Romanis ſubjecti : illi in amicitiam fuerant ſocietatemque adſciti.* Caput velatum & turritum, Genius eſt urbis, ſed ſolenne Orientalium illarum urbium inſigne, de quo ſæpius diximus.

Hic nummus minimi moduli inter elegantiſſimos reponendus.

TROAS.



IMP. C. IVL. MAXIMINVS. AVG. Caput Maximini laureatum.

COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Neptunus ſtans dextrâ equum marinum ſuſtinet, lævâ tridentem gerit, pede dextro delphinum calcat.

Inſolens ille eſt Troadenſis Coloniæ typus, qui Neptunum exhibet : illum quidem muros Trojæ cum Apolline condidiſſe nemo neſcit, teſte Colutho de rapt. Helenæ verſ. 272.

Ἴλιον ἰὼ πύργωσε Ποσειδάων ἠ Ἀπόλλων.

Troja, quam turribus munivit Neptunus & Apollo.

Sed cùm Neptuno & Apollini Rex Laomedon voviſſet, quòd regno ſuo pecoris eo anno natum eſſet, immolaturum, votum avaritia Regis fefellit, quare iratus Neptunus, ut ait Hyginus fab. 89. *Cetum immiſit, qui Trojam vexaret.* Hic nummus Neptunum placatum docet dextrâ monſtrum ſuſtinentem. Neptunus tridentem gerit, tanquam inſigne. De quo Nonnus Dionyſ. 21.

Αἰχμάζων τελέδοντι θαλασσομέδων Ἐνοσίχθων.

Pugnans tridente maris Rex Neptunus.

Delphin ſub pedibus Neptuni collocatur, ut tradit idem Hyginus Poet. Aſtron. lib. 2. *Qui Neptuno ſimulacrum faciunt, Delphinum aut in manu aut ſub pede ejus conſtituere videmus.* Illum enim piſcem huic Deo gratiſſimum arbitrantur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.



IMP. C. MAXIMINVS. AV. Caput Maximini laureatum.

COL. AVG. TRO. in aliis TROAD. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Equus paſcens.

Equus ille liber, & paſcens, non ad equorum abundantiam ob paſcua in Troade regione arguendam exhibetur, ſed ad libertatis omniumque onerum remiſſionem indicandam, à Claudio Troadenſibus conceſſam, & ab aliis Imperatoribus confirmatam, ut ſæpius diximus. Equus autem ſolutus & paſcens naturalem hominis ſtatum oſtendit, qui ubique inſtinctu naturæ agit, nec ulla conſtitutione ab hominibus facta tenetur, jure enim naturali cuncta omni nationi communia ſunt : Troadenſes verò ut immunitates ſuas conſervarent, novis Imperatoribus acclamantes, nummos ipſis ſubitò ſignabant, ideo frequentiores ſunt illorum nummi, quàm aliorum quorumcumque Colonorum.

Hic nummus infimæ molis inter rariſſimos collocatur.

IMP. CAES. C. I. VERO. MAXIMINO.
PIO. FELIC. GERMANICO. MAX. SAR
MATICO. MAX. DACICO. MAX. PONT.
MAXIMO. TR. POT. III. COS. PROCONS.
OPTIMO. MAXIMOQVE. PRINC. AVG.
IVL. VERO. FILIO.
FELICI. PATRONO. SEG.

In Suburbio Fori Seguſianorum.

JULIUS MAXIMUS.



MAXIMVS apud Capitolinum Imperator à patre Maximino in quadam epiſtola appellatus eſt; ſed in nummis Romanis *Cæſaris* nomen tantùm præfert, quod etiam in Colonicis & Græcis hactenus obſervavimus. Porro Senatus ei *Germanici* nomen contulit, quo titulo Commodum etiam inſignierat.

MAXIMI *nummi ſunt rariſſimi ſecundæ & minimæ formæ hactenus reperti.*

C O I L L U.



C. IVL. MAXIMVS CAES. Caput Maximi ſine laurea.
AEL. MVNICI. COIL. AN. *Ælium Municipium Coillutanum Antoninianum.* Prora navis; & deſuper cornucopiæ.

Coillu urbs & Municipium Numidiæ apud oſtia Ampſagæ fluvii in confinio Mauritaniæ, nummum hunc Maximo Cæſari percuſſiſſe videtur poſt interfectos in Africa Gordianos. Mauri autem ob Maximini ejus patris crudelitatem rebellarant, & Gordianum ſeniorem Tyſdri proclamarant: at cùm novus ille Imperator Capelliano Numidiæ Procuratori ſucceſſorem miſiſſet, hic eam ob rem indignatus, & Maximino devotus, omni coacto exercitu Carthaginem contendit, quò ſe receperat Gordianus; Carthaginenſes verò Gordiano filio duce, ex urbe effuſi obviam Capelliano, contra eum dimicarunt, ut narrat Herodianus lib. 7. pag. 602. Οἱ μὲν Καρχηδόνιοι ὄχλῳ πλείους ἦσαν, ἄτακτοι γὲ καὶ πολεμικῶν ἔργων ἀπαίδευτοι. *Erant autem numero quidem plures Carthaginenſes; ſed inordinati, ac rerum bellicarum imperiti.* Οἱ γὲ Νόμαδες, ἀκοντισαί τε ἄριστοι, καὶ ἱππεῖς ἄριστοι..... ῥᾷστα ἂν ἐτρέψαντο τῶν Καρχηδονίων τὸ πλῆθος... ἔνθα καὶ ὁ τοῦ Γορδιανοῦ υἱὸς ἀπώλετο, οἵ τε περὶ αὐτὸν πάντες. *Contrà Numidæ, jaculatores optimi, atque equitandi peritiſſimi..... Quo circa facilè Carthaginenſium plebs in fugam verſa... Hic & Gordiani filius cecidit, & quicumque eum ſequuti.* Coillutani Maximini partes, tanquam Numidæ amplexi, hoc obſequii ſui monumentum præſtitere.

Hic nummus minimi moduli pro rariſſimo computandus.

D E U L T U M.



C. IVL. VER. MAXIMVS CAES. Caput Maximi nudum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacenſis Deultana.* Apollo nudus ſtans, dextrâ laurum, lævâ lyram tripodi ſuperpoſitam, pro pedibus ara ignita.

Deultani Thraciæ lætabundi, quòd Thracem haberent Imperatorem, nummos Maximino cuderunt, ſic & Maximo ejus filio, quem ipſe Cæſarem & Imperii conſortem appellaverat, ut narrat Capitolinus in patris vita. *Auguſtus ab exercitu appellatus eſt, filio ſibimet in participatum dato.* Apollo ſui cultum in Colonia denotat, ille laurum ob vaticinia ipſi ſacram gerit, quòd hæc arbor

ad

ad inspirationem & afflatum, & ut Græci dicunt, enthusiasmon, conferat, sicuti Sophocles in Cassandra docet; tripus etiam ad vaticinia spectat, ut sæpe diximus. Apollinis insigne, est lyra, quam à Mercurio accepit, teste Arato in Phænom. *In cujus similitudinem Mercurius lyram fecit: quam postea Apollini datam dicunt.* Ara ignita, pro patris & filii salute sacra Apollini facta à Deultanis indicat.

Hic nummus minimæ formæ, à Tristano tom. 2. pag. 454. & à Patino pag. 358. vulgatus, inter præstantiores numerandus.



COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Mulier calatho insignis, stans ad aram, dextrâ pateram, lævâ cornucopiæ.

Deultana Colonia varios passa est motus, apud Tristanum in Maximi nummis, cùm urbs muris optimè munita, & hodie adhuc ampla sit, nomine *Zagoria.* Illa plurimos Maximo Cæsari ex Thracia provincia sua oriundo percussit. Genius urbis in hoc sacra facit pro salute Principis, ob egregiam pulchritudinem amabilis, & aliunde liberalis, quem tanti faciebat Alex. Severus, ut ei sororem suam Theocliam dare cogitaverit, teste Capitolino in ejus vita. *Mi mater, si Maximinus senior, dux noster, & quidem optimus, non aliquid in se barbarum contineret, jam ego Maximino minori Theocliam tuam dedissem, sed timeo ne soror mea Græcas munditias erudita, barbarum socerum ferre non possit: quamvis ipse adolescens & pulcher & scholasticus, ad Græcas munditias eruditus esse videatur.* Quidam ex militibus Maximinum Cæsarem servare volebant, sed conclamarunt alii, teste Sexto Aur. Victore in Epitom. *Ex pessimo genere, ne catulum habendum.* Ille quidem pro bono habebatur, ut innuere videtur idem Capitolinus. *Hic finis Maximinorum fuit, dignus crudelitate patris, indignus bonitate filii.*

Hic nummus secundæ magnitudinis inter elegantissimos & rarissimos censendus.

TROAS.



C. IVL. MAXIMVS CAES. Caput Maximi nudum.
COL. AVG. TRO. In aliis TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Equus pascens.

Maximinum filium suum Maximum, Cæsarem appellasse testantur nummi & Capitolinus in ejus vita. *Inter hæc Maximinus cum filio suo adolescente, quem Cæsarem appellaverat.* Quamobrem Troadenses, ut Imperatorem sibi conciliarent, Maximo Cæsari nummos percusserunt: in utroque autem equum pascentem libertatis suæ insigne posuere, ut immunitates sibi concessas uterque confirmaret; nam plurimos facultatibus suis spoliabat Maximinus, teste Herodiano in ejus vita p. 592. Ἑκάστης γοῦν ἡμέρας ἦν ἰδεῖν τοὺς ἐχθὲς πλουσιωτάτους, τῆς ἐπιούσης μεταιτοῦντας. *Itaque quotidie cerneres, qui pridie opulentissimi fuissent, eos nunc emendicare stipem.* Vide quæ in Maximino de equi pascentis typo pro immunitatum symbolo diximus. Frænum quidem equo ad jugum indicandum adhibetur; solutus vero & pascens repræsentatur, ad jus naturale arguendum, quo unusquisque liber indicatur.

Hic nummus infimæ molis pro rarissimo habendus.

C. IVLIVS VERVS MAXIMVS
NOBILISSI. CAESAR. PRINCEPS
IVVENTVTIS. GERMANICVS MAX.
DACICVS MAX. SARMATICVS MAX.
IMP. CAES. CAI. IVLI. VERI MAXI
MINI. PII. FEL. AVG. GERMANICI
MAX. DACICI MAX. SARMATI
MAX. FORTISSIMI. CAESA
RIS FILIVS.

Apud Gruterum è Resendio pag. 158. 6.

GORDIA.

GORDIANUS AFRICANUS PATER ET FILIUS.

M. Antonius Gordianus Thyſdri in Africa Imperator, contra Maximinum appellatus, cùm annis 80. jam natus eſſet, Gordianum filium Imperii conſortem, & Auguſtum fecit; deinde Carthaginem profectus, ad Senatum ſcripſit, & Romæ acclamatus eſt, ambobuſque nummi Senatus juſſu percuſſi ſunt; ſed Capellianus Mauritaniæ Procurator, Maximino devotus, à Gordiano ex munere motus, contra ipſum exercitum comparavit, Carthaginenſes prælio fudit, & Juniore Gordiano in acie occiſo, Carthaginem contendit, qua re audita Gordianus ſenior, laqueo ſibi vitam eripuit. Utriuſque nummi ab Antiquariis deſcripti quidem fuere, ſed nullus eorum Græcos protulit: porro nuper à duobus annis in patris honorem quatuor in Ægypto cuſi, à nobis ſunt obſervati, quorum unum à Medico Piſano emptum, Ducis Cenomanenſium Patroni munificentiſſimi cimelio addidimus, rarioremque alterius iconem ipſius Principis oculis delectationis gratiâ hîc ſubjicimus: ſpes etiam aliqua ſubeſt nummos in Africæ Coloniis in eorum honorem percuſſos aliquando recuperandi.



BALBINUS ET PUPIENUS.

Balbinus & Pupienus, mortuis in Africa Gordianis, Romæ Imperatores contra Maximinum P. Romani hoſtem appellatum, electi ſunt, & nummi in utriuſque honorem Senatuſconſulto cuſi, inter raros non collocantur, ſed Græci pro elegantiſſimis habentur, quòd plurimæ urbes vivo Maximino, & rebus adhuc incertis, eorum partibus adhærere non auderent, at illo Imperatore in Aquileiæ obſidione à militibus interfecto, Balbinus & Pupienus Romæ etiam militari ſeditione paulo pòſt obtruncati ſunt. Breve eorum Imperium, & non ultra annum extenſum videtur, cùm eorum nummi II. TRIB. poteſtatem non ſignent. Porro Græci cum Balbini effigie, & ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. ΜΙΛΗCΙΩΝ, & ΤΑΡCΟΥ epigraphe reperiuntur, imò plurimi in Pupieni honorem in hac Metropoli, & quidem maximi moduli occurrunt ſignati, cum inſcriptione ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΤΑΡCΟΥ. Ægyptios etiam cum nota Imperii prætermittimus, ſic recuperandorum in Coloniis cuſorum ſpes, diligentibus hujuſce ævi nummariæ rei ſtudioſis, non abjicienda videtur.





GORDIANUS III.





ORDIANUS III. Gordiani Africani Senioris nepos, cum Balbino & Pupieno Auguſtis à Populo Romano Cæſar rogatus, ipſis à militibus poſtea interfectis, Imperium adeptus eſt ætatis anno 16. Perſas Meſopotamiam & Syriam invadentes fugavit, Antiochiam, Carrhas & Niſibin recuperavit; ſed ante hoc bellum ſuſceptum, fecit iter in Mæſiam, & quidquid hoſtium in Thracia fuit, delevit, expulit atque ſummovit; in Coloniam Legionum IIII. & VII. Veteranos VIMINACIUM Mæſiæ ſuperioris urbem deduxit, Tribunitiam poteſtatem VII. adeptus, anno 22. Philippi artibus periit.

GORDIANI *nummi ex omni modulo obvii & frequentes.*

ANTIOCHIA Piſidiæ.



IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS AVG. Caput Gordiani laureatum.

COL. CAES. ANTIOC. in imo S. R. *Colonia Cæſarea Antiochia.* Duæ figuræ ſtantes dextram ſibi arâ intermediâ porrigunt, virilis quidem lævâ concordiæ ſignum ſuſtinet, muliebris verò ſceptrum.

Antiochia Piſidiæ, Cæſarea ab Auguſto Coloniæ fundatore vocata, Gordiano nummos dedicavit, ſi mihi conjecturæ locus, cùm ille hanc urbem, in Syriam contra Perſas contendens, comitante uxore Tranquillina, ingreſſus eſt, ideo Imperatoris & Auguſtæ figuras ob recens eorum matrimonium dextras ſibi invicem porrigentes ſignarunt; Gordianus enim paulò ante ex urbe diſceſſum Miſithei filiam in uxorem duxit, teſte Capit. *Gordianus priùs quàm ad bellum proficiſceretur, duxit uxorem filiam Miſithei.* Auguſtus & Auguſta ſuper aram dextras jungunt in fidei, teſtibus Diis, monumentum, nam ut Diodorus ait lib. 16. pag. 533. Ἐςι δ' ἡ πίςις αὕτη βεβαιοτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις. *Hæc certiſſima fidei apud Perſas arrha eſt.* Gordianus concordiæ ſignum gerit, ad denotandum conjuges inter ſe concordes eſſe debere; Tranquillina ſceptrum, ob communicatam ipſi per matrimonium Imperii dignitatem. Litteræ S. R. Senatus Romani Coloniam ab Auguſto factam approbantis notæ ſunt.

Hic nummus primæ magnitudinis inter elegantiores recenſendus.



COL. CAES. ANTIOC. S. R. *Colonia Cæſarea Antiochia.* Duæ figuræ cippis impoſitæ dextras ſibi jungentes, virilis quidem lævâ victoriolam gerit, muliebris verò ſiniſtrâ cornucopiæ.

En

En alterum matrimonii Gordiani & Tranquillinæ monumentum ab Antiochensibus Pisidiæ signatum, illi Augustis nimium adulantes, Gordianum quidem sub Deo Luno urbis tutelari numine, Tranquillinam verò sub Genii Coloniæ imagine exhibuerunt. De Luni templo & cultu in hac Colonia, apud Strabonem lib. 12. pag. 577. sub nomine *Mensis* memorato, sæpius diximus. Genius urbis sub mulieris turritæ icone, eo modo in Sept. Severi nummis ab Antiochensibus signatus est, Lunus quidem victoriam tenet, tamquam monumentum earum quas de Persis relaturus erat Gordianus. Solebant ita veteres ejus signum pro Augurio in nummis repræsentare, ut in Gordianis Africanis & aliis videre est. Genius verò cornucopiæ, solenne tanquam symbolum gerit.

Hic nummus primæ magnitudinis inter elegantissimos & rarissimos numerandus.



Eadem epigraphe, sed caput Gordiani radiatum est.

COLONIA CAES. ANTIOCHIA. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochia.* Cybele turrita sedens inter duos leones, sinistrâ tympano appositâ, quod genu sustinet.

Figura illa turrita cum tympano inter leones sedens, Rhea est, seu Cybele, aliisque nominibus apud Strabonem lib. 10. appellata, quod confirmat Lucianus de Dea Syria. Σημήια δὲ ἡ θεὸς τὰ πολλὰ ἐς Ῥέαν ἀπικνέεται· λέοντες γὰρ μιν φέρουσι, καὶ τύμπανον ἔχει, καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει ὁκοίην Ῥέην Λυδοὶ ποιέουσι. *Multaque adsunt signa Deæ, quæ faciunt, ut Rhea videatur: leones enim ipsam ferunt, habetque tympanum, & super capite turrim gestat, qualem Rheam Lydi fingunt.* Rhea Græcis, & πυργοφόρος: Ops seu Terra latinè vocata, eaque turribus ornata est, quòd Terra contineat civitates, & ipsæ antiquitùs in summitate montium fierent. Per tympanum seu cymbalum, alii orbem terræ significari putant, alii ejus insigne, ob cymbala quibus in sacris ejus Sacerdotes utebantur. De Leone ipsius comite, audias D. Augustinum de Civ. Dei. *Leonem*, inquit, *ei adjungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant, nullum esse genus terræ tam remotum ac vehementer ferum, quod non subjici cuique conveniat.* Cybele in nummo signata, Antiochiæ sui cultum indicat.

Hic nummus majoris moduli pro raro & insigni computandus.



Eadem epigraphe, caput Gordiani laureatum.

COL. CAES. ANTIOCH. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochia.* Colonus agit boves, juxta eum duo signa militaria.

Colonus agens boves, deductæ Coloniæ symbolum est. Colonus aratro designabat locum ubi erat condenda urbs, quod Romanis rarò contigit; ab illis enim sæpe in urbem jam conditam mittebantur Coloni, nec etiam oppidum nomen mutabat, ut asserit Strabo lib. 5. pag. 216. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι παραλαβόντες, καὶ πέμψαντες ἐποίκους πολλαχοῦ, συνεφύλαξαν καὶ τὰ τῶν προεποικησάντων γένη. *Romani autem rerum potiti, cùm Colonos in varia loca emitterent, nomina tamen eorum, qui priùs ibi habitaverant, conservarunt.* Imperatores deinde, modò cognomina, modò gentis suæ nomina ad rei memoriam Colonis imposuerunt, ut ipsa Antiochia, quæ cognomen Augusti tulit, & aliæ quæ Aurelias & Septimias appellationes sortitæ sunt. Signa militaria juxta Colonum, Veteranis Coloniam frequentatam fuisse indicant.

Hic nummus primæ molis pro raro notandus.



COL. CAES. ANTIOCH. S. R. *Colonia Cæſarea Antiochia.* Lupa ſub arbore puerulis lac præbens.

Lupæ cum puerulis typus, alterum eſt Coloniarum ſymbolum: ut enim Coloni boves agentis imago, deductæ quidem Coloniæ erat index, lupæ verò puerulis lac præbentis ſimulacrum, Romanam deſignabat Coloniam; hoc inſigni utebantur Romani ad urbis ſuæ originem vel antiquitatem indicandam. Romulum & Remum fratres ex Rhea Sylvia ortos, Amulii juſſu expoſitos nemo neſcit, ſed quæ arbor iſta juxta ipſos, ficus eſt, ſub qua ipſi inventi ſunt, dicta *Ruminalis*, teſte Plutarcho in Romulo pag. 19. Ην δὲ πλησίον ἐρινεὸς, ὃν Ρωμινάλιον ἐκάλουν, ἢ διὰ τὸν Ρωμύλον (ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν) ἢ διὰ τὸ τὰ μηρυκώμενα τῶν θρεμμάτων ἐκεῖ διὰ τὴν σκιὰν ἐνδιάζειν, ἢ μάλιστα διὰ τὸν τῶν βρεφῶν θηλασμὸν, ὅτι τήν τε θηλὴν ῥοῦμαν ὠνόμαζον οἱ παλαιοί. *Erat juxtà ficus, quam Ruminalem dicebant, ut multorum eſt opinio, à Romulo; vel quia pecora ruminantia illic captabant umbram, vel, quod maximè probatur, propter puerorum lactationem: mammam enim vocabant Rumam.*

Hic nummus primæ magnitudinis, mutilus ab Angelono pag. 245. edit. 2. vulgatus, in rarorum numero collocatur.

B E R Y T U S.



IMP. GORDIANVS AVG. Caput Gordiani radiatum.
COL. BER. *Colonia Berytus* vel *Berytenſis.* Neptunus pede proræ impoſito dextrâ delphinum; ſiniſtrâ tridentem.

Berytus urbs Phœniciæ, Saturni fuit opus, ut tradit Nonnus Dionyſ. 41.

Καὶ Βερόης ναίεσκε πόλιν πρωτόσπορον ἕδρην,
Ην Κρόνος αὐτὸς ἔδειμε.
Et Beroe habitabant urbem primò ſeminatam ſedem,
Quam Saturnus ipſe ædificavit.

Illam verò Saturnum Neptuno dediſſe tradit Sanchoniaton apud Euſebium l. 1. Præpar. Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι, Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι. *Interea Saturnus Biblum quidem urbem Deæ Baltidi, quæ & Dione, dono dedit; Berytum autem Neptuno.* Ideo Nonnus narrat. lib. 43. Neptunum Beryto urbi amicum.

Καὶ Βηρόης ναέτῃσιν ἑῆς κειμήλιον εὐνῆς
Αρεος εἰναλίοιο θαλασσαίην πόρε νίκην.
Et Beroes habitatoribus ſui rem pretioſam cubitis
Martis Neptuni marinam præbuit victoriam.

De tridente Neptuni ſymbolo, & delphine ipſi ſacro, ſæpius diximus.

Hic nummus minimi moduli obvius & frequens eſt.



COL. BER. *Colonia Berytus* vel *Berytenſis.* Bacchus nudus ſtans, dextrâ uvæ racemum, ſiniſtrâ thyrſum, pro pedibus panthera.

Berytus Bacchum coluiſſe videtur ob felicem ejus in Phœniciam adventum, & ob vites quas in agro Berytio poſuit, ut innuere videtur Nonnus 41. dum narrat illius adventum in regiones circa Libanum in vicinam Beroes terram.

Πήξας

Πήξας ἀγλαόκαρπον ἐπὶ χθονὶ βότρυν ὀπώρης,
Οἰνοτόκος ἐμέθυσεν ὅλης κενεῶνας ἀρούρης.
Figens præclaros fructus ferentem in terrâ uvam vitis
Vinigenis implevit totius ventres terræ.

Idcirco Berytii Bacchum uvæ racemum ipsius donum gerentem cuderunt, & Nonnus loco cit. in Beryti urbis descriptione indicat ex qua parte locus erat vineis consitus.

Εἰς ῥαχίην νοτίην ψαμαθώδεές εἰσιν ἀταρποὶ
Εἰς χθόνα Σιδονίην· ὅθι ποικίλα δένδρεα κήπων
Καὶ σταφυλαὶ κομόωσι.
In littore Australi arenosæ sunt viæ
Ad terram Sidoniam : ubi variæ arbores hortorum
Et uvæ florent.

De thyrso Bacchi pro armis symbolo dictum est, ut de panthera ipsi sacra.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.



IMP. GORDIANVS AVG. COS. II. Caput Gordiani radiatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Bacchus seminudus cum strophio, dextrâ cornucopiæ, sinistrâ thyrsum, pro pedibus panthera.

Hic nummus Gordiano in Syria moranti cusus videtur ob epigraphen Consulatus II. post cujus adeptionem in eam venit ad propulsandos Persas P. Romani provincias vastantes. Bacchus in superiori nummo dextrâ racemum, ut vitium sator, in hoc cornucopiæ gerit, ut urbis Genius : solemne enim Genii symbolum, cornucopiæ est. Nonnus autem Dionys. 41. Beroen urbem Bacchi fundamentum appellat.

Ῥίζα βίου Βερόη, πολίων τροφὸς, εὖχος ἀνάκτων,
. . . .
Βάκχου τερπνὸν ἔδεθλον, ἐναύλιον ἰοχεαίρης.
Radix vitæ Beroe, urbium nutrix, decus regum,
. . . .
Bacchi jucundum fundamentum, domicilium Dianæ.

Berytii alludunt forsan Baccho urbis suæ Genio cornucopiæ gerenti, quòd ille post vinum inventum, cornu ad illud bibendum usus sit, teste eodem Nonno Dionys. 12.

Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.
Et poculum curvum habuit bovis cornu.

Quasi illud cornu alterum sit abundantiæ symbolum. De thyrso & panthera sæpius à nobis dictum. Occo pag. 432. in hoc nummo legit levi errore PEL. pro FEL. quem vidit Com. Mediobarbus.

Hic nummus minimæ formæ, à Patino vulgatus pag. 370. obvius est.



COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Bacchus nudus stans, inter duos palmites, dextrâ coronam sibi imponit, sinistrâ satyrum amplectitur, pro pedibus pardalis.

Erizzus hunc nummum erosum cum dimidia tantùm ipsius inscriptione COL. IVL. AVG. reliqua verò deleta FEL. BER. vulgavit, eamque ob causam *Coloniæ Juliæ Augustæ* ascripsit, quam Juliam Augustam, Jubæ urbem Regiam existimat. Eundem describit Occo pag. 435. sed lepidè : *Mulier*, inquit, *nuda cum infantulo juxta vitem cum canicula*, quasi verò Bacchus sit, mulier nuda ; Satyrus verò, infantulus ; denique Pardalis, canicula. Occonem nimis religiosè sequutus Mediobarbus nummum pag. 341. ad eandem *Coloniam Juliam Augustam* nulli regioni ascriptam revocat : P. autem Harduinus pag. 177. hanc urbem fictitiam, Gaden esse existimat, sed hic nummus ad Berytum pertinet : nummi autem typus, feracitatem vini circa hanc urbem denotat. Berytium vinum Plinius commendat lib. 14. cap. 8. Bacchus tanquam vini inventor, sibi coronam imponit, propterea pampini ipsi adstant, eademque de causa ille Satyrum comitem & vini aman-

 tissimum

tissimum amplectitur. Videas Satyros in vindemia cum Baccho occupatos apud Nonnum Dionys. 12.

Καὶ Σατύρων χορὸς ἦεν ὁμόστολος, &c.
Et Satyrorum chorus, comes erat.

Hic nummus infimæ molis, ab Erizzo pag. 506. vulgatus, pro raro notandus.



IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. COS. II. Caput Gordiani laureatum.
COL. IVL. AVG. FEL. BER. Mulier turrita pectore tenus in templo tetrastylo, hinc & inde signum militare, juxtaque cornucopiæ, pro gradibus templi, Leo.

Mulier illa pectore tenus, Astarte est seu Venus Cœlestis, aut Genius urbis, vel potiùs Venus sub Genii figura. Astarten integram in simili templo quatuor columnis suffulto in Berytensium nummis sæpius protulimus, quam urbis tutelare numen esse, ob ipsius filiam *Beroe* dictam, Nonnus tradit, ideo ille Berytum Veneris habitationem vocat Dionys. 41.

Ἕνδιον εὐφροσύνης, Παφίης δόμος, οἶκος ἐρώτων.
Domus lætitiæ, Veneris habitatio, domus Amorum.

Duæ Aquilæ legionariæ, ad antiquitatem Coloniæ indicandam, de quibus in sequenti nummo, appositæ sunt, hinc & inde cornucopiæ, ad omnium rerum in regione abundantiam arguendam. De Leone pro typo, in Berytensium nummis Valeriano dicatis, agemus.

Hic nummus ex omni modulo obvius, inter mediocres à Patino pag. 369. descriptus est.



IMP. GORDIANVS AVG. Caput Gordiani radiatum.
COL. BER. *Colonia Berytus* vel *Berytensis.* Duæ Aquilæ legionariæ.

Has duas legionarias Aquilas in Augusti, Hadriani, Juliæ Piæ, & aliorum nummis, ad Veteranos duarum Legionum, v. scilicet Macedonicæ, & VIII. Augustæ, in Coloniam Berytum missos spectare diximus: illæ verò in hoc nummo signantur, ad memoriam Coloniæ renovandam, & non tanquam Legionis cujusdam Beryti stativa habentis indices, ut existimat Eq. Patinus in Gordiani nummis. Berytus, Colonia à Julio constituta, unde illi nomen *Juliæ*, ab Augusto Veteranis frequentata est, unde nomen *Augustæ* additum, ideo Nonnus Beryti felicitatem videtur indicare Dionys. 41.

Σκῆπτρον ὅλης Αὔγουστος ὅτε χθονὸς ἡνιοχεύσει,
Ῥώμῃ μὲν ζαθέῃ δωρήσεται Αὐσόνιος Ζεὺς
Κοιρανίην, Βερόη δὲ χαρίζεται ἡνία θεσμῶν,
Ὁππότε θωρηχθεῖσα φερεσσακέων ἐπὶ νηῶν
Φύλοπιν ὑγρομόθοιο καταυνήσει Κλεοπάτρης.
Sceptrum totius Augustus quando terræ gubernabit,
Romæ quidem divinæ dabit Ausonius Jupiter
Imperium, Beroe verò indulget fræna legum,
Quando armata scutiferis in navibus
Pugnam navalem sopiet Cleopatræ.

Urbes sese felices prædicabant, cùm Coloniæ erant constitutæ.

Hic nummus minimi moduli, à Patino vulgatus pag. 369. obvius habetur.

CARRHÆ.



ΑΤΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. Caput Gordiani laureatum.

ΜΗΤΡ. ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Καῤῥηνῶν. Caput muliebre turritum & velatum, ſupra quod creſcens Luna, ante illud figura ſeminuda & barbata columnæ impoſita, dext. malleum gerens, in area nummi arula.

Carrheni Meſopotamiæ, nummos ſuos Gordiano Perſarum victori in grati animi monumentum cuderunt, quòd ille urbem ſuam ab illis jam occupatam recuperaſſet, ut Imperator ipſe narrat in epiſtola ad Senatum ſcripta, apud Capitolinum: *Carrhas deinde, cæteraſque urbes Imperio Romano reddidimus.* Caput muliebre, Genius eſt urbis, turribus inſignitur tanquam provinciæ Metropolis. Luna creſcens, ad Dei Luni cultum ſpectat, de quo in nummo ſequenti. Figura ſenilis & barbata columnæ impoſita, malleum dextrâ gerens, non Gordianus eſt Imperator, ut putat Triſtanus, cujus ſignum ſupra columnam in recuperatæ urbis memoriam poſitum eſt, ſed Cabirus apud Carrhenos cultus, cui arula, ſacra ob Gordiani victorias perpetrata indicat. Cabirorum ſimulacra erant, ὅμοια τοῖσι τοῦ Ηφαίϛου, *Vulcani ſimulacris ſimilia*, teſte Herodoto l. 3. In Phœnicia illos plurimum cultos narrat Sanchoniaton apud Euſebium lib. 1. Præpar.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro habetur, cùm Imperatore columnæ impoſito; & cum epigraphe ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *pro* ΜΗΤΡ. ΚΟ. *à Triſtano tom. 2. pag. 509. vulgatus eſt.*



IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. Caput Gordiani radiatum.

ΜΗΤ. ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Καῤῥηνῶν. Aſtrum in creſcente Luna.

Jam notarunt Antiquarii Erizzi errorem pag. 508. in quia conjungit ΚΟΛΚΑΡΡηνων, & populos in Græcia Colcharrinos quærit, cùm diſpeſcendæ ſint voces, & nummus ſpectet ad Carrhas Meſopotamiæ Coloniam, in quam Caſſium poſt Craſſi cædem ſe recepiſſe narrat Plutarchus in Craſſ. pag. 561. Ἀλλὰ καὶ Κάσσιος μὲν ἐπανῆλθεν εἰς Κάῤῥας πόλιν. *Verùm Caſſius retulit ſe Carrhas.* Creſcens Luna, vulgaris eſt urbis typus, quem in M. Aurelio, Caracalla & aliis, ad Dei Luni cultum pertinere diximus, cujus erat celeberrimum apud Carrhenos templum. Arabes & Meſopotamiæ populi ita Lunam venerabantur, ut quaſi Lunares dicti eſſent, apud Bochartum part. 1. lib. 2. cap. 19. Lunus autem vocatus eſt, quia Luna mas & fœmina exiſtimabatur; & creſcens Luna exhibetur, quòd illa in Noviluniis culta eſſet, quo tempore διχότομος dicitur: Meſopotamiæ verò populi, qui Mahometiſmum receperunt, Lunæ cultum vix excuſſerunt, & Lunam novam magnis exclamationibus pro ſolenni feſto celebrando aſpectant. Aſtrum ſeu Sol in Creſcente Luna appoſitus videtur, quòd Luna à Sole lumen recipiat.

Hic nummus minimi moduli nec rarus nec obvius eſt.

COILLU, vel COELLU.



IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. Caput Gordiani laureatum.

AEL. MVNIC. COIL. AN. *Ælium Municipium Coillutanum Antoninianum.* Silenus dextrâ erectâ utrem hircinum humero ſiniſtro gerit.

Coillu Numidiæ urbs, & Municipium, nummos ad fidem & obſequium Gordiano teſtandum percuſſit: in Africa enim Carthaginenſes, Sabiniano Imperatore appellato rebellaverant, teſte Zoſimo lib. 1. Μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Καρχηδόνιοι, τῆς τοῦ βασιλέως εὐνοίας ἀλλοτριωθέντες, Σαβινιανὸν εἰς βασιλείαν παράγουσι. *Non multo poſt & Carthaginenſes, à benevolentia Principis alienati, Sabinianum ad Imperium efferunt.* Silenus in nummo ſui cultum in hac urbe indicat. Plurimi autem populi illum venerati ſunt, quòd Bacchi Magiſter fuerit, ut tradit Julianus in Cæſſ. pag. 37. Οὐ γὰρ ὦ παῖ, ἔφη, καὶ σὺ φιλόσοφος ὑπ' ἐμοῦ γέγονας. *Non & tu, ô fili, inquit ille, in philoſophicis quoque diſciplinis à nobis es inſtitutus & eruditus.* Sed potiùs forſan eum coluerunt, quòd ille vites conſeverit: in Deorum enim numerum hi qui hominibus beneficia contulerant, referebantur.

Hic nummus infimæ molis rarus eſt.

DEULTUM.





IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. AVG. Caput Gordiani laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Duo Fluvii decumbentes, alter quidem barbatus dextrâ arundinem, lævâ cornucopiæ, urnæ aquas vomenti innixo, alter autem muliebri effigie, dextrâ etiam arundinem, lævo cubito pariter urnæ innixo. Ante figuram prioris, navis cum velo.

Deultum urbs est & Colonia Thraciæ, cujus situm nos edocet elegans hic Gordiani nummus, ad Panysum scilicet fluvium in Euxinum mare inter Mesembriam & Odessum influentem, vel potius ad Panysi cum altero amne confluentem, quorum alter urbem interfluit, alter verò alluit, infra autem confluunt. Alibi quidem diximus fluvios in mare illabentes cum barba, tanquam aliorum patres effingi; alios vero in alios sese exonerantes, imberbes repræsentari. Ejus amnis in Panysum illabentis nomen apud Geographos non invenimus. Navis cum velo, navigabilem esse Panysum denotat, unde abundantia urbi, quod fluvii figura cornucopiæ gerens arguit. Deultum ad lacum situm esse tradit Plinius lib. 4. cap. 11. *Oppida, Thynias, Halmydessos, Deulton cum stagno, quod nunc Deultum vocatur, veteranorum.*

Hic nummus secundæ magnitudinis præstantissimus est.



COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Apollo nudus stans dextrâ laurum, sinistro cubito innixus lyræ tripodi superpositæ.

Idem Apollinis typus in nummis Deultanæ Coloniæ Maximo Cæsari dicatis prodiit, quem ejus Dei in urbe cultum indicare diximus; imò præcipuum & tutelare numen auguramur, siquidem plurima hujusce tractus oppida Milesiorum Colonias fuisse asserit Strabo lib. 7. Mileti autem celeberrimum erat Apollinis Didymei Oraculum; & Apollonia ab iis in Deulti vicinio condita est, ubi Strabo pag. 319. fanum Apollinis fuisse dicit. Οπερ ἱερὸν τοῦ Απόλλωνος· ἐξ οὗ Μάρκος Λεύκυλλος τὸν κολοσσὸν ἦρε, καὶ ἀνέθηκεν ἐν τῷ Καπιτολίῳ τὸ τοῦ Απόλλωνος, Καλάμιδος ἔργον. *Ubi fanum est Apollinis: unde Marcus Lucullus Colossum Apollinis, opus Calamidis, sublatum in Capitolio dedicavit.* Deultum in superiori nummo ad Panysum locavimus, quem in Pontum inter Odessum & Mesembriam illabi tradidimus. Strabo autem loco cit. subjunxit: Εν τῷ μεταξὺ τῷ διαστήματι, τῷ ἀπὸ Καλάτιδος εἰς Απολλωνίαν Βιζώνη τέ ἐστιν, καὶ Κρουνοί, καὶ Οδησσὸς Μιλησίων ἄποικος. *Inter Calatin & Apolloniam Bizona est, & Cruni, & Odessus Milesiorum Colonia.* Deultum etiam Milesiorum Coloniam fuisse suspicamur, ob Apollinem nudum tanquam Vatem, cum lauro & tripode signatum, ut apud Milesios colebatur.

Hic nummus infimæ molis pro raro numerandus.



IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. Caput Gordiani laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Æsculapius dextrâ innixus baculo, cui involutus est serpens.

Deultana Thraciæ Colonia suos Gordiano nummos in victoriæ monumentum cudisse videtur, quam ille in Syriam contra Persas contendens retulit, cùm barbaros provinciam vastantes vicit & propulsavit, annuente Capitolino in ejus vita. *Fecit iter in Mæsiam, atque in ipso procinctu, quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque submovit.* Æsculapius in nummo sui

cultum

cultum Deulti denotat; ille enim ex Coronide Apollinis filius perhibetur, ut narrat Hyginus Poët. Aſtron. l. 2. *Hiſtrus autem & complures dixerunt, Coronida Phlegyæ filiam fuiſſe, hanc autem ex Apolline Æſculapium procreaſſe.* Cùm Apollo urbis tutelaris eſſet Deus, nil mirum ſi Deultani patrem & filium venerati ſint.

Hic nummus ſecundi & minimi moduli inter rariores reponendus.

EDESSA.



ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΩΣ ΣΕΒ. Caput Gordiani radiatum.

ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Εδεσσηνῶν. Caput muliebre velatum & turritum, ante quod columna, in qua Diana ut videtur Venatricis habitu, dextrâ extensâ telum, lævâ arcum.

Ad Edeſſam Meſopotamiæ pertinet hic Gordiani typus, cui etiàm alterum hujus Imperatoris nummum cum epigraphe ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ tribuit Triſtanus tom. 2. pag. 510. cùm ad Edeſſam Macedoniæ urbem ſpectet. Gemina fuit urbs nomine Edeſſa, altera Macedoniæ Straboni & aliis, altera Meſopotamiæ. Illa in nummis ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ vel ΕΔΕΣΣΕΩΝ inſcriptionem præfert, hæc ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ epigraphen, ſed ſemper cum Μητροπόλεως Κολωνίας nominibus, quod P. Harduinum fugit, qui duas illas urbes in Gordiano ad eandem urbem pag. 144. revocat. Edeſſeni Gordiano gratulantes, cùm ille in urbem ſuam ad Meſopotamiam à Parthis recuperandam venerit, nummos ei cuderunt. Caput turritum, Genius eſt urbis; Diana columnæ impoſita, ſui cultum Edeſſæ indicat.

Hic nummus primæ magnitudinis rarus eſt, ſed ſine columna parvi moduli obvius.

HIPPO Regius.



M. ANT. GORDIANVS. Caput Gordiani laureatum.

C. G. I. H. P. *Colonia Gemella Julia Hipponenſis Pia.* Capricornus pedibus globum, deſuper cornucopiæ.

Characteres hujus nummi ſibi admodum obſcuros fatetur Patinus pag. 370. illum ideo inter incertas urbes relegavit Mediobarbus pag. 341. ſed P. Harduinus, nummo ad Hadrumetinam Coloniam pag. 189. revocato, eum explanaſſe gloriatur; Lector autem dijudicet, an non potiùs ille ad Coloniam Hipponenſem, ut jam in M. Aurelio & Caracalla diximus, pertineat. Hippo urbs Africæ gemina, altera Hippo Regius, altera Hippo Diarrhytos Straboni vocata eſt, ideo *Gemella* in nummis: Hippo Regius, *Colonia Hipponenſis* Plinio Juniori epiſt. 9. dicta eſt. *Juliæ* nomen, eam à Julio Cæſare conſtitutam arguit. Hadrumetina verò Colonia, ex ipſo P. Harduino *Ulpia Trajana* vocatur, ergo à Trajano deducta eſt, nec cum inſcriptione nummi convenit. Hipponenſes nummos Gordiano in obſequii monumentum cudiſſe videntur, cùm Sabinianus Imperator in Africa appellatus eſt, ut narrat Capitolinus. *Inita eſt*, inquit, *factio in Africa contra Gordianum Tertium duce Sabiniano: quem Gordianus per Præſidem Mauritaniæ obſeſſum à conjuratis ita oppreſſit, ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent.* Capricorni globum amplectentis typus cum cornucopiæ, in nummis Auguſti frequens occurrit, quòd ille ſub hoc ſigno natus eſſet, cui alludunt Hipponenſes, quòd ſimiliter Gordianus ſub hoc ſidere V. Non. Jan. Turpilio Dextero & M. Mæcio Ruffo Coſſ. an. U. C. 978. ortus eſſet.

Hic nummus minimi moduli, à Patino p. 370. editus, inter rariſſimos computandus.

NESIBIS.



ΑΥΤ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CE. Caput Gordiani radiatum.

CΕΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕCΙΒΙ. *Σεπτιμίας Κολωνίας Νέσιβι.* Caput muliebre velatum & turritum, ſupra quod Aries.

Neſibi urbs Meſopotamiæ nummos Gordiano liberatori dedicat, Sapor enim Perſarum Rex cùm Romanos Imperatorem elegiſſe adoleſcentem intellexiſſet, collectis undique copiis in Meſopotamiam irruerat, & Antiochiam Syriæ uſque pervenerat, ſed Gordianus re audita cum Legionibus Romanis Miſitheo ſocero ſuo duce in Syriam mox contendens, fugatis & devictis Perſis, provincias illas recuperavit, de quo ad Senatum ſcripſit, tradente Capitolino. *Carrhas deinde, cæteraſque urbes Imperio Romano reddidimus, Niſibim uſque pervenimus.* Mulier turrita, urbis Genius eſt, cui templum ad inſtar aliarum Meſopotamiæ & Syriæ urbium dedicatum exhibet nummus Philippi: inſidet illa rupibus, ad indicandum in clivo montis Maſii ſitum, teſte Strabone lib. 16. pag. 747. Ἐν οἷς ἐστιν ἡ Νίσιβις, ἣν καὶ αὐτὴν Ἀντιόχειαν τὴν ἐν τῇ Μυγδονίᾳ προσηγόρευσαν, ὑπὸ τῷ Μασίῳ ὄρει κειμένην. *Quorum eſt Niſibis, quam Antiochiam Mygdoniam appellarunt, ſub monte Maſio ſitam.* Aries annum ſub hoc ſigno inchoare Neſibenſes denotat.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores recenſendus.

OLBA.





IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. AVG. Caput Gordiani laureatum.

COL. OLBA....... *Colonia Olbabenorum.* Bacchus ſtans, dextrâ poculum, lævâ thyrſum, pro pedibus pardalis.

IVL. MAESA. AVGVSTA. Caput Juliæ Mæſæ COL. IVL. AVG. OLBABEN. *Colonia Julia Auguſta Olbabenorum.* Deus Lunus eques.

Nummus Juliæ Mæſæ inter incerta ejus numiſmata pag. 111. aſcriptus.

Olba urbs Pamphyliæ, & non Olbia; locorum enim orthographia è nummis aſſeritur: eidem appellationi Stephanus etiam ſuffragatur. Καὶ οὐχ Ὀλβία, ἀλλὰ Ὄλβα καλεῖται. *Neque Olbia, ſed Olba vocatur.* Colonia in nummis inſcribitur, à Strabone verò μέγα ἔρυμα, *magna munitio*, appellata eſt. Porrò quantam nummus à nummo lucem fœneratur! qui Gordianum exhibet, alterum Mæſæ incertum dilucidat, hic vero illum illuſtrat: neſciremus enim ſine ipſius ope, à quo Colonia deducta ſit Olba; ipſam à Julio Cæſare conſtitutam, & ab Auguſto vel Colonis iterum, vel Veteranis frequentatam, *Juliæ* & *Auguſtæ* nomina convincunt; iiſdem etiam appellationibus Cremna Colonia in Pamphyliæ confinio ornatur in ſuperioribus Elagabali nummis, unde octoginta civium millia in tranſmarinas Colonias à Julio Cæſare diſtributa apud Suetonium, quò pervenerint, è nummis quotidie eruimus. Bacchus ſui cultum Olbæ indicat, quòd vites forſan in illius agro eſſent fœcundiſſimæ.

Hic nummus mediocris moduli inter rariſſimos & elegantiſſimos aſcribendus.

PATRÆ.



IMP. M. ANT. GORDIANVS AVG. Caput Gordiani laureatum.

COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Prospectus urbis, in cujus vertice tria templa, in medio duplicis columnarum ordinis ædificium, in imo duæ naves, statuâ supra basim intermediâ.

Jam percussus est similis Coloniæ Patrensis prospectus in Commodi nummis, alterum in Caracalla exhibuit Jac. Sponius Itin. lib. 3. pag. 172. Prospectus ille, tres urbis continet partes; superior templis magnificentissimis ornatur, in media Odeum est, de quo Pausanias lib. 7. pag 437. Κεκόσμηται ᾗ καὶ ἐς ἄλλα τὸ ᾠδεῖον ἀξιολογώτατα τῶν ἐν Ἕλλησι. *Exornatum Odeum illud est omnium, quæ in Græcia sunt, magnificentissimè.* Id in foro erat cum illo junctum; pars denique inferior portum repræsentat, urbs autem in clivo ad littus maris sita est. Statua basi imposita Augustus esse videtur Coloniæ fundator, qui de urbe tam bene meritus est, ut ex Achæis omnibus, solis tantùm Patrensibus sua libertate uti, teste eodem Pausania, concesserit.

Hic nummus minoris formæ pro rarissimo habendus.



GORDIANVS. AVG. Caput Gordiani.

COL. A. A. PATREN. *Colonia Augusta Aroe Patrensis.* Victoria globo imposita, dextrâ lauream, lævâ palmæ ramum gerit.

Patrenses Gordiano blandientes ob victoriam de Persis relatam, nummos ipsi dedicarunt, in ejusque honorem Victoriæ signum globo impositum in iis percusserunt, quòd Imperator per ultimam hanc victoriam ubique terrarum hostes superare visus sit: in Urbe enim Veteranorum cum populo seditio, sola ipsius ad Imperium electione, sedata est. In Africa rebellarant Carthaginenses, sed Gordianus copiis Africanis excitis, Sabinianum tyrannidis affectatorem oppressit; in Europa barbaros Mœsiam atque Thraciam ingressos delevit, & fugavit; in Asia denique Persas vicit, & ex provinciis Romanis expulit, quæ omnia cum inscriptione ejus sepulcro apposita conveniunt.

DIVO GORDIANO
VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM,
VICTORI SARMATARVM,
DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM,
VICTORI GERMANORVM,
SED NON VICTORI PHILIPPORVM.

Hic nummus minimæ formæ nec obvius, nec rarus est.

PELLA.



IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. AVG. Caput Gordiani laureatum.

COL. IVL. AVG. PELLA. Diversæ sunt epigraphæ. *Colonia Julia Augusta Pella.* Figura virilis nuda insidens monticulis, coronam supra caput sibi imponit, lævo cubito fistulæ agresti imposito, pro pedibus pedum.

Pellenses Macedoniæ Coloni nummos etiam Gordiano consecrant, sed illos ad urbem suam tantùm spectantes exhibuerunt. Figuram virilem nudam, Apollinem urbis tutelarem Deum jam antè diximus; nobis etiam suffragatur Goltzius in nummis Asiæ Minoris tab. 23. Apollo coronam sibi imponit ob victum Marsyam, cujus fistulam sub brachio tanquam victoriæ trophæum gerit: pedum, seu pastorale illius baculum, cùm Admeti armenta pascebat, juxta ejus pedes apponitur; montibus ille insidet, ut rectè Ill. Spanhemius Not. in Julian. Cæss. pag. 160. & 400. observavit: sita enim erat urbs in tumulo, ex Livio l. 44. c. 6. ideo illam Oppianus appellat *Excelsam* l. 2. de Ven. loquens de Equis.

Αἰπεινήν θ' οἳ Πέλλαν ἐΰκτιτον ἀμφινέμονται.
Quique circa excelsam Pellam, & bene munitam pascuntur.

Hic nummus secundæ magnitudinis nec rarus nec obvius.



COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Augusta Pella.* Mulier tunicata cum calatho sedens, dextram capiti admovet.

Colonia Pellensis in nummis, quos Imperatoribus dedicat, duos tantùm cælavit typos: alter urbis tutelare numen, alter oppidi Genium repræsentat, ille Apollinem collibus impendentem, hic mulierem sedentem, ambo situm Coloniæ indicant. Apollo illam in clivo positam arguit, Genius in hoc situ, provinciæ securitatem denotat. Pella utrumque typum Gordiano percutit, cæterum illa urbs de Alexandri M. natalibus, & de Julii Cæsaris liberalitate gloriari potest, ille Asiæ Domitor, hic Romani Imperii fundator extitit. Pella sub Alexandro Macedoniæ Metropolis, Colonia verò à Julio Romanorum constituta est.

Hic nummus infimæ molis, nec rarus nec obvius est.

S I N G A R A.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. Caput Gordiani laureatum.

ΑΥΡ. ϹΕΠ. ΚΟΛ. ϹΙΝΓΑΡΑ. Αὐρηλία Σεπτιμία Κολωνία Σίγγαρα. Caput velatum & turritum, in vertice Sagittarius.

Singara urbs Mesopotamiæ gemina, una juxta Edessam sita ex Plinio & Stephano in ea parte quam habitant Arabes Rhetavi; altera versus Tigrim, ex Ptolemæo, & Ammiano. Seguinus pag. 178. & P. Harduinus pag. 455. ad priorem Singaram nummum hunc revocant, qui tamen posteriori videtur ascribendus. Singareni suos Gordiano Mesopotamiæ liberatori nummos dedicant: Capitolinus enim de hoc Imperatore tradit in ejus vita. *Effectum denique est, ut Persæ qui jam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumque Orientem Romana Resp. detineret.* Caput turritum, Genius est urbis, solemne urbium Mesopotamiæ symbolum. Sagittarium in nummi vertice Parthorum & Persarum militiam designare refert Seguinus, sed ad Singarenos spectat tanquam insigne, vel quòd optimi essent Sagittarii, vel ad indicandum potius eos ab hoc signo annos dinumerare.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rarissimos reponendus.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΝ. ϹΑΒ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑΝ. ϹΕΒ. Capita Gordiani & Tranquillinæ adversa.

ΑΥΡ. ϹΕΠ. ΚΟΛ. ϹΙΝΓΑΡΑ Αὐρηλία Σεπτιμία Κολωνία Σίγγαρα. Mulier turrita & velata insidens rupibus, dextrâ spicas, pro pedibus fluvius.

Singareni in nummis Gordiani Tranquillinam Augustam addiderunt, quòd illa Imperatorem in expeditione comitata sit, quodque pater ejus Misitheus omnia in bello Persico egerit, si Capitolino fides. *Sed hæc omnia per Misitheum socerum Gordiani, eundemque Præfectum, gesta sunt.* Mulier insidens rupibus, urbem ad clivum sitam arguit; illa enim ad montem Singaram condita est. Figura nuda pro pedibus mulieris illam ad eum positam denotat. Fluvium in nummo Tigrim existimat Seguinus, sed hic Saocoras est ex monte Singara fluens, juxta Ptolemæum: ille autem per æstatem sæpe arescit, ita ut Singara aquarum penuria laborans nunquam à Romanis potuerit adversus

adversus hanc necessitatem subsidium accipere, teste Ammiano lib. 20. *Alioquin nunquam labenti Singaræ, vel temporibus priscis quisquam ferre auxilium potuit aquarum penuria, cunctis circum arentibus locis.*

Hic nummus primi moduli à Seguino editus pag. 176. *inter rarissimos & elegantissimos numerandus.*

SINOPE.



IMP. GORDIANVS AVG. Caput Gordiani laureatum.

C. R. I. F. S. AN. CCCVIII. *Colonia Romana Julia Felix Sinope*, vel *Sinopensis*. anno 308. Caput Serapidis laureatum, & calatho ornatum.

Nummus ad Sinopen Ponti Asiatici urbem spectat, cujus voces C. R. I. F. S. longe ante editum P. Harduini librum nos fuisse interpretatos, norunt omnes Antiquarii, nostram ille explicationem ex catalogo Regio transcripsit, majoris enim momenti opera quæ in lucem emisit, vel quæ præ manibus habet Eruditissimus Pater, tempus in perquirendis nummis eum terere non sinunt; unum quidem ab Auctoribus vulgatum ad Geographiam Plinii illustrandam protulit, quos verò ex aliorum scriptis aut collectionibus excerpsit, ipsos in nummis populorum & urbium descripsit, nulla eorum in Notis ad Plinium facta mentione. Serapidis typus jam prodiit in Sinopensium nummis Hadriano cusis, in quo anni æræ temporis injuriâ erasi erant, illos porro in M. Aurelio & Caracalla recuperavimus, sed Sinope epocham in iis ab anno U. C. 706. quo Colonia Julio Cæsare deducta est, exhibet: hic verò nummus antiquiorem computat, Luculli scilicet ævo, quo ille Mithridate expulso hanc ipsius regiam pronunciavit liberam apud Appianum, & si fides nummo, Coloniam constituit, ideo se Sinope Romanam ante Juliæ nomen appellat, & omnium vetustissimam Romanorum in Asia Coloniam esse gloriatur: nec moretur diversa illa ærarum apud Sinopenses computatio, Antiochenses suam modò à Julio, modò ab Augusto dinumerarunt. De Serapide vide quæ in Hadriano pag. 161. diximus.

Hic nummus secundæ magnitudinis Thesauri Regii, à Tristano pag. 508. *& à Patino* 377. *editus, inter elegantissimos habendus.*

TROAS.



IMP. M. ANT. GORDIANVS. Caput Gordiani laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Apollo muliebri habitu stans, dextrâ pateram, lævâ arcum.

Troas deducta ab Augusto Colonia, & ejus nomen habens, cùm templi ipsi condendi facultatem non habuisset, sed Pergamo concessa, legatos tamen pro altero Tiberio extruendo Romam misit, à senatu etiam prætermissa est, teste Tacito Annal. 4. *Ne Ilienses quidem, cùm parentem urbis Romæ Trojam referent.* Gordiano illa nummos dedicat, ad benevolentiam Imperatoris sibi conciliandam. In hoc non signatus est Jupiter aut Neptunus, ut existimavit Patinus in Indice pag. 24. sed Apollo tutelaris Trojæ Deus toties à nobis memoratus. Pateram ille dextrâ tenet, ob sacrificia ipsi perpetrata, arcum verò tanquam insigne, de quo Homerus lib. 1. Iliad. vers. 37.

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ.

Audi me argenteum arcum habens.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 370. *num.* 4. *vulgatus, inter obvios numerandus,*

TYRUS.



IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. Capur Gordiani laureatum.
COL. TYR. METR. *Colonia Tyrus Metropolis.* Figura nuda in curru à quatuor cervis vecto, dextro brachio tunicam, lævâ ſcipionem, in area ſtella, in imo conchylium.

Tyrus Phœniciæ urbs, Colonia, & Metropolis, plurimos Gordiano ob aliquod forſan acceptum ab eo beneficium percuſſit nummos, primus eorum ſcenam aperiet, in quo præcipuus illius Deus Hercules, ab Hiſtoricis Tyrius appellatus, pluribuſque aliis nominibus donatus, ut Melchartus, Deus urbis: hic verò apud Nonnum dicitur Aſtrochiton, tanquam Dux aſtrorum, Dionyſ. 40.

Εἰς δρόμον Ἀστροχίτων@ ἐκώμασε, καὶ πρέμον ἄστρον
Τοῖον ἔπ@ βοόων ἐκαλέσσατο μύστιδι φωνῇ.

In curſum Aſtrochitonis laſciviit, & ducem aſtrorum
Tale verbum clamans invocavit myſtica voce.

Aſtrochiton in nummo dextrâ tunicam ſtellatam, ſiniſtrâ ſcipionem ſeu ſceptrum gerit, illum tunicâ eſſe ornatum narrat verſibus ſequentibus Nonnus, ſceptrum tenet ut Rex, uti hîc appellatur.

Ἀστροχίτων Ἡρακλες ἄναξ πυρός.

Stellatam tunicam habens Hercules Rex ignis.

Tunicam dextrâ gerit, illam Baccho Tyrum perluſtranti pro cratere ab illo accepto daturus.

. . . . . Ἡρακλέης δὲ
Ἀστραίῳ Διόνυσον ἀνεχλαίνωσε χιτῶνι.

. . . . . *Hercules verò*
Stellata Bacchum circumcinxit tunica.

Tyrii Aſtrochitonis currum cervis pro equis ornarunt, ad rapiditatem ejus arguendam; Seguinus enim pag. 132. edit. 2. cervum Solis, & rapidiſſimi ipſius curſus ſymbolum tradit. Herculem & Solem eundem eſſe affirmat Macrobius lib. 1. cap. 20. *Et revera Herculem Solem eſſe vel ex nomine claret.* Theologorum autem vetus fuit opinio, per Herculem, Solem ſignificari: unde ab Euſebio l. 3. cap. 11. illi duodecim certamina attributa ſunt, quòd videlicet duodecim ſigna Sol toto anno percurrat. Conchylium, urbis inſigne; ſtella, an illa quam apud eundem Macrobium, Herculis eſſe dicunt Chaldæi.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariſſimos computandus.



COL. TYR. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Homo nudus cum ſtrophio circa brachium, ſerpentem ſaxo impetit, in imo conchylium.

Serpens ſaxo involutus in nummis Tyriorum Elagabalo & Aquiliæ Severæ ejus uxori dicatis, veterem aliquam Tyri hiſtoriam indicare nobis viſus eſt, quam ob ſimilem lapidem, in quo hæc figura virilis ſerpentem interficit, ad Cadmi Tyrii factum ſpectare ſuſpicati ſumus, præſertim quum Tyrii & Sidonii Europam ejus ſororem à Tauro raptam in nummis ſuis exhibuerint. Nonnus in laude urbis Tyri memorat thalamum Cadmi Dionyſ. 40.

Καὶ προγόνυ δόμον εἶδεν Ἀγήνορ@, ἔδρακεν αὐλὰς,
Καὶ θάλαμον Κάδμοιο, καὶ ἁρπαμένης ποτε νύμφης
Εὐρώπης ἀφύλακτον ἐδύσατο παρθενεῶνα.

Et proavi donum vidit Agenoris, vidit aulas,
Et thalamum Cadmi, & raptæ quondam nymphæ
Europæ incuſtoditum ſubiit conclave virginum.

Cadmus Agenoris Phœnicii Regis filius, inter præclara quæ geſſit facinora, occidiſſe Draconem dicitur, ex cujus dentibus ab eo ſeminatis, nati ſunt homines, ſic fabulam narrat Hyg. 178. *Cadmus cùm erraret, Delphos venit.... forte audita, cùm imperata perfeciſſet, & aquam quæreret, ad fontem Caſtalinum venit, quem Draco Martis filius cuſtodiebat: qui cùm ſocios Cadmi interfeciſſet,*

terfeciſſet, à Cadmo lapide eſt interfectus: denteſque ejus, Minerva monſtrante, ſparſit & aravit, unde Spartæ ſunt nati. Tyrii ad antiquitatem urbis ſuæ indicandam, Europæ raptum, & Cadmi fratris ejus Draconem ſaxo occidentis memoriam in nummis renovarunt.

Hic nummus majoris moduli pro rariſſimo habendus.



COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Aſtarte tutulata ſtans dextram imponit trophæo, lævâ ſceptrum, à ſiniſtris Victoria columnæ impoſita ei coronam porrigit, pro pedibus hinc Sileni ſignum, inde conchylium.

Frequens eſt in nummis Tyriorum mulieris typus dextram trophæo apponentis, quam ad Aſtarten eorum tutelare numen paſſim diximus eſſe revocandam. Aſtarte autem, aliis Juno, aliis Venus eſt, ſed imago quæ in nummo ſeminuda exhibetur, Veneri magis convenit. Sanchoniathon vetuſtiſſimus auctor Phœnicius Venerem explicat. Τὴν ἢ Ἀςάρτην Φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι, *Aſtarten verò Phœnices Venerem eſſe dicunt*, cui Salomon altaria condidit, 1. Reg. XI. ut narrat Suidas, ἣν ἐλάτρευσεν ὁ Σολομὼν, *quam coluit Salomon.* Cicero de Natur. Deor. vult fuiſſe Venerem quæ Adoni nupſit, quorum Nonnus Dionyſ. 11. meminit.

Διπλόον ἔπλεκε κῶμον Ἀδώνιδι καὶ Κυθερείῃ.
Duplex plexit encomion Adonidi & Veneri.

Aſtarte imponit manum trophæo, tanquam Phœnices ipſius ope in longinquas regiones Colonias deduxerint, idcirco coronatur à Victoria. Sileni ſignum, ſui etiam cultum indicat apud Tyrios.

Hic nummus majoris formæ pro raro computandus.





COL. TYR. METR. *Colonia Tyrus Metropolis.* In imo AMBPOCIE ΠΕΤΡΕ. Arbor cui involutus ſerpens, in imo canis & conchylium inter ingentes duos lapides.
Eadem epigraphe. Ingentes duo lapides inter aram ignitam & arborem in imo conchylium.

Uterque nummus ad Tyri urbis originem pertinet, de qua in poſteriori nummo Triſtanus tom. 1. pag. 91. ex Nonno hiſtoriam protulit. Lapides, ſunt Ambroſiæ Petræ, quas Tyrii, ſacrificio Diis oblato, ſtabiles reddidere; & Tyrum ſuper eas condidere, ut ille narrat Dionyſ. 40.

Καὶ ἄςατος ἐκέτι πέτρη.
Πλάζεται ὑγροφόρητος· ἀκινήτοις δὲ θεμέθλοις
Αὐτομάτη ζωθεῖσα συνάψεται ἄζυγι πέτρῃ.
Πήξατε δ᾽ ἀμφοτέραις ἐπικείμενον ἄςυ κολώναις
Ἀμφοτέρης ἑκάτερθεν ἐπὶ κρηπῖδι θαλάσσης.
Et inſtabilis non amplius petra
Errat in humido latus. Immotis verò fundamentis
Spontanea cincta conjungetur injugi petræ.
Figite verò utriſque incumbentem urbem rupibus
Utriuſque utrinque in fundamento maris.

Tyrii hanc urbis ſuæ originem quam Herculi monitori debebant, in nummis ſuis ſignarunt; ſed illa Tyrus nova eſt, Palætyrus enim in terra à Sidoniis fuit extructa, de qua Scylax in Periplo. Καὶ ἀπέχει ςάδια, ἀπὸ θαλάττης ἢ Παλαίτυρος πόλις, καὶ ποταμὸς διὰ μέσης ῥεῖ. *Et diſtat ſtadiis tribus à mari urbs Palætyrus, & fluvius in ea fluit.* Arbor, oliva eſt, cui implicatur ſerpens, ut apud eundem Nonnum loc. cit. legimus.

Καὶ σπιλάδων ἐπέβαινον, ὅπη φυτὸν ἦεν Ἀθήνης,
Καὶ σέλας ἀφλεγέος περιβόσκεται ἔρνος ἐλαίης.
Et petras intrarunt, ubi arbor erat Minervæ;
Et arborem alta folia habentem volubilis ſerpens circumſaltat.

Ignem ſupra aram, Triſtanus myſticè ad Herculem, Solem, & ignem ſpectare tradit; an non potiùs ara ad ſacrificium Aquilæ Jovi & Neptuno perpetrandum accenſa. Canis & Conchylium, ad purpuræ inventum apud Tyrios ſpectant. Tyro puella juxta mare iter cum Hercule faciebat; ipſius autem

autem canis, purpuræ carnem depaſtus eſt, cujus rictum quum gratiſſimo colore infectum Tyro vidit, veſtem ſimilis coloris ab illo poſtulavit, primuſque Hercules cruorem ex purpuris collegit, lanaque eo infecta, veſtem amicæ dedit.

Uterque nummus primæ magnitudinis, inter elegantiores reponendus, poſterior à Triſtano tom. 1. *pag.* 491. *& tom.* 2. *pag.* 508. *editus eſt.*



COL. METROP. TYRO. *Colonia Metropolis Tyros.* Duæ urnæ, intermedia clava, hinc & inde palmæ ramus.

Tyrii ludorum apud ſe celebratorum memoriam in nummis ſæpe conſignarunt. Caracallæ nummus exhibuit ACTIA ERACLIA cum duabus urnis, quos ludos in Apollinis & Herculis tutelarium urbis Deorum honorem editos diximus; alter Elagabali ΗΡΑΚΛΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ vulgavit cum una tantùm urna & lauri in ea ramo, ideò certamen unum Olympicum in Herculis honorem celebratum protulimus: duo enim vaſa cum totidem palmæ ramis, duo certamina; unam verò urnam, unum tantùm agonem indicare arbitramur: duo igitur vaſa, & duæ palmæ rami in hoc nummo, duo certamina denotant; ſed an *Actia* & *Heraclea*, an verò *Olympia* & *Heraclea* ſint, pronuntiare difficilè: clava autem in medio vaſorum ad Herculem ſpectans nos inducit, ut duo certamina in Herculis honorem edita exiſtimemus. De Hercule Tyri tutelari numine paſſim egimus.

Hic nummus ſecundi moduli pro elegantiſſimo habendus.

VIMINACIUM.



IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. Caput Gordiani laureatum, in aliis radiatum.
P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœſiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. I. *Annò primo.* Mulier ſtolata expanſis manibus, ad pedes hinc Taurus, inde Leo.

Viminacium urbs provinciæ Mœſiæ ſuperioris eſt, ut feliciter his notis P. M. S. explanavit Triſtanus tom. 2. p. 557. ſed non ille pari fortuna has litteras an. VII. Coloniæ deductæ annos interpretatus eſt, eos quippe ad annonæ diſtributiones frumentarias revocavit, illi aſſentitur Patinus pag. 369. P. Harduinus annos quidem Coloniæ exiſtimavit, ſed à Gordiano tantùm denuò, & ab Alex. Severo primùm conſtitutæ, ob nummos Alexandro & Mæſæ à Goltzio falsò tributos: ſed quo hæc Colonia Gordiani Imperii anno condita ſit, inquirendum. Nummi ejus cum anno I. uſque ad V. in hac Colonia percuſſi occurrunt, ſimiliter & nummi Philippi reperiuntur cum epigraphe AN. V. quod confirmat Coloniam Viminacium computaſſe annum V. ſub Gordiano & Philippo, Gordianus autem VII. Tribunitiam poteſtatem tantum accepit, ergo ſecundo anno Imperii exeunte aut tertio inchoante Coloniam deduxit, non quando ſcilicet Mœſiam adiit ſub Prætextato & Albino, Coſſ. ut narrat Capitol. in ejus vita. *Fecit iter in Mœſiam, atque in ipſo procinctu, quidquid hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit atque ſummovit.* Cùm autem ſub Balbino & Pupieno pugnatum eſſet contra Carpos, & illi denuò in provincias Romanas irrumperent, Gordianus Veteranos ad provinciæ propugnaculum Colonos Viminacium miſit.

Hic nummus ex omni modulo obſervatur, ſed primæ formæ pro raro habetur.



P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. IIII. Mulier stolata inter Taurum & Leonem stat, dextrâ signum militare in quo VII. *Septimæ*, id est *Legionis*, & sinistrâ, alterum in quo IIII. *Quartæ.*

Elegans hic nummus per mulierem ambabus vexilla gerentem in quibus scripta sunt Legionum nomina, nos edocet VII. Claudianæ & IIII. Scythicæ Veteranos Viminacium Colonos à Gordiano esse deductos. Nummum edidit Patinus p. 369. mutilum quidem, & ob id forsan illum non intellexit, nec alii Antiquarii ejus meminerunt. Coloniam Viminacium anno Gordiani Imperii secundo deductam esse diximus ad provinciæ contra Carpos & alios barbaros custodiam ; VII. autem Legio Claudiana hiberna agebat in Mœsia Superiore, teste Dio. l. 55. p. 564. Καὶ οἱ ἕβδομοι οἱ ἐν τῇ Μυσίᾳ τῇ ἄνω, οἱ ἢ μάλιστα Κλαυδίειοι ὠνομάδαται. *Septimia in Mysia Superiori Claudiana præcipuè nuncupata.* Novis itaque militibus in supplementum Legionis VII. missis, & Veteranis in primaria provinciæ urbe collocatis, Mœsia ad motus barbarorum coercendos munita est : porro necessaria fuit in hac provincia Imperatoris præsentia, antequam ille in Syriam contra Persas proficisceretur, ideo Capitol. ejus profectionis in Mœsiam meminit. Cùm autem nummi quarto & non alio à deducta Colonia anno signa hæc militaria cum Legionum nominibus exhibeant, liceat nos suspicari Veteranos IIII. Scythicæ in Syria morantis, teste Dio. τέταρτον Σκυθικὸν ἐν τῇ Συρίᾳ, post Syriam à Gordiano recuperatam, ob barbarorum in Mœsiam iterum incursiones per Imperatoris absentiam, Viminacium ab eo missos esse, in cujus memoriam nummi hoc anno signati sunt, quod pro conjectura tantùm à nobis indicatur.

Hic nummus secundæ formæ à Patino pag. 369. editus, nec rarus nec obvius est.



P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. V. *Anno quinto.* Mulier stolata stans ambabus expansis, hinc Taurus, inde Leo.

Viminacii urbis nummi quintum sub Gordiano & sub Philippo annum signantes, vera & indubitata sunt Gordiani mortis, & Philippi ad Imperium promotionis monumenta, & Coloniam secundo Imperii Gordiani anno ab eo deductam confirmant, præsertim cùm ille VII. tantùm Trib. potestatem inchoarit. In Coloniæ Viminacii nummis perpetuus est mulieris inter Bovem & Leonem stantis typus. Tristanus tom. 2. pag. 558. Bovem ad Coloniæ symbolum, Leonem ad populum provinciæ bellicosum revocat, an non potius populi feracitatem per Colonos lenitam indicare videtur Leo cum Bove concors, ut innuit D. Paulinus Poëm. 30. ad Nicetam Daciæ Episcopum.

Sic tuo mitis lupus est ovili.
Pascitur concors vitulus leoni.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro habendus.

VENERI. SACRVM.
PAVLLVS. L. L. AEGIVS. PASSER.
III. VIR. A. A. A. F. F. PROCVRAT.
PATR. IMP. CAES. GORDIANI.
AVGVST.
VOTO. SVSCEPTO. L. M.

Ex Spon. Miscell. sect. 8. pag. 273.





FURIA SABINIA TRANQUILLINA.





TRANQUILLINA ab Historiæ Scriptoribus Imperatoris Gordiani Pii uxor perhibetur, sed nummis Furiæ & Sabiniæ ejus appellationes debemus, in quibusdam verò Græcis illa Φρεγία perperam pro Φυρία, Σαβεῖνα pro Σαβινία appellatur, quæ nomina à matre Romana assumpsit, cùm pater ejus Misitheus natione Græcus fuerit: ipsa Gordiano nupsisse paucis diebus ante Persicam ejus expeditionem videtur, ita ut Senatus ipsi vix nummos ante ejus discessum signare potuerit; eximiæ enim raritatis sunt & elegantiæ: æreum unum majoris moduli cum S. C. notis cusum vidimus, argenteos autem quatuor vel quinque, plurimi autem Græci & varii Colonici reperiuntur, cùm illa Imperatorem in itinere sit comitata.

TRANQUILLINÆ *nummi inter rarissimos collocantur, præsertim majoris moduli.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΦΟΥΡ. CAB. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ CEB. Caput Furiæ Sabiniæ Tranquillinæ.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. S. C. Δ. Ε. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. *Senatusconsulto.* Δημαρχικῆς ἐξουσίας. Mulier velata & turrita sedens in rupibus, dextrâ spicas, pro pedibus fluvius emergens.

Antiochia Metropolis & Colonia Syriæ, nummos Tranquillinæ memor ob urbem ab Imperatore Gordiano recuperatam percussit, hæc enim à Persis jam occupata erat, teste Capitolino in ejus vita. *Etiam Persas, ut brevi multa connectam, ab Antiochensium cervicibus, quas jam nexas Persico ferro gerebant, & Reges Persarum, & leges amovimus.* Ideo Gordianus summopere à Syriis amabatur, ut refert idem Capitolinus: *Verùm cùm secum ipse cogitaret amorem P. Romani & Senatus circa Gordianum, & totius Africæ ac Syriæ.* Mulier urbis est Genius, insidet rupibus, ad indicandum ejus in clivo situm. Fluvius Orontes est muros ejus alluens; illa spicas gerit, ad arguendam frumenti in agro suo abundantiam. De vocibus S. C. Δ. Ε. passim diximus.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rarissimos ascribendus.

CARRHÆ.



ΦΟΥΡ. CAB. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ. CEB. Caput Tranquillinæ.

ΜΗΤΡ. ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Καρρηνῶν. Caput muliebre turritum & velatum, supra quod crescens Luna, & ante illud, columna cui impositus est Cabirus.

Carrheni

Carrheni Mesopotamiæ Gordiano & Tranquillinæ ejus uxori nummos consecrarunt, illi quidem, quòd ex urbe sua Persas expulerit, huic verò, quòd Imperatorem in hac expeditione sit comitata : de Gordiano autem Capitol. *Et post Artaxarta, Antiochiam recepit, Carrhas & Nisibin.* Caput muliebre, Genius est urbis ; Crescens Luna in vertice, Dei Luni venerationem apud Carrhas arguit, de quo passim egimus. Cabirus columnæ impositus, sui etiam cultum in urbe hac indicat. Cabiri autem Vulcani ex Cabera Protei filia geniti dicuntur, hi autem ignis usum, ferrique fabricam homines docuisse traduntur Diod. l. 5. p. 230. τὴν δὲ τοῦ πυρὸς, καὶ τὴν τοῦ χαλκοῦ καὶ σιδήρου φύσιν ἐξευρεῖν. *Ignis usum invenerunt, ærisque ac ferri naturam indagarunt.* Ideò Cabirus in nummo malleum gerit, Cabiri verò, quia insignium generi humano commodorum auctores habebantur, immortalibus ac divinis honoribus remunerati sunt, ideò variis in locis colebantur. Illos Phœnices maximè coluisse auctor est Sanchoniathon apud Eusebium lib. 1. Præpar.

Hic nummus primæ magnitudinis rarissimus est.

DEULTUM.



SABINIA TRANQVILLINA AVG. Caput Tranquillinæ.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Pallas stans, dextrâ clypeo innixa, sinistrâ hastam.

Deultani Thraciæ nummos Gordiano Imperatori ob barbaros ex provincia pulsos cuderunt ; si quidem narrat Capitol. in ejus vita. *Quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque summovit.* Ipsi eundem Tranquillinæ ejus uxori honorem tribuunt, quòd illa eum in bello comitata sit, eamque tanquam Palladem belli Præsidem in nummis repræsentarunt : cùm hæc Dea ab iis coleretur, ut in Caracalla diximus. Palladem autem dictam fuisse aiunt à Pallante gigante ab eo interfecto, quæ prius Tritonia vocabatur, à Tritonide palude, ubi primùm visa est.

Hic nummus secundi moduli inter rariores & elegantiores reponendus.




COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Aquila cippo imposita inter duo signa militaria.

Deultum urbs à Vespasiano Colonia est deducta, ut Flaviæ & Pacensis nomina indicant : ille enim ex Flavia gente oriundus erat, & Pacis Deæ studiosissimus, in cujus honorem magnificentissimum Romæ templum ædificari jussit. Deultani ad originem Coloniæ arguendam, Aquilam inter signa militaria Legionum insignia percusserunt, qui typus, Plinium illam Veteranorum Coloniam appellantem valdè illustrat, ille autem inquit l. 4. c. 11. *Deulton cum stagno, quòd nunc Deultum vocatur, Veteranorum.* Ex qua Legione fuerint illi Veterani, adhuc ignoratur, eorum nomina aliquando in velo è ligno transverso pendente inscripta occurrunt, in his verò visuntur stellæ, forsan illorum insignia, ut in Gallieni nummis, Ibim, Leonem, Aprum, &c. observamus.

Hic nummus minimæ molis rarissimus & præstantissimus est.

EDESSA.



ΦΟΥΡ. CΑΒΙΝΙΑ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ. CΕΒ. Caput Sabiniæ Tranquillinæ.

ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Εδεσσηνῶν. Caput muliebre turritum & velatum, ante quod columna, ſupra quam Dianæ ſignum.

Edeſſa urbs Meſopotamiæ, Oſrhoënorum Regum olim ſedes, Abgaro à Caracalla ablata, & Colonia facta, nummos Gordiano Meſopotamiæ liberatori, & Tranquillinæ uxori itineris comiti blandientes dedicarunt. Triſtanus tom. 2. pag. 519. Abgarum ſuperioris Regis filium per Gordianum in ditiones ſuas à Perſis occupatas reſtitutum auguratur, ob plurimos ab hoc Rege nummos cum Imperatoris effigie percuſſos: Abgarum quidem cum Gordiano copias ſuas conjunxiſſe manifeſtant ejus nummi, in quibus ex una parte Gordiani caput, ex altera Abgarus eques, tanquam ipſe agmen ducens viſitur. Caput muliebre, Genius eſt Coloniæ, ſolenne urbium Meſopotamiæ ſymbolum. Diana columnæ impoſita, ſui cultum Edeſſæ ſignificat; illa arcum gerit, Deæ Venatricis inſigne.

Hic nummus primæ magnitudinis elegantiſſimus eſt.

LAODICEA Syriæ.



SABINIA TRANQVILLINA AVG. Caput Tranquillinæ.

COL. LAODICEAS METROPOLEOS. *Coloniæ* Λαοδικείας *Metropoleos.* In area Δ. Ε. Δημαρχικῆς ἐξουσίας. Templum diſtylum, in quo Aquila alis expanſis.

Laodicea Syriæ urbs littoralis, Colonia & Metropolis à Sept. Severo facta, de qua fusè in Caracalla diximus, hunc nummum Tranquillinæ cum Gordiano in Syria moranti percuſſit: Laodiceæ nomen huic urbi à Seleuco in matris Laodices memoriam datum eſt, hæc apud Stephanum prius Ramitha, ſed potiùs Ramatha, quæ Syriâ linguâ, *excelſam* ſignificat, quod forſan in colle eſſet ſita, & novam urbem in littore condiderit Seleucus; montem enim ſibi imminentem vineis plenum habere narrat Strabo lib. 12. Aquila Jovi ſacra, ipſius ſymbolum eſt, ut & vulgatiſſimum Imperii Romani inſigne; verùm illa in hoc nummo templi aditum occupans, ad Jovem potiùs pertinere nobis videtur.

Hic nummus ſecundi moduli rariſſimus eſt.

FVRIAE SABINAE TRANQVILLINAE
SANCTISSIMAE AVG. CONIVGI
DOMINI N. IMP. CAES. M. ANTONI
GORDIANI AVG.

Apud Triſtanum tom. 2. pag. 545.



M. JUL. PHILIPPUS.





PHILIPPUS post Gordianum ipsius artibus in Mesopotamiam occisum, Imperator à militibus proclamatus, pacem cum Sapore Persarum Rege iniit, militum animos amplis largitionibus demulsit, Veteranos in Colonias à se constitutas dimisit, DAMASCUM videlicet Cælesyriæ, NEAPOLIM Samariæ, PHILIPPOPOLIM Arabiæ, hanc ipse urbem condidit. Carpos sub Balbino & Pupieno primùm, deinde sub Gordiano loca Istro vicina populantes Philippus repressit, & ut DACIAM ad sui conservationem obligaret, illam provinciam liberam pronunciavit, Colonis in ipsius urbibus locatis, V. nimirum Macedonicæ, & XIII. Geminæ Legionum Veteranis, qui in ipsa provincia hiberna agebant.

PHILIPPI *nummi ex omni modulo obvii & frequentes.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟC. CEB. Caput Philippi laureatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. Ε. Apollo muliebri habitu stans, dextrâ pateram, sinistrâ lyram. In aliis, pro pedibus ara.

Antiochiam Syriæ ad Orontem, à Seleuco Nicatore, de Antiochi patris nomine appellatam narrant Strabo & Appianus : hic verò de Bell. Syr. Πόλεις δὲ ᾤκισεν ἐπὶ τὸ μῆκος τῆς ἀρχῆς ὅλης ἑκκαίδεκα μὲν Ἀντιοχείας, ἐπὶ τῷ πατρὶ, καὶ πέντ' ἐπὶ τῇ μητρὶ Λαοδικείας. *Ornavit autem Imperium suum, exstructis per totam ejus longitudinem urbibus, quarum sexdecim à patre denominavit Antiochias, quinque à matre Laodiceas.* Julianus Apostata Antiochiam Seleucum quidem condidisse, verùm ipsi à filio Antiocho nomen dedisse tradit in Misopog. p. 65. Πεποίηται μὲν γὰρ ὑπὸ Σελεύκου, τοὔνομά τε ἔχει ἀπὸ τοῦ Σελεύκου παιδός. *Condita si quidem est à Seleuco, nomen verò habet à Seleuci filio.* Vocata est ἐπὶ Δαφνῇ ad aliarum distinctionem, ob templum Apollinis in Suburbio celeberrimum : Seleucus enim ejus conditor, Apollinis filius existimatus est, si Trogo fides lib. 15. cap. 4. *Seleuci virtus clara & origo admirabilis fuit : si quidem mater ejus Laodice, cùm nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse.* Antiochenses ergo Apollinem urbis tutelarem Deum in nummo signarunt. De vocibus S. C. Δ. Ε. sæpius dictum.

Hic nummus secundæ formæ pro obvio censendus.



ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. Ε. Caput muliebre velatum & turritum, in vertice Aries.

Antiochenſium nummi in Gordiani honorem percuſſi vix reperiuntur, licèt ille eorum urbem à Perſis occupatam receperit, & Syriæ amor apud Capitolinum dicatur; ſed Philippi frequentes ſunt, ob aliquod forſan beneficium ipſis ab eo conceſſum : is enim populos ſibi conciliare ſtudebat, ne Gordianum à ſe interfectum exiſtimarent, aut ſaltem non divulgarent. Caput muliebre turritum, Genius eſt urbis, ſolenne ejus ſymbolum. Aries, annum ſub hoc ſigno ab Antiochenſibus inchoatum indicat.

Hic nummus primæ magnitudinis, à Triſtano editus tom. 2. pag. 568. obvius, ſecundæ à Patino pag. 384. minus frequens.



ΑΝΤΙΟΧΙΑ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ. ΥΠΑΤΟ. Γ. Δημαρχικῆς ἐξουσίας, Ὕπατος τὸ γ. *Tribunitia poteſtate, Conſul Tertium.* In imo S. C. Aquila alis expanſis, roſtro coronam.

Hic nummus à Patino vulgatus eſt cum epigraphe ΥΠΑΤ. tantùm, forſan mutila; plurimi enim quos vidimus præferunt ΥΠΑΤΟ. Γ. P. Harduinus p. 55. unum ex muſeo Collegii Ludovici Magni cum inſcriptione ΥΠΑΤΟ, Δ. protulit; an error ſit in nummo, an Pater malè legerit, videndus eſt nummus : Philippum autem conſulatus tres tantùm geſſiſſe conſtat. Conſulis tertium titulus quem adhibent Antiochenſes in nummis, indicat illos ſemper fuiſſe Philippi partibus addictos, licèt ab hoc conſulatu Jotapianus, Marinus & etiam Decius Imperatores in provinciis appellati fuiſſent, ſed præſertim hoc obſequii monumento ſe Jotapiani partibus in Syria nullo modo faviſſe ſignificarunt : ille enim vix nova molitus à militibus occiſus eſt, apud Aur. Victorem. *Et interea ad eum Jotapiani, qui Alexandri tumens ſtirpe, per Syriam tentans nova, militum arbitrio occubuerat : ora, uti mos eſt, inopinato feruntur.* Antiochenſes tanquam Coloni Aquilam Imperii Romani inſigne exhibent.

Hic nummus mediocris, à Patino pag. 384. vulgatus, frequens & obvius.




MON. VRB. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ, in nummo Σ pro Ξ, quod & aliàs occurrit. *Moneta urbis. Tribunitia poteſtate*, in imo S. C. Aquila alis expanſis, roſtro coronam.

Inſignis eſt ille Antiochenſium nummus, qui pro vulgari ΑΝΤΙΟΧΙΑ epigraphe, præclaram hanc MONETA VRBIS inſcriptionem ponit : hoc enim monumento Antiochia in memoriam revocat facultatem cudendæ monetæ à Senatu ſibi conceſſam, poſt Syriam à Pompeio in Provinciam redactam : Porphyrius autem in Græcis Euſeb. Scalig. p. 227. Pompeium ab Antiochenſibus pecunias accepiſſe, civitatem eorum feciſſe αὐτονόμον, & ſuo hanc uti jure voluiſſe narrat; at cùm monetam ſub Regibus ſuis cudere ſolita eſſet, ut hoc privilegio gauderet, Senatuſconſulto illa opus habuit, cujus notam S. C. deinceps in nummis adhibuit, & non, ut putat Patinus pag. 384. ob populorum erga Senatum reverentiam. Antiochiæ duas cudendæ monetæ officinas fuiſſe ſuſpicati ſumus, ob diverſas nummorum Latinè & Græcè inſcriptiones, unam ſcilicet pro Præſide Syriæ in qua Græcè ſcriberetur, alteram in qua urbs propter ſuum percutiendæ monetæ privilegium notas S. C. apponeret, noſtram ſanè ſententiam de gemina monetæ officina, & de privilegio cudendæ monetæ urbi à Senatu conceſſo confirmat ſingularis hæc MONETA VRBIS inſcriptio. De Aquila, ſuprà dictum eſt.

Hic nummus mediocris, è muſeo D. Dron Can. D. Thomæ à Lupara, eximiæ raritatis eſt.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS. P. FEL. A. Caput Philippi radiatum.
ANTIOCHI. COLON. *Antiochia Colonia*, in imo S. R. Aquila ſupra vexillum inter duo ſigna militaria.

Antiochia Piſidiæ, de qua ſæpius dictum, nummos Philippo tanquam novo Imperatori cum ſignorum militarium typo percuſſit, tum ad indicandam urbis ex Legionum Veteranis originem, cùm ad imitationem Senatus Romani, qui in nummis ejus ſigna etiam militaria cum inſcriptione FIDES EXERCITVS exhibuit, ſeu FIDES MILITVM, cum muliere ſtante, utraque manu militare ſignum geſtante, ut Imperatorem ab exercitu & militibus proclamatum ſe approbare indicaret. Zoſimus enim Philippum poſt Gordianum interfectum, mox à militibus purpurâ ornatum tradit lib. I. Οἱ στρατιῶται, πρόφασιν τὴν τῶν ἀναγκαίων ἔνδειαν ποιησάμενοι, σὺν οὐδενὶ κόσμῳ τὸν Γορδιανὸν περιστάντες, ὡς αἴτιον τῆς τοῦ στρατοπέδου φθορᾶς ἀναιροῦσι, Φιλίππῳ τὴν ἀλουργίδα κατὰ τὸ συγκείμενον περιθέντες. *Milites, arrepta de penuria commeatus occaſione, Gordianum nulla decori ratione habita circumventum, veluti cujus culpa periret exercitus, interficiunt, & Philippum ex compoſito purpurâ veſtiunt.*

Hic nummus mediæ formæ nec rarus nec obvius.

COILLU, vel COELLU.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS. Caput Philippi laureatum.
AEL. MVNICI. COEL. AN. *Ælium Municipium Coillutanum Antoninianum.* Prora navis, cum cornucopiæ.

Coellu oppidum littorale Numidiæ, Municipium ab Hadriano factum, *Ælium* de gentis ejus appellatione nomen tulit, deinde in Caracallæ honorem *Antoninianum* eſt nuncupatum, ut paſſim diximus. Eruditus Spanhemius mutilam & corruptam hujus nummi in Gaza Chriſtinæ Reginæ aſſervati epigraphen protulit Diſſ. 9. pag. 772. quam interpretatus MVN. FANE. AEL. *Municipium Faneſtre Ælium*, & ad Hiſpaniæ Fanum retulit, ſed cùm P. Harduinus illam Hiſpaniæ urbem non noviſſet, nummum pag. 170. ad Coloniam Faneſtrem Umbriæ ſpectare exiſtimavit, ſed nullus occurrit nummus in Italiæ Coloniis percuſſus, nec Fanum fuit Municipium, ſed Colonia, ut in nummo Pauli V. à P. du Molinet pag. 145. COL. IVL. FANESTRIS adhuc appellatur. Prora navis, urbis ad mare ſitum arguit; cornucopiæ, frumenti abundantiam in ejus agro indicat.

Hic nummus minimi moduli pro raro habendus.

DACIA.





IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.
PROVINCIA DACIA. AN. I. *Anno primo.* Mulier pileo & patrio veſtitu ornata ſtans, utraque manu ſignum militare, in dexteriori velo nota V. in ſiniſteriori nota XIII. In aliis mulier dextrâ gladium Dacicum gerit, & ſignum juxta eam à dextris ſtat, pro pedibus hinc Aquila roſtro coronam, inde Leo.

Provinciæ

Provinciæ ut urbes, nummos Imperatoribus dedicarunt; teftes fint Μυσία in Domitiano, Κοινὸν Συρίας, & Δακία in Trajano, & aliæ in aliis. Sed cur Dacia pro epigraphe Græca Latinam infcribat in Philippo, ideo forfan quia libera feu immunis ab hoc Imperatore facta eft, quod arguit æra in nummis fignata anno primo. Carpi enim & alii barbari cùm provincias Daciæ proximas & ipfam fub Balbino & Pupieno populari cepiffent, eos tandem Philippus profligavit, teftibus nummis & Zofimo, in illis VICTORIA CARPICA fignata eft, apud Zofimum vero hæc leguntur. Αὐτὸς ἐπὶ Κάρπους ἐστράτευεν, ἤδη τὰ περὶ τὸν Ἴστρον ληϊσαμένους, μάχης δὲ γενομένης, οὐκ ἀνέχοντες οἱ βάρβαροι τὴν προσβολὴν, εἴς τι φρούριον συμφυγόντες, ἐν πολιορκίᾳ καθίσαντο. *Ipfe contra Carpos expeditionem fufcepit, qui jam Iftro vicina loca populabantur. Prælio conferto, cùm impreffionem barbari non fuftinerent, fugâ quoddam ad caftellum factâ, obfidebantur.* Hoc anno Imperii Philippi quarto actum exiftimatur: cùm autem nummi in Philippo tertium annum tantùm computent, & ille fex annos imperaverit, quo Philippi anno id geftum fit, in fequentibus nummis inquiremus, ubi & de notis V. & XIII. & de Aquila cum Leone.

Hic nummus ex omni modulo occurrit, primæ formæ pro raro habendus, fecundæ & minimæ obvius, fed omnes cum anno III. inter rariores cenfendi.



PROVINCIA DACIA. AN. II. Mulier cum pileo in capite ftans inter aquilam & leonem, dextrâ fignum militare, in cujus velo D. F. *Dacia Felix*, finiftrâ gladium Dacicum.

Mulier in nummo ab univerfa Dacia fignato, Provinciæ Genius eft, pileo quidem ornatur, quo Daci honoratiores utebantur, dextrâ verò fignum militare in quo D. F. *Dacia Felix*, & non DE. quas litteras fe non intelligere ingenuè fatetur Eq. Patinus p. 382. *Characteres in eo confpicui* DE. *affequi non poffum.* Dacia jam dicta fuerat Felix, ut teftantur marmora Hadriano dicata, quòd facta fuiffet fub Trajano Provincia Romana: nunc iterum *Felicis* nomen affumit, quòd libera fit pronunciata fub Philippo; cui fuffragantur numifmata Decii, Philippi fucceffors, in quibus etiam DACIA FELIX. At cùm Trajanus Legiones V. Macedonicam, & XIII. Geminam in Dacia collocaffet, Philippus earum Veteranis in omnes Colonias ipfius provinciæ tranfmiffis, illos cives Romanos pronunciavit, quod denotant figna militaria utraque manu à provinciæ Genio geftata. Apud Ulpianum autem lib. 22. Dig. legitur. *In orbe Romano qui funt, ex conftitutione Imp. Antonini, cives Romani effecti funt.* Dio utramque legionem V. Macedonicam, & XIII. Geminam fub Alex. Severo in Dacia adhuc conftitutam narrat lib. 55. pag. 564. Πέμπτον, Μακεδονικὸν, ἐν Δακίᾳ ..... τό τε τρίτον καὶ δέκατον, τὸ ἐν Δακίᾳ, τὸ Δίδυμον. *Quinta, Macedonica in Dacia ..... Decima tertia Gemina in Dacia.* Sic Philippus earum Veteranis in Colonias dimiffis, novos milites ad provinciæ cuftodiam confcripfit.

Hic nummus fecundæ formæ, à Patino pag. 382. vulgatus, inter raros confcribendus.



DACIA. PROVINCIA. AN. III. Eadem figura dextrâ gladium Dacicum, lævâ fignum militare in quo D. F. *Dacia Felix.*

Mulier in fuperiori nummo vexillum dextrâ tenet, in hoc illud lævâ gerit, & gladium finiftrâ, quod in dextra habebat; an id myfticè, an fcalptoris arbitrio, videant Antiquarii, cùm tanta nummorum amplitudo fignaretur, ut vix duo fimilis fabricæ occurrant, illud à fcalptore factum videtur. Anni autem in nummo notati funt, non ut exiftimat P. Harduinus p. 131. annos Imperii Philippi defignantes, fed æram libertatis provinciæ: idem enim annus XI. in Philippo æquè ac in Decio Imperatore ejus fucceffore fignatus, Daciam liberam quarto Philippi Imperii anno pronunciatam arguit, cùm ille Philippus VI. Tribunitiam poteftatem tantùm inchoaverit, in qua occifus eft, & Decius Imperator à Senatu eodem tempore appellatus fit, cujus provinciæ immunitatis æram in fequentibus Imperatoribus etiam obfervabis.

Hic nummus ex omni modulo pro raro computatur.

DA-

DAMASCUS.



M. IVLIVS PHILIPPVS AVGVSTVS. Caput Philippi laureatum.

COL. ΔAMA. METR. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Silenus ante cupreſſum dextrâ indicat ; humero lævo utrem hircinum gerit ; ille eſt quem deſcribit Com. Mediobarbus pag. 345. lin. 26.

Damaſcus urbs eſt Phœniciæ, quam Julianus ep. ad Serap. appellat ; τὴν Διὸς πόλιν ἀληθῶς, καὶ τὸν τῆς ἑώας ἁπάσης ὀφθαλμὸν, τὴν ἱερὰν καὶ μεγίστην Δάμασκον. *Veram Jovis urbem, totiuſque Orientis oculum, ſacram & ampliſſimam Damaſcum.* Metropolis & Colonia in hoc Philippi nummo dicitur, quas verò dignitates ab uno eodemque Imperatore non accepit, ſi quidem jam in nummis Hadriani, imo in Auguſto Metropolis inſcribatur, quem titulum ab eo in gratiam Nic. Damaſceni accepiſſe ſuſpicamur, non ſecus ac Suidas Hadrianum refert Tyro Metropolis titulum conceſſiſſe in gratiam Pauli Tyrii. Sed Damaſcum à Philippo Coloniam eſſe conſtitutam convincunt Gordiani & Philippi nummi, illi epigraphen exhibent Græcam, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. hi Latinam cum Coloniæ titulo COL. ΔAMAS. METROP. Philippus autem cùm ſibi militum amicitiam conciliare vellet, magnis largitionibus, teſte Zoſimo, eos demulſit, Veteranos autem in Colonias à ſe conſtitutas tranſmiſit. Silenus ſolito quo depingitur modo, Damaſci cultum ſui indicat. Cupreſſus in ſumma veneratione apud Phœnices erat, cujus rei teſtes ſunt Heliopolitanorum in eadem provincia degentium nummi Cupreſſum pariter in aditu templi Jovis exhibentes, illa enim Soli erat dicata, ex Plutarcho, ob calidam ejus naturam.

Hic nummus ſecundi & minimi moduli rarus eſt.



M. PHILIPPVS AVG. P. P. Caput Philippi laureatum.

COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Dama puero ubera præbet.

Si hunc pueri Damam ſugentis typum, ad arguendam Damaſci urbis originem ; ſi prætereà Damaſcum urbem à Dama nutrice & ab Aſco puero ſic vocatam dicere audeamus, mox reclamabit omnis eruditorum cœtus ; conjecturas tamen noſtras proponere liceat. Ad quid iſte frequens in Damaſci nummis puer Damæ ubera ſugens, nonne pueri à Dama nutriti hiſtoriam exponit, non ſecus ac Lupa Romulo & Remo ubera præbens, primam puerorum iſtorum nutritionem exhibet, ſic puer à cerva nutritus, ἀπὸ τινὸς ἐλάφου, Telephus dictus eſt ? Dama autem animal à Δαμάζω, κατ' ἀντίφρασιν, nomen habuit. Damaſcum ab Aſco gigante dictam auctor eſt Stephanus : Δαμασκὸς..... ὠνομάσθη δὲ, ὅτι εἷς τῶν γιγάντων Ἀσκὸς ὄνομα, ἅμα Λυκούργῳ δήσας τὸν Διόνυσον, ἔρριψεν εἰς τὸν ποταμόν. *Damaſcus...... ſic verò nominata fuit, quod gigantum unus nomine Aſcus unà cum Lycurgo vinctum Dionyſium projecit in fluvium.* An ille nutritus fuerit à Dama, & ex vocibus Δάμα & Ἀσκὸς, urbs dicta ſit Δαμασκὸς, ſuſpicari quis jure poſſit ; ſi hæc etymologia non arridet, ad alterum urbis conditorem nomine Damaſcum à Juſtino memoratum confugiamus, à quo Damaſcus Syriæ nobiliſſima civitas vocatur, ut ille narrat lib. 36. cap. 2. *Nomen urbi à Damaſco Rege inditum, in cujus honorem, Syrii ſepulcrum Arathis uxoris ejus pro templo coluere.* Rex ille forſan expoſitus, à Dama nutritus eſt, ſi quidem puer Damæ ubera ſugens, conditoris memoriam & urbis originem denotat : Dama etiam in nummo altero antiquiſſimo, Seleucidarum tempore ſcilicet cuſo, cum epigraphe ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. ΓΜΣ. id eſt, an. 243. apud D. Dron Canonic. D. Thomæ, ad id factum ſpectare videtur.

Hic nummus mediocris formæ inter rariores cenſendus.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. ΔAMA. METR. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Caput muliebre turritum in templo tetraſtylo.

Caput illud muliebre, Genius eſt urbis, turribus ornatur tanquam ampla civitas muris cincta, & Metropolis provinciæ, illa olim ſuos Reges habebat. Adadus autem Davidis tempore Rex Damaſci à Joſepho Antiq. 7. cap. 6. perhibetur, cujus poſteri ad decimam uſque generationem regnum obtinuerunt. Ἀκούσας δ' ὁ Δαμασκοῦ καὶ Σύρων βασιλεὺς Ἄδαδος..... τελευτήσαντος δ' ἐκείνου, ἀπόγονοι ἐπὶ δέκα γενεὰς ἐβασίλευον, ἑκάστου παρὰ τοῦ πατρὸς, ἅμα τῇ ἀρχῇ καὶ τοὔνομα τοῦτο ἐκδεχομένου ὥσπερ οἱ Πτολεμαῖοι ἐν Αἰγύπτῳ. *Interim Adadus Damaſci & Syrorum Rex..... illo defuncto, poſteri ejus ad decimam uſque generationem regnum obtinuerunt, quiſque à ſuo patre, cum imperio nomen accipiens, quemadmodum apud Ægyptios, Ptolemæi.* Genius loci pro Deo ita colebatur apud Orientis populos, ut templum quæque urbs ipſi ædificaret, teſtes ſunt plurimi Syriæ, Phœniciæ, & Meſopotamiæ nummi.

Hic nummus ſecundi moduli nec rarus nec obvius eſt.



IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS PIVS FEL. AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Fluvius decumbens, dextrâ icunculam, ſiniſtrâ cubito innixo urnæ aquas vomenti, lævâ cornucopiæ gerit.

Figura humi decumbens, Damaſcum ad fluvium ſitam eſſe denotat, imò urbem duo fluvii exornant, illa enim teſte Benjamino in Itin. pag. 96. & 97. ſub monte Hermone condita ex eo defluunt Amana & Parpar, ille quidem in mediam urbem deſcendit, hic verò extra urbem hortos & pomaria interfluit, horum fluviorum mentio eſt Reg. lib. 4. cap. 5. v. 12. *Nonne meliores ſunt Amanah & Parpar fluvii Dammeſec omnibus aquis Iſraelis.* Ipſi poſt Damaſcum ſimul conveniunt, & tunc fluvius dicitur Chryſorrhoas, ſi Straboni fides. Τῶν δὲ ποταμῶν ὁ μὲν Χρυσοῤῥόας ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Δαμασκηνῶν πόλεως, καὶ χώρας εἰς τὰς ὀχετείας ἀναλίσκεται σχεδόν τι. *De amnibus, Chryſorrhoas ab urbe & regione Damaſcenorum incipiens, totus ferè in rivos conſumitur.* Figura in nummo decumbens, Chryſorrhoam repræſentare videtur; icunculam gerit, ſed adeò detritam, ut quid repræſentet, pronunciare non ſit facile: ſiniſtrâ cornucopiæ tenet, ad ubertatem fructuum arguendam, de qua Benjamin ſuprà laudatus: *Nulla in toto Orbe civitas cum hac ubertate conferri poteſt.*

Hic nummus primæ magnitudinis inter raros & elegantes reponendus.



IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS. P. FE. AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Aries.

Frequens eſt in Syriæ, Phœniciæ, & Cœleſyriæ nummis Arietis typus, quem in noſtra de Syriæ Regum Hiſtoria pag. 342. ab Antiochenſibus cum Sole & Luna percuſſum, ad anni principium ſub hoc ſigno denotandum diximus. Non modò annus apud Antiquos menſium numero ac compoſitione diverſus erat, ſed ejus etiam principium: alii enim eum ſub Verno Æquinoctio inchoabant, cùm Sol Arietem ingreditur; alii Autumnali Æquinoctio, cùm Mundum hoc tempore creatum fructibus maturis ſibi perſuaderent. Latini ſeu Romani olim decem menſes tantùm numera-

numerabant, ut eorum nomina à Quintili nimirum uſque ad Decembrem indicant, & annum menſe Martio inchoabant, unde à Numa factus dicitur novus annus, ut narrat Plutarchus Quæſt. Rom. pag. 257. Διά τι τὸν Ἰανουάριον μῆνα νέου ἔτους ἀρχὴν λαμβάνουσι; *Cur à Januario novum annum auſpicantur?*

Hic nummus ſecundæ & minimæ molis pro raro notandus.



COLONI. DAMASCO. METROPOL. circa ambitum coronæ querceæ, in qua CEBACMIA; id eſt, *Auguſta certamina.* In imo caput Arietis.

Eq. Patinus in Theſ. Mauroceno pag. 106. nummum ad Boſtram Arabiæ urbem revocat cum hac epigraphe, COL. METROPOLIS BOSTRA, in corona SE*baſmia.* Com. Mediobarbus ex mutilo Occonis nummo pag. 445. COLONI PAD...... CEBACMIA. illum ad incertas urbes retulit pag. 347. ſed integriorem in Otacilia rectè Damaſco tribuit.

Nummus ludorum in Auguſti honorem ſub Philippo celebratorum memoriam renovat: hi autem ludi à Nicolao Damaſceno Auguſti amiciſſimo, qui Herodi Regi à Conſiliis erat, videntur inſtituti. Hunc autem inter Auguſti amicos numeratum teſtatur Athenæus lib. 14. pag. 652. Περὶ δὲ τῶν Νικολάων καλουμένων φοινίκων, τοσοῦτον ὑμῖν εἰπεῖν ἔχω, τῶν ἀπὸ τῆς Συρίας καταγομένων, ὅτι ταύτης τῆς προσηγορίας ἠξιώθησαν ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ Αὐτοκράτορος σφόδρα χαίροντος τῷ βρώματι Νικολάου τοῦ Δαμασκηνοῦ ἑταίρου ὄντος αὐτῷ, καὶ πέμποντος φοίνικας συνεχῶς. *De palmulis, quas Nicolaos vocant, & quæ advehuntur è Syriâ, hoc tantum vobis poſſum dicere, ab Auguſto Imperatore hoc nomen inditum fuiſſe, qui admodum cibo eo delectaretur, quod Nicolaus Damaſcenus ejus amicus palmulas ſæpius illas ad ipſum mitteret.* Herodes Cæſareæ in Auguſti honorem ludos de Cæſaris nomine teſte Joſepho de bell. Jud. lib. 1. p. 748. inſtituit. Καὶ πενταετηρικοὺς ἀγῶνας καταστησάμενος, ὁμοίως ἐκάλεσεν ἀπὸ τοῦ Καίσαρος. *Et quinquennali certamine inſtituto, nomen ei Cæſaris donavit.* Nic. Damaſcenus ad Herodis exemplum celebrare voluit eadem certamina Damaſci, ex qua urbe ſe natum gloriabatur in vita ſua: Πόλεως μὲν οὐ ποτ' ἀφ' ἑτέρας οἰόμενος δεῖν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς αὐτοῦ προσαγορεύεσθαι. *Qui nunquam alterius civitatis quàm patriæ ſuæ civem ſe appellare voluit.* Eximiam Auguſti virtutem; & ſumma illius in omnes beneficia in ipſius vita à ſe ſcripta commemorat Nic. Damaſcenus. Corona quercea, Victoris præmium videtur fuiſſe, in illius memoriam, quam Auguſtus ob ſervatos cives à Senatu recepit.

Hic nummus primi moduli inter rariores habendus.

DEULTUM.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacenſis Deultana.* Æſculapius ſtans, dextrâ innixâ baculo cui involutus ſerpens.

Deultum urbs & Colonia Thraciæ nummos Philippo in victoriæ Carpicæ monimentum conſecraſſe videtur: cum enim Carpi Sarmatiæ Europeæ populi proximas Thraciæ provincias vaſtarent, Imperator illos vicit, & pacem cum iis iniit, quamobrem Deultani gratulantur. Æſculapius in hoc Deultanæ Coloniæ nummo, ut Apollo ejus pater in aliis quos vulgavimus, ſui cultum indicat; filius autem à patre edoctus eſt medicinam, Apollinem enim Veteres, quaſi Ἀπελλῶντα, hoc eſt, propellentem morbos, cognominatum putarunt, unde apud Athenienſes Ἀλεξίκακος vocatus eſt: Æſculapius verò in medicina ita excelluiſſe dicitur, ut mortuos ab Inferis revocare crederetur, idcirco in Deorum numerum relatus. Philippus forſan aliquam in hoc bello Scythico ægritudinem paſſus eſt, pro cujus ſalute Deultani Æſculapio tutelari urbis Deo ſacra perpetrarunt.

Hic nummus minimæ formæ inter raros aſcribendus.



COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Cybele turrita sedens, dextrâ pateram, sinistrâ tympanum, hinc & inde pro pedibus Leo.

Deultum, Colonia à Vespasiano facta, easdem videtur immunitates habuisse, quas narrat Titulus 51. Cod. lib. 11. de Colonis Thracensibus : *Thracenses capitationis tributa non præstant, sed tributa terræ.* Cybele sui cultum in Colonia denotat, illa eadem est quæ Tellus & Magna Mater, de qua D. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei : *Tellurem eandem dictam esse Magnam Matrem : quòd tympanum habeat, significari esse orbem terræ : quòd turres in capite, oppida : quòd sedes fingatur circa eam, cùm omnia moveantur, ipsam non moveri .... Leonem adjungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant nullum esse genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subjici cuique conveniat.* Hæc D. Augustini de Cybele descriptio mirè nummo congruit ; illa pateram ob sacrificia sibi pro Philippi salute perpetrata gerere videtur.

Hic nummus minimi moduli pro raro & singulari notandus.



C. F. P. D. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Leo.

Thraciam non modò Colonias à Romanis, sed etiam longè antea à Græcis accepisse legimus apud Polybium Hist. lib. 9. pag. 561. Ἦν τὸ σύστημα τῶν ἐπὶ Θρᾴκης Ἑλλήνων, οὓς ἀπῴκισαν Ἀθηναῖοι καὶ Χαλκιδεῖς. *Erat olim inter Græcos qui Thraciam colebant, corpus veluti quoddam & Respublica communis Coloniarum ab Atheniensibus & Chalcidensibus eò deductarum.* In superiori nummo Cybele cum Leonibus repræsentatur, ideo Leo Matri Magnæ sacer dicitur ; an in hoc typo pro hujus Deæ symbolo, an verò pro Coloniæ insigni cusus sit, dijudicent Antiquarii. Leonum abundantiam in Thracia fuisse nemo nescit.

Hic nummulus inter rariores numerandus.

HELIOPOLIS.



IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. HEL. *Colonia Heliopolis* vel *Heliopolitana.* Caput muliebre turritum & velatum, ante quod signum militare, cui imposita aquila cum capite gemino, ponè autem ramus.

Heliopolis urbs Cœlesyriæ, Colonia à Julio Cæsare constituta, Veteranisque ab Augusto frequentata, ut in Hadriano p. 158. diximus, nummos Philippo dedicavit ob bellum Persicum ab eo, pace inita, sopitum, cujus rei testes sunt nummi ipsi à Senatu percussi cum epigraphe PAX AETERNA, & insignes illi argentei, cum inscriptione, PAX FVNDATA CVM PERSIS. Caput muliebre turritum, Genius est urbis. Signum militare, ad Coloniæ supplementum ex Veteranis spectat ; sed signo militari imposita est aquila cum gemino capite, ad denotandum illos ex duabus Legionibus in eam fuisse transmissos, de quibus infrà. Ponè caput mulieris ramus est ; sed cujus arboris, haud affirmare audemus : si tamen conjecturæ locus, cupressus est ; illa in medio templi exhibetur in nummo hujus Coloniæ infrà describendo ; adde quòd hæc Soli dicata sit, & urbs Heliopolis, id est, Solis Civitas appelletur.

Hic nummus primæ magnitudinis in rariorum numero recensendus.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ϹΕΒ. Caput Philippi laureatum.

COL. HEL. LEG. V. MACED. VIII. AVG. *Colonia Heliopolis, Legionum* v. *Macedonicæ*, VIII. *Augustæ.* Caput turritum pectore tenus cippo impositum, hinc & inde figura virilis cum vexillo, & clypeo cui innixa est.

Insignis est ille typus, qui Veteranos Legionum v. *Macedonicæ* & VIII. *Augustæ* Heliopolim in Coloniam fuisse transmissos nos edocet; jam per alterum Augusti nummum à Berytiis signatum, Veteranos illos partim Berytum traductos vidimus, unde non mediocriter illustratus est locus Strabonis duas Legiones ab Agrippa in hac urbe locatas commemorantis. Βηρυτὸς δὲ κατεσπάσθη μὲν ὑπὸ Τρύφωνος, ἀνελήφθη δὲ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων, δεδεξαμένη δύο τάγματα ἃ ἵδρυσεν Ἀγρίππας ἐνταῦθα. *Berytus verò à Tryphone diruta, nunc verò à Romanis instaurata, duabus Legionibus ibi ab Agrippa collocatis.* Nummus enim Legionum nomina à Strabone prætermissa restituit, quarum partem alteram Berytum, alteram Heliopolim traductam demonstrat, ideo duo Legionum vexillarii, unus nimirum v. *Macedonicæ*, & alter VIII. *Augustæ* exhibentur, ad latera urbis Genii cippo impositi stantes tanquam Coloniæ Præsides. Epigraphe nummi bilinguis, apud Antiquarios illius raritatem adauget.

Hic nummus primæ magnitudinis ex museo nostro, eximiæ singularitatis & elegantiæ est.



IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS PIVS FEL. AVG. In aliis Græca ut superior epigraphe. Caput Philippi laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Augusta Felix Heliopolis* vel *Heliopolitana.* Mulier turulata & stolata stans, dextrâ temonem, sinistrâ cornucopiæ, hinc & inde figura muliebris cippo imposita velum amplissimum supra caput ejus volitans utraque manu retinet, pro pedibus astant duæ figuræ viriles cum labaro.

Juliæ & *Augustæ* nomina Heliopoli urbi in hoc nummo ascripta, eam à Julio Cæsare Coloniam fuisse constitutam, & ab Augusto Veteranis, ut diximus, frequentatam proculdubio convincunt, nec illa à Sept. Severo deducta est, ut Antiquarii hactenus existimarunt ex Ulpiani loco Dig. de Cens. *Est & Heliopolitana quæ à Divo Severo per belli civilis occasionem Italicæ Coloniæ rempublicam accepit.* Cùm Ulpiani mens sit non quidem Heliopolim à Severo constitutam Coloniam, sed jure Italico quam hæc nondum obtinuerat, ab ea Imperatore donatam indicare; illa enim ejusdem sortis erat ac Cæsarea Palæstinæ, de qua Paulus l. 2. de Censibus. *Divus Vespasianus Cæsarienses Colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici essent.* Imo Ptolemais Phœniciæ ex ipso Ulpiano nudum habebat Coloniæ nomen. Mulier turulata, Genius est urbis sub Fortunæ imagine sæpius in Heliopolitanorum nummis & in aliis repræsentata, stolata quidem est, Romanorum more vestita: duas pro pedibus ejus figuras cum vexillis, ad Coloniæ originem spectare, in superiori nummo diximus; sed quænam sint illæ mulieres, velum supra caput Fortunæ sustinentes, an duæ icunculæ tantum ad simulacri ejus ornamentum in templo positæ, an ipsius Deæ Sacerdotes, an verò Nemesis & Themis ipsius comites, dijudicent Eruditi. Vidimus autem egregium marmor Romæ exhibens Fortunam sedentem cum duabus puerulis ante & pone ipsam stantibus, anteriorem quidem puerulam, Fortunam præsentem; retro autem stantem, futuri temporis Fortunam interpretabantur.

Hic nummus majoris moduli inter rarissimos computandus.



M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Iulia Augusta Felix Heliopolitana.* Mercurius stans succinctus, dextrâ crumenam, lævâ caduceum.

Mercurius in Heliopolitana Colonia cultus fuisse videtur: Mercurios quidem quinque numerat Cicero de Nat. Deor. inter quos quintus Argum interemisse dicitur, ob eamque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis Leges demonstrasse, idemque à Phœnicibus *Thautus* appellatur, quòd primus mensis, id est, September, Thoth ab illo vocatus sit. Mercurius in Tyriorum nummis depingitur cum radio, quo Astrologi pro globo utuntur; sed hic crumenam tanquam mercium Præses dextrâ gerit, lævâ verò caduceum, quem ille ad dissidia & contentiones tollendas præferebat, indicans ad mercaturam commodiorem pacis tempora bellicis esse præferenda.

Hic nummus infimæ molis inter rariores reponendus.




IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput Philippi laureatum.

COL. HEL. I. O. M. H. *Colonia Heliopolitana. Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.* Cupressus in templo duodecim columnis suffulto, ante gradus arula.

Ad Heliopolim Cœlesyriæ urbem pertinet nummus, & non ad Helviam Coloniam, uti refert Comes Mediobarbus pag. 347. Illa Septimii Severi studiosa, templum Jovi Optimo Maximo sacrum in ejus nummis jam exhibuit; sed ejusdem ædis typus in majori nummo amplior est. Coloni ex urbe Roma missi, præcipuum urbis numen Heliopolim asportarunt. Templum Jovis Capitolini in octava Romæ regione collocat P. Victor, quod Tarquinius Priscus vovit, Tarquinius verò Superbus à fundamentis erexit, deinde idem XL. argentea millia ad illius structuram impendit; sed anno post ipsum è regno ejectum, Horatius Consul idem dedicavit; Jupiter verò Optimus Maximus, vocatus etiam est Capitolinus, quòd supra Capitolium templum ejus esset ædificatum: sed cùm sedem mutassent Romani, pro Capitolino, loci nomine Heliopolitanum de Coloniæ appellatione cognominarunt. Cupressus in ejus aditu videtur posita, quod hæc arbor Soli esset sacra, cujus nomen ferebat civitas dicta Heliopolis, *urbs Solis.* Assyrii autem in hac civitate Solem sub Jovis nomine colebant, ut jam ex Macrobio diximus in Caracalla p. 37. *Assyrii quoque Solem sub nomine Jovis, quem Dia Heliopolitem nominant, maximis ceremoniis celebrant in civitate quæ Heliopolis nuncupatur.*

Hic nummus primæ magnitudinis rarus est & elegans.



IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPOS PIVS FEL. AVG. Caput Philippi laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Augusta Felix Heliopolitana.* Templum supra rupes cum scala multorum graduum, ante quod arula, & propè, vas ad sacrificium, in area, juxta scalæ verticem, caduceus.

Cui numini dicatum sit hoc templum, nisi caduceus in Mercurii honorem ædificatum indicet, vix asserere poterimus. Mercurium Heliopoli cultum docuit nos superior ejusdem Philippi nummus

mus ab Heliopolitanis percussus, ut in ejus explanatione hunc Mercatorum Deum esse diximus; ideo illum & ejus templum in nummis Philippo dicatis exhibuerunt Heliopolitani, quod Imperator per pacem cum Persis fundatam, solenne urbis commercium restaurarit; ideo ara & vas oo sacrificia pro Imperatore perpetrata adsunt. Templum supra rupes conditum est: an in clivo Libani montis urbs sit ædificata, dijudicent Antiquarii; id innuere videtur Anonymus quem vulgavit Gothofredus in Exegesi totius Mundi §. 10. Ηλιόπολις, ἡ πλησιάζει τῷ Λιβάνῳ ὄρει, *Heliopolis, quæ propinqua est Libano monti.* Hyginus primum Mercurio templum in Arcadia à Lycaone Pelasgi filio factum narrat Fab. 225.

Hic nummus primi moduli inter elegantiores reponendus.

HIPPO.



M. PHILIPPVS. AVG. P. P. Caput Philippi laureatum.
C. G. I. H. P. A. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Pia Augusta.* Lupa cum puerulis.

Jam prodiit similis Lupæ cum puerulis & his litteris initialibus typus in Commodo pag. 214. illas in M. Aurelio ad Hipponensem Coloniam spectare diximus, cùm è contrà P. Harduinus eas ad Hadrumetinam retulerit: secunda autem littera est G, non C; Hippo enim in Numidia duplex, seu geminus, alter *Regius* vocatus, alter *Diarrhytus* seu irriguus, prior à Plinio Juniore Colonia Hipponensis dicitur lib. 9. epist. ad Caninium, quod confirmat Antoninus Pius in Itin. *Hippone Regio Colonia* M. P. XXXI. *Addianum* M. P. XXXII. *Nalpotes* M. P. XL. *Thabraca* M. P. XXX. *Hippone Zarytho* M. P. LX. De geminis illis urbibus hæc narrat Solinus cap. 29. *Borion promontorium, quod Aquilone cæditur, Græci advenæ sic vocaverunt, Hipponem Regium dictum: Item Hipponem alterum interfluente freto Diarrhyton nuncupatum; nobilissima oppida equites Græci condiderunt.* Quod improbat Bochartus part. 2. lib. 1. pag. 517. *Solinus Græcos equites utrumque condidisse vult, factâ ex nomine conjecturâ: quod falsum est & ridiculum.* Sallustio fidem adhibet, qui Hipponem Phœnicum opus accenset, uti jam diximus in Caracalla pag. 40. Hipponem Coloniam à Julio Cæsare constitutam docet *Juliæ* nomen in nummo; Hadrumetinam vero à Trajano deductam, *Ulpiæ* appellatio in Gruteri inscriptione à Patre Harduino allata denotat. Lupa cum Romulo & Remo lactantibus, Coloniæ Romanæ symbolum est.

Hic nummus minimi moduli inter rariores numerandus.

LAODICEA Syriæ.



ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ ϹΕΒ. Caput Philippi laureatum.
COL. LAODIC. METROPOLEOS. *Colonia Laodiceæ Metropoleos.* In areâ A. E. Diana tutulata & tunicata, dextrâ elatâ telum è pharetra dorso appensâ depromit, sinistrâ arcum gerens, pro pedibus hinc inde Cervus.

Laodiceas urbes à Seleuco Nicatore sex in matris Laodices memoriam conditas narrat Appianus in Syriacis: Καὶ ἓξ ἐπὶ τῇ μητρὶ Λαοδικείας. *Et sex à matre Laodiceas.* Sed ex iis omnibus ea sola quæ in Syria ad mare adjacet, Colonia à Septimio Severo ob belli civilis merita constituta est, ut in Caracalla fusè diximus pag. 39. Illa est urbs, quam diripuit Cassius, cùm in eam se Dolabella recepisset; ut idem Appianus tradit de Bell. civ. lib. 4. Λαοδικέων δὲ τά τε ἱερὰ καὶ τὰ κοινὰ ἐσύλα, καὶ τοὺς ἐπιφανεῖς ἐκόλαζε. *Laodicensium & fana & ærarium diripuit, nobilissimum quemque supplicio affecit.* Laodicea tanquam secunda Syriæ Metropolis Philippo pacem cum Parthis sancienti nummos lætabunda percutit. Diana est in nummo, & non Cybele, inter duos cervos, uti profert Patinus in Indice pag. 15. quem ob calathum capiti Deæ superpositum forsan non sequutus esset Comes Mediobarbus pag. 347. si nummum vidisset; adeò necessaria est numismatum inspectio, & non sola eorum descriptio. Diana Laodiceæ sui cultum indicat. Ejus signum Seleucus à Persis ex Attica ablatum, & Susis repertum, Laodicensibus concessit, ut ex Pausania in Elagabalo pag. 82. retulimus. Cervi pro pedibus Dianæ adsunt, quòd ii essent huic Deæ sacri, si Apollodoro fides est, lib. 2.

lib. 2. *Erat enim ad Oeonen auratis cornibus insignis cerva Dianæ sacra.* De notis Δ. E. sæpius dictum.

Hic nummus minimæ formæ pro raro habendus.



COL. LAOD. METROPOLEOS. *Coloniæ Laodiceæ Metropoleos.* In area Δ. E. Mulier turrita stans, dextrâ temonem, sinistram extendit.

Figura muliebris vel urbem repræsentat, vel Genius est loci; turribus ornatur, tanquam optimè turribus munita; temonem tenet, ad situm urbis indicandum, quod utrumque Appianus confirmat lib. 4. de Bell. civ. pag. 624. Ες Λαοδίκειαν οἰκείως ἔχουσαν οἱ παρῆλθεν, ἐπί τε Χεῤῥονήσου συνῳκισμένην, καὶ τὰ ἐκ τῆς γῆς ὠχυρωμένην, καὶ ἐς τὸ πέλαγος ἔχουσαν ὅρμον. *Et Laodiceam urbem sibi amicam pervenit, sitam in peninsula, & quà continentem spectat, munitam, ad mare verò portum habentem.* Clavus seu gubernaculum navis, temo dicitur, quòd eam dirigat, erectamque teneat. Cicero de Senectute: *Ille autem clavum tenens, quietus sedet in puppi.*

Hic nummus secundæ magnitudinis obvius est.



COL. LAODICEON. METROPOLEOS. in area Δ. E. Mulier turrita stans, dextrâ Aquilam sustinet, lævâ temonem tenet.

En mulier Laodiceam urbem repræsentans, eadem prodit iterum, per temonem urbis situm ad mare indicat; sed ut Colonia Romana, Aquilam urbis Romæ symbolum dextrâ tenet: cur verò Aquila Romanorum insigne fuerit, docet Josephus de Bello Jud. lib. 3. cap. 5. pag. 838. Βασιλεὺς τε οἰωνῶν ἁπάντων, καὶ ἀλκιμώτατος ὤν. ὃ δὴ καὶ τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς· καὶ κληδὼν ἐφ᾽ οὓς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ. *Quòd & universarum avium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & principatus insigne putant, & omen victoriæ, quoscumque bello petierint.* Laodiceam inter Colonias juris Italici recenset Paulus lib. 2. de Censibus: *Laodicea in Syria, & Berytos in Phœnice, juris Italici sunt, & solum earum.*

Hic nummus minimi moduli pro raro ascribendus.



COL. LAO. METROPOLEOS. in area Δ. E. Mulier turrita insidet temoni, cujus capulum dextrâ tenet.

Laodiceæ Genius, seu urbs ipsa, variis modis exhibetur: in hoc nummo insidet temoni, qualem videre est Aradiorum Genium in Trajano apud Patinum pag. 187. & sitam non modò indicat ad mare urbem, ut illam Strabo collocat lib. 16. pag. 751. Εἶτα Λαοδίκεια, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ κάλλιστα ἐκτισμένη, καὶ εὐλίμενος πόλις. *Sequitur Laodicea ad mare sita, urbs optimè exstructa, & portu prædita.* Sed & tranquillum Coloniæ statum arguit; quietè enim sedet Genius post pacem à Philippo cum Persis initam, qui Mesopotamiâ partim occupatâ, Syriam ipsam terruerant, ideo urbs gratulabunda nummos Imperatori dedicat.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores recensendus.

COL.



COL. LAOD. in aliis LAODICEAS METROPOLEOS. in area Δ. E. Templum duarum columnarum, in quo Aquila alis expansis.

Resarciendus est ut suprà similis nummus apud Patinum pag. 382. cum epigraphe LAODIC. ASMA.....

Laodicenses jam hoc Templum in Caracallæ & Elagabali nummis exhibuerunt, quod vel ad Jovem, vel ad Imperium Romanum spectare diximus. Aquila in Jovis tutela est, cujus causam narrat Aratus in Phænom. *Cùm adversus Titanas proficisceretur & sacrificium faceret, Aquilam ei in auspicio apparuisse, & fulmina ministrasse, quam bono omine receptam tutelæ subjecisse.* Ipsa verò in aditu templi insculpta, illud ad Jovem pertinere denotat, ut videre est in Decii nummis à Rhesainesiis signatis, ut & Noctua in iisdem, alterum Minervæ consecratum arguit: sed Aquilam præsertim in obviis Syriæ, Phœniciæ & Mesopotamiæ nummis Imperium Romanum designare, ritè norunt Antiquarii; quamobrem id templum Imperii majestati consecratum à Laodicensibus quidam existimant, quemadmodum plurima delubra novimus à quibusdam Asiæ Minoris gentibus Senatui & Romæ dedicata. Vide Seguini nostri ea de re sententiam pag. 120.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino pag. 382. vulgatus, non obvius est, imo rarus.

NEAPOLIS Samariæ.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.

COL. NEAPOL. *Colonia Neapolis* vel *Neapolitana.* Cybele sedens inter duos Leones, dextrâ pateram, sinistrâ cymbalum, in vertice mons cum templo.

Tam multæ sunt urbes *Neapolis* nomine insignitæ, ut earum numerum recensere veritus Stephanus, adjecerit, καὶ ἄλλαι, *& aliæ.* Nostra verò Neapolis, ut se ab aliis distingueret, se primùm *Flaviæ* nomine insignem, & in Samariæ regione sitam ascribit, sub epigrage ΦΛΑΟΥ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. deinde in posterioribus nummis se inter Syriæ Palæstinæ urbes dinumerat, ΦΛ. ΝΕΑϹ ΠΟΛΕΩϹ ϹΥΡ. ΠΑΛ. Φλαουίας Νέας Πόλεως Συρίας Παλαιστίνης; tandem sub Philippo se Coloniam nominat: sed ut inter alias noscatur, templum Jovis celeberrimum supra montem Garizim ædificatum, ad cujus radices erat sita, semper in aliqua nummi parte apposuit. Prius urbis nomen *Sichem* erat, teste Benjamino in Itiner. pag. 66. *Neapolis, olim dicta Sichem, intra montes Ephraim condita, in valle jacet inter montem Gerizim & montem Ebal.* Hæc sub Vespasianis dicta est *Neapolis*, & *Flaviæ* nomen accepit, ob Syriæ Palæstinæ meritum in bello Judaico, ut innuere videtur Frontinus lib. de Colon. *Inter quos postea, & miles Imp. Titi lege, modum jugerationis ob meritum accepit.* Jus etiam Italicum ab iis Imperatoribus obtinuit, quod iis abstulit Septimius Severus apud Spartianum: *Neapolitanis Palæstinensibus jus civitatis tulit, quòd pro Nigro diu armis steterant.* Unde æram in nummis suis dinumerarunt, testes sint nummi Domitiani, in quibus ΙΑ. an. 11. & M. Aurelii Faustinæ cum litteris numeralibus ΠΖ. ΠΗ. ΠΘ. 87. 88. 89. qui asservantur in Thesauro Regio; nec urbs epocham sub Augusto inchoavit, ut contendit Pater Harduinus pag. 342. ex nummo Collegii Ludovici Magni, in quo ille ΕΤ. ΠΡ. an. 180. legit; sed alteram post Π litteram diligenter ab eo non observatam existimamus. Neapolim autem Coloniam à Philippo factam evincunt non modò nummi cum hujus titulo frequentes, ipsi & ejus familiæ dicati, sed epigraphe ΦΛ. ΝΕΑϹ ΠΟΛ. ϹΥΡ. ΠΑΛΕ. in Regiis nummis Elagabali; imò in Gordiani nummis in Cimelio Card. Maximi. Nec moveat Lectorem nummus à Com. Mediobarbo p. 314. ex Occone p. 403. allatus, quem is Elagabalo tribuit: hic namque nummus ad Volusianum pertinet, ut infrà videbimus, cujus typum ille malè descripsit, & Elagabalo perperam tribuit. Cybele ut in superiori Damasci nummo, Neapoli sui cultum indicat.

Hic nummus secundi moduli pro raro & insigni habendus est.



COL. SERG. NEAPOL. *Colonia Sergia Neapolis.* Æſculapius ſedens, ſiniſtrâ baculum ſerpente involutum tenet, dextram porrigit verſus Hygeiam ſtantem, quæ lævâ ſerpentem apprehendit paſcentem in patera quam dextrâ gerit.

Vox SERG. in hoc Neapolis Coloniæ à Philippo deductæ nummo pro antiqua *Flaviæ* appellatione poſita eſt, eaque *Sergia*, vel *Sergiana*, vel *Sergiopolitana* videtur explicanda. *Sergia* familiæ Romanæ nomen, Julio Philippo de Julia gente appellato non convenit. Sergiana vox, nomen eſt ex Sergia gente in aliam familiam adoptata productivum: quis verò Philippum in familiam Juliam adoptatum, *Sergianum* dictum fuiſſe, & Coloniam ab eodem deductam, *Sergianæ* nomen ab eo tuliſſe exiſtimabit? An potiùs hæc Colonia, *Sergiopolitana Neapolis* vocata ſit, ob cives partim ex Sergiopoli Euphrateſia urbe non multùm diſſita, Neapolim traductos, ſed illam à Sergio cive Romano ſub Diocletiano ibi cum Baccho martyrium paſſo nominatam tradunt Eccleſiaſtici Scriptores; at verò ſi nulla ex iis interpretatio arrideat, ad aliam de *Sergia* tribu Romana confugiendum, ex qua Coloni Neapolim tranſmiſſi ſint, unde *Sergia* nominata ſit Neapolis. Vide plura in Otacilia. Æſculapius & Hygeia Coloniæ numina ſunt, ob ſacra ipſis pro Philippo Coloniæ fundatore à Neapolitanis facta, in nummo forſan ſignata.

Hic nummus ſecundæ formæ in Collegio Ludovici Magni rariſſimus eſt.



℞. D. N. N. PHILIPPIS AVGG. *Dominis noſtris Philippis Auguſtis.* Capita adverſa Philippi patris & filii lauro inſignita.

COL. SERG. NEAPOL. *Colonia Sergia Neapolis.* Silenus à ſiniſtris ſtans ſolito modo, ante eum, in vertice templum ſupra montem.

Dominorum appellatio pro ſupremi faſtigii vocabulo in nummis jam ſub Caracalla & Geta Imperatoribus ab Antiochenſibus Piſidiæ uſurpata prodiit, quam adulatoriam nomenclationem renovat Neapolis beneficiorum Philippi memor, ſimul ac intellexit communicatam filio à patre Imperii poteſtatem, qua de re ſic Victor: *Sumpto in conſortium Philippo filio.* Illa *Domini* appellatio etiamſi publico ære Romæ non ſignaretur, pro uſu tamen erga Imperatorem invaluerat, ſi quidem Alexandrum Severum eam recuſaſſe narrat Lampridius in ejus vita: *Dominum ſe appellari vetuit.* Tandem illam Romani in Aureliani nummis uſurparunt. Silenus Neapoli ſui cultum arguit, quem inter Divos relatum memorat Tertullianus lib. de Anima: *Quia pleroſque victores etiam exiſtimavit antiquitas, nedum Divos: ut Mercurium Ægyptium, cui Plato adſuevit, ut Silenum Phrygem, cui à paſtoribus perducto ingentes aures ſuas Midas tradidit.*

Hic nummus primæ magnitudinis rariſſimus eſt.



℣. I. M. M. C. C. F. PHILIPPIS AVGG. *Imperatoribus Marcis Cæsaribus Philippis Augustis.* Capita Philipporum jugata & laureata.

COL. NEAPOL. NEOKORO. *Colonia Neapolis Neocoros.* Silenus ut suprà, in vertice templum supra montem, in imo Aquila alis expansis.

Idem ferè typus prodit, cui addita est Aquila, quòd Neapolis se Romanam jactet, cùm Colonia facta sit. Silenus, ut suprà diximus, sui cultum in urbe arguit, nec est Coloniæ argumentum, ut existimat P. Harduinus pag. 120. *Vir saccum humeris gestat, Coloniæ est argumentum, ut in nummis Neapoleos Samariæ.* Non saccum humeris gestat Silenus, sed ut vini inventor, utrem hircinum in quo illud reponebatur, teste Nonno Dionys. 18. v. 116.

Λαιῇ μὲν νεόδαρτον ἐθήμονος ἔγκυον οἴνου
Αὐχενίῳ ζωστῆρι περίπλοκον ἀσκὸν ἀείρων.
Sinistrâ quidem recens direptum consueto pleno vino
Humerali cingulo circumplexum utrem tollens.

Mons cum templo in omnibus Neapolitanæ Coloniæ nummis, ad situm ejus denotandum cælatur; illa enim ex Benjamini Itinerario in Samariæ regione ad montis Garizim radices erat condita. Ille mons insigni Jovis templo demonstratur; Josephus enim narrat lib. 12. cap. 7, Garizitanum templum Deo Maximo olim fuisse dicatum; sed Samaritas ad Antiochum Deum Epiphanem Legatos misisse, ab ipso petituros, ut templum quod hactenus nullius Dei titulum haberet, posthac vocaretur *Jovis Græcanici.* Απολύομέν τε αὐτοὺς, τῆς αἰτιῶν, καὶ τὸ παρ' αὐτοῖς ἱερὸν καθάπερ ἠξιώκασι, προσαγορευθήτω Διὸς Ελληνίου. *Absolvimus eos quantùm ad hanc causam & eorum templum attinet, quod posthac appelletur Jovis Græcanici.* De Neocoris infrà.

Hic nummus primæ formæ rarissimus est.



Eadem epigraphe. Capita Philipporum jugata.

COL. NEAPOLI. NEOKORO. *Colonia Neapolitana Neocoros.* Lupa cum puerulis, templum supra montem Garizimum in vertice.

Colonia Neapolitana Syriæ Palæstinæ *Neocoros* adinstar Græcarum Asiæ Minoris urbium inscribitur. Nummi quidem K pro C exhibent, sed utraque littera Romani utuntur, verbi gratiâ Calend. & Kalend. De Neocoris variè hactenus ab auctoribus scripta sunt; sed D. Nic. Bon J C. Græcus Venetiis degens, tractatum de iis singularem in duodecim capita divisum nobis perlegit, qui simul ac prælo mandatus fuerit, omnium votis cumulatè respondebit. Νεωκόροι videntur esse sacrarum ædium, & publicorum ludorum Curatores, quos Latinè *Ædiles* dixeris. Vide interim P. Harduinum pag. 2. à quo tamen in hoc dissentire nobis liceat, quòd ille notas δὶς, τρὶς, τέτρακις, sub eodem Imperatore sacra certamina bis, ter, & quater exhibita existimet, ex marmore Oxoniensi pag. 95. de Smyrnæis: Καὶ ὅσα ἐπετύχομεν παρὰ τοῦ κυρίου Καίσαρος Αδριανοῦ δι' Αντωνίου Πολέμωνος, δεύτερον δόγμα Συνκλήτου, καθ' ὃ δὶς Νεωκόροι γεγόναμεν. *Et quæ accepimus à domino Cæsare Hadriano per Antonium Polemonem, alterum nempe Senatusconsultum, quo bis Neocori facti sumus.* Quæ verba, *bis Neocori facti sumus*, non intelligenda nobis videntur, quòd Smyrnæi bis ab Hadriano Neocori facti sint, sed quòd illi jam ab alio Imperatore Neocori instituti, Neocoriam secundam obtinuerint, ut in ejus nummis passim legitur; Ephesii verò tertiam sub Caracalla, sub quo ΤΡΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ inscribuntur; quartam autem sub Elagabalo, quo fit ut in ejus nummis glorientur se solos quater Neocoros institutos, ΕΦΕϹΙΩΝ ΜΟΝΩΝ ΑΠΑϹΩΝ ΤΕΤΡΑΚΙϹ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. In Græcarum autem urbium nummis, quandonam suam quæque civitas Neocoriam, & sub quibus Imperatoribus acceperit, ex ipsorum numismatum inscriptionibus ostendemus. Quis enim crederet Ephesios sub Elagabalo quater Neocoros fuisse factos, cùm ille vix quintum Imperii annum inierit? ludi enim tantis impensis celebrabantur, ut in quinquennium rejicerentur. Lupa cum puerulis, solenne est Coloniarum symbolum.

Hic nummus primi & secundi moduli rarissimus est.

NESIBI.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟC. CΕΒ. Caput Philippi radiatum.

ΙΟΥ. CΕΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕCΙΒΙ. ΜΕΤ. Ιȣλίας Σεπ͂λιμίας Κολωνίας Νέσιβι Μητροπόλεως. Mulier inſidens rupibus in templo tetraſtylo, dextrâ ſpicas, ſupra caput Aries.

Neſibis urbs Meſopotamiæ, Colonia à Septimio Severo deducta eſt, ut Σεπ͂λιμίας nomen in nummis, & Dionis ſub hoc Imperatore degentis verba lib. 35. pag. 3. teſtantur : Νῦν μὲν ἡμετέρα ἐςὶ, ϗ ἄποικος ἡμῶν νομίζεται. *Atque hoc tempore noſtræ eſt ditionis, Coloniaque noſtra habetur.* Neſibis autem in hoc Philippi nummo Ιȣλίας nomen etiam præfert, quod eruditiſſimus Spanhemius Diſſert. 9. pag. 775. ipſi Coloniæ à Severo & Julia Domna conjuge inditum exiſtimat ; an potiùs Neſibis hanc *Juliæ* appellationem obtinuit à Philippo, qui Juliæ gentis erat, quique hanc urbem Metropolis dignitate inſignierat, ut nummi titulus demonſtrat. Mulier inſidens monticulis, Genius eſt urbis, ſitum ejus in clivo montis Maſii denotans ; ſpicas gerit, ad indicandam frumenti in agro ſuo abundantiam. Aries, anni principium deſignare videtur. Templum Genio urbis dedicatum eſt.

Hic nummus ſecundi moduli inter præſtantiores numerandus.

PELLA.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi radiatum.

COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Auguſta Pella.* Mulier tutulata ſedens, dextram verſus caput admovet.

Pella urbs & Colonia Macedoniæ, Philippo nummos conſecraſſe videtur, ei gratulans, quòd ille provinciæ ſuæ copiis Severianum generum præfecerit, ſi Zoſimo fides lib. 1. Σεβεριανῷ ᾗ τῷ κηδεςῇ τὰς ἐν Μυσίᾳ ϗ Μακεδονίᾳ δυνάμεις ἐπίςευσε. *Severiano genero Myſiæ Macedoniæque copiis creditis.* Pella Macedoniæ Principum olim Regia fuit, quam Titus Livius Decad. 5. lib. 4. *non ſine cauſa delectam eſſe Regiam* tradit. Mulier illa ſedens, urbem repræſentare videtur, illiuſque ſolenne eſt ſymbolum, de quo ſæpius diximus.

Hic nummus mediocris & minimæ molis nec rarus nec obvius eſt.

PHILIPPOPOLIS.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟC CΕΒ. Caput Philippi laureatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC. S. C. Figura galeata inſidens clypeo, dextrâ Aquilam cui impoſitæ ſunt duæ icunculæ togatæ, lævâ haſtam gerit.

Philippopolis, urbs gemina, una Thraciæ Metropolis dignitate inſignita, ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΜΗΤΡΟΠ. à Philippo Amyntæ Macedoniæ Regis filio condita; altera Arabiæ, Coloniæ titulo ornata, à Philippo Imperatore fundata, teſte Zonara: Καὶ πόλιν βασιλεύσας ἐπώνυμον ἑαυτῷ ἐδομήσατο, Φιλιππόπολιν ὀνομάσας αὐτήν. *Et urbem cùm imperaſſet, ejuſdem nominis condidit, quam Philippopolim appellavit.*

pellavit. Figura galeata insidens spoliis, Roma est, quam exhibent Philippopolitani tanquam Coloniæ fundatricem. Philippus autem ut Senatum sibi demereretur, Senatusconsultum antiquo more petiisse videtur, quo Coloni in urbem à se conditam mitterentur; cujus rei index est S. C. in nummo nota Roma aquilam gerit insigne Imperii, cui superpositæ sunt duæ icunculæ togatæ, uterque scilicet Philippus, ambo Imperatores Romani.

Hic nummus primæ magnitudinis inter elegantiores reponendus.

PTOLEMAIS.



IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS. P. F. AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. PTOLEMAIS. *Colonia Ptolemais.* Colonus agens boves.

Ptolemais Phœniciæ urbs, Colonia à Claudio deducta, suos etiam Philippo nummos dedicat; forsan ei gratulata, ut aliæ hujus tractus Coloniæ, non modò quòd ille pace cum Persis stabilitâ bellum à Syria amoverit, sed quòd huic provinciæ fratrem suum præfecerit, teste Zosimo lib. I. Καὶ Πρῖσκον μὲν, ἀδελφὸν ὄντα τῶν κατὰ Συρίαν προεστήσατο στρατοπέδων. *Itaque Priscum fratrem Syriacis exercitibus præfecit.* Ptolemaidenses Colonum boves agentem, ad originem & antiquitatem Coloniæ arguendam percusserunt. Hæc juris Italici non erat, si Ulpiano fides lib. 50. tit. de Cens. *Ptolemaidensium enim Colonia, quæ inter Phœnicem & Palæstinam sita est, nihil præter nomen Coloniæ habet.*

Hic nummus primi moduli inter rarissimos collocandus.

TROAS.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Aquila volitans unguibus caput bovis gerit.

Colonia Augusta Troas sub provinciæ Asiæ Proconsulatu continebatur, uti Paulus lib. 2. de Censibus, Colonias enumerans, eam recenset: *In provincia Asiæ, duæ sunt juris Italici, Troas & Parium.* Plurimæ erant in Imperio Romano Coloniæ, sed non omnes juris Italici: illæ autem quæ sub Caracalla eo titulo gaudebant, in libro de Censibus memorantur; ideo Troas ab Augusto Colonia deducta, frequenter novis Imperatoribus nummos dedicavit, ut immunitates præterea sibi à Claudio concessas, & à nobis sæpius memoratas, conservaret. Aquila unguibus caput bovis gerens, ad urbis originem & antiquitatem indicandam, in nummo percussa videtur: illa enim partis sacrificium abstulit, condendæque urbis augurium in eo loco fuit, ad quem bovis caput transtulisset, de quo passim à nobis dictum est.

Hic nummus minimæ formæ, etsi in aliis Imperatoribus obvius, in Philippo rarus est.

TYRUS.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS PIVS FEL. AVG. Caput Philippi laureatum.

COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Figura virilis nuda ſupra triremem, manibus extenſis, dextrâ indicare videtur; in area conchylium.

Tyros Colonia & Metropolis Phœniciæ, plurimis de cauſis frequentes Philippo nummos percuſſit, vel quòd Perſas è Syria propulſaverit, pacem provinciæ conciliarit, vel quòd ei Priſcum fratrem præfecerit. Quænam autem ſit illa figura virilis nuda ſupra triremem poſita, Herculem Aſtrochitonem augurari liceat, de quo in Gordiano egimus pag. 150. Ille ſupra triremem poſitus eſt ut navium inventor, & quas ſtruendas Tyrios edocuit, ſi Nonno fides Dionyſ. 40.

Τεύξατέ μοι ξένον ἅρμα βατῆς ἁλός· ὀξυτόνοις δὲ
Κόψατέ μοι πελέκεσσι ῥάχιν πιτυώδεος ὕλης,
Τεύξατέ μοι σοφὸν ἔργον, &c.
Facite mihi novum currum pervii maris, ſtridulis verò
Abſcindite mihi bipennibus deorſum piniferæ ſilvæ,
Facite mihi divinum opus, &c.

Hercules dextrâ indicat, forſan Ambroſias petras, ſupra quas urbs erat condenda, & ad quas quærendas navem ipſos fabricare juſſit.

Δουρατέῳ κενεῶνι χαράξατε νῶτα θαλάσσης,
Εἰσόκε χῶρον ἵκησθε μεμορμένον, ὁππόθι δισσαὶ
Ἀστάθέες πλώουσιν ἀλήμονες εἰν ἁλὶ πέτραι,
Ἃς φύσις Ἀμβροσίας ἐπεφήμισεν.
Ligneo ventre frangite dorſa maris,
Donec in locum veniatis paratum, ubi geminæ
Inſtabiles navigantibus vagi in mari petræ,
Quas natura Ambroſias celebravit.

Hic nummus primæ magnitudinis inter elegantiores numerandus.



COL. TYRO. METROP. Aſtarte tutulata ſtans in templo ſex columnis ornato, dextram imponit trophæo, ſiniſtrâ ſcipionem oblongum gerit; Victoria columnæ impoſita ei coronam porrigit, pro pedibus hinc Silenus, inde conchylium.

Frequens eſt in Tyriorum nummis Aſtartes typus cum iiſdem ſymbolis modò ſine templo, modò cum templo, de quibus paſſim egimus. Cicero de Nat. Deor. l. 3. *Quarta*, ait, *Venus Syria Tyroque concepta, quæ Aſtarte vocatur.* Aſtarte urbis Dea tutelaris eſt. Hiramus Tyriorum Rex ei templum dedicavit, teſte Joſepho contra Apion. l. 1. Τότε Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσεν. *Herculis & Aſtartes fana conſecravit.* Illa ſceptrum tanquam inſigne gerit, manum apponit trophæo ob Colonias à Tyriis longè latèque diſſeminatas. Victoria eam ob cauſam illi coronam imponere videtur. Silenus ſui etiam cultum Tyri indicat, ſed ad pedes Aſtartes poſitus tanquam unus ex Diis minoribus: conchylium, perpetuum eſt urbis ſymbolum, de quo Plinius lib. 15. cap. 16. *Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura conſtat.*

Hic nummus majoris moduli pro raro & elegante habendus.



COL. TYRO. METROP. *Colonia Tyros Metropolis.* Figura muliebris ſtans, lævâ ſceptrum, dextrâ tabulam in qua urbis deſcriptio eſt, porrigere videtur viro tunica ornato, quem tres alii comitantur.

Mulier ſceptrum gerens, Dido eſt Tyria, ad antiquitatem urbis indicandam à Tyriis in nummo cælata, ut innuit Virg. 1. Æneid.

Belo nata fuit Tyriorum Principe, Dido
Sichæi conjux.

Dido

Dido ichnographiam urbis porrigit viro primario tribus aliis ſtipato, de qua Juſtinus. *Fugam tacitè molitur, aſſumptis quibuſdam Principibus in ſocietatem.* Nemo autem neſcit illam è Tyro in Libyam navigaſſe, & Carthaginem condidiſſe, alii tantùm Byrſam urbis arcem extruxiſſe contendunt, teſte Ovidio in Epiſt.

Struxit Carthaginis arces.

Tyrii Didonis urbem condere meditantis memoriam forſan in nummis renovarunt, Philippo alludentes, qui Philippopolim urbem non longè ab ipſis remotam condi juſſerat: nullus enim typus in nummis ſine quadam ratione cælatur.

Hic nummus majoris formæ rariſſimus eſt.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS. P. F. AVG. Caput Philippi laureatum.
COL. TYRO METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Mulier ſtans dextrâ acroſtolium, lævâ ſtolam collectam tenet, pro pedibus hinc triremis, inde conchylium & palma arbor.

Cùm mulier quam nummus exhibet, eodem veſtitu quo Dido in ſuperiori nummo ornata ſit, ipſammet eſſet exiſtimamus: hæc ſtolam, tanquam Princeps fœmina gerit, alterâ manu acroſtolium: Dido enim Pygmalionem fratrem fugere meditans, per mare viam quærere videtur; idcirco triremis, quam mox conſcenſura eſt, juxta eam poſita eſt. Tyrii Didonem Heroïnam ſuam ad urbis antiquitatem repræſentare voluerunt ut Carthaginenſium fundatricem, quam illi tanquam Deam coluerunt. De ipſius apud Carthaginenſes cultu narrat Juſtinus lib. 18. cap. 6. *Quandiu Carthago munita fuit, pro Dea culta eſt.* Conchylium & palma arbor, urbis Tyri inſignia ſunt: conchylium purpuram apud Tyrios commendatam arguit, cujus meminit Vitruvius: *Purpuras, pro ſoli proprietate alium atque alium habere colorem, & apud Tyron quidem rubrum, circa Africam autem puniceum ſuccum emittere, quo & purpura tingitur, quam violaceam appellant.* Palma arbor, earum in hac regione abundantiam denotat, aut ad Phœnicis etymologiam ſpectat. Vide Bochartum part. 2. lib. 1. cap. 1.

Hic nummus primæ magnitudinis inter præſtantiores numerandus.



IMP. M. IVL. PHILIPPOS CAESAR. Caput Philippi radiatum.
COL. METROPOL. TYRO. *Colonia Metropolis Tyros.* Corona quercea, in qua AKTIA KAICAPIA.

Actia certamina à Tyriis videntur in Auguſti honorem edita ob libertatem quam ipſis quondam ademerat, ab eodem ſibi reſtitutam: nam Dio Auguſtum Tyriis illam ademiſſe narrat lib. 54. pag. 525. cùm ille anno U. C. 734. veniſſet in Syriam: Τούς τε Κυζικηνοὺς, ὅτι Ῥωμαίους τινὰς, ἐν στάσει μαστιγώσαντες, ἀπέκτειναν, ἐδουλώσατο· καὶ τοῦτο καὶ τοὺς Τυρίους, τούς τε Σιδωνίους διὰ τὰς στάσεις ἐποίησεν, ἐν τῇ Συρίᾳ γενόμενος. *Cyzicenos, quòd in quadam ſeditione nonnullos Romanos flagris cæſos necaſſent, in ſervitutem redegit: idemque in Syriam cùm adveniſſet, Tyriis & Sidoniis propter factiones ſupplicium irrogavit.* Frequentes ſunt etiam Sidoniorum nummi in Auguſti honorem ob veniam cum Tyriis ab eo acceptam percuſſi. Corona quercea victoris præmium eſſe videtur, hæc à Senatu ob cives ſervatos Auguſto conceſſa.

Hic nummus majoris formæ, in Theſauro Regio, rariſſimus eſt.

VIMINACIUM.



IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.

P. M. S. COL. VIM. AN. V. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium anno quinto.* In aliis AN. VI. AN. VII. AN. VIII. AN. VIIII. AN. X. Mulier stolata stans, manibus infrà extensis, pro pedibus à dextris Taurus seu Bos, inde Leo.

Viminacium Mœsiæ superioris urbem à Gordiano tertio Coloniam fuisse deductam anno ejus imperii secundo exeunte, aut tertio ineunte, suprà diximus; vocesque AN. I. II. & alias usque ad AN. V. in hoc Imperatore signatas, annos æræ à deducta Colonia designare, quarum interpretationem eruditus P. Norisius ob annos in nummis Latinis non observatos, neminem assequutum refert Dissert. 2. cap. 6. p. 97. *Nusquam*, inquit, *anni scalpi leguntur in nummis Latinis, præterquam in iis qui Viminacii in Mysia superiore cusi sunt; sed ut ingenuè fatear, nullus huc usque illarum notarum interpretationem invenit.* Goltzii de nummo Coloniæ Viminacii falsa citatio in Alex. Severo & Jul. Mæsa, plurimos in errorem induxit; dubius ideo P. Norisius loc. cit. inquit: *Quare res mihi in obscuro latet; video enim facilius esse aliorum interpretationes confutare, quam quidpiam certi statuere.* Annus V. à Colonia deducta in Philippo ut in Gordiano percussus, Gordiani mortem hoc anno, & Philippi imperii initium certò denotat: nummi autem Romani in Philippo VI. Tribunitiam potestatem dinumerant; ideo Viminacii sex etiam annos in ejus nummis computant: primusque Philippi imperii annus quinto æræ Coloniæ respondet, & deinceps usque ad Philippi necem annus decimus in ipsius nummis signatus est. De muliere inter Bovem & Leonem stante, in Gordiano dictum est.

Hic nummus ex omni modulo obvius est.



MARCIA



MARCIA OTACILIA SEVERA.





UPERIORI ævo ſummis contentionibus diſputatum fuit de Romanarum mulierum prænomine & cognomine, en Marcia Otacilia Severa Philippi Imp. conjux, utraque appellatione inſignita. *Marcia* prænomen eſt à Marco deſumptum, non autem Martiæ gentis appellatio. *Otacilia* veteris & Conſularis familiæ nomen, nec illa Auguſta unquam, ut Triſtano placet, *Otacilla* dicta eſt; *Severa* ejus cognomen eſt Romanis familiare. Vide Petri Servii Miſcellanea.

OTACILIÆ, *nummi ex omni modulo rari ſunt, ſed præſertim majores.*

ANTIOCHIA.



MAP. ΩTAKIA. CEOYHPAN. CE. Caput Otaciliæ Severæ.
ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛΩN. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. E. Caput velatum & turritum, in vertice Aries.

Antiochenſes Syriæ non modò Philippo nummos percuſſerunt, ſed etiam Otaciliæ Auguſtæ ejus uxori, & quidem utrique frequentes ſunt, quòd Priſcus Imperatoris frater, Syriæ præeſſet, & Antiochiæ moraretur, cùm ipſa Syriæ eſſet Metropolis, & præſidium Rectoris, ſedes ac domicilium. Porrò Antiochia in nummo Metropolis titulum ſibi aſſerit ante Coloniæ appellationem, quia Metropolis dignitatem ante Coloniæ fundationem obtinuerat; ipſa namque plurimarum urbium Metropolis jam ſub Hadriano appellatur apud Lampridium in ejus vita: *Antiochenſes inter hæc ita odio habuit, ut Syriam à Phœnicia ſeparare voluerit, ne tot civitatum Metropolis Antiochia diceretur.* Hanc verò Metropoleos dignitatem Sept. Severus ab hac urbe ad Laodiceam tranſtulerat, ſed Caracalla ejus filius eam ipſi reſtituit, ac præterea Coloniæ titulo Antiochiam auxit, ideo Metropolis antè facta, quàm Colonia conſtituta, hunc titulum præmittit. Caput turritum, Genius eſt urbis, nec Leo ſub ejus capite, ut protulit Triſtanus tom. 2. pag. 225. ſed Aries eſt, ſub cujus ſigno Antiochenſes annum inchoare tradidimus. Notæ S. C. & Δ. E. non ad Imperatorem, ut putat idem auctor, ſed ad urbem ſpectant, ut paſſim diximus.

In Theſauro Mauroceno pag. 138. in hoc nummo pro KOMαγήνης lege KOΛωνίας. Antiochia non eſt Metropolis Comagenes, ſed Samoſata.

Hic nummus primæ & ſecundæ magnitudinis non vulgaris, primæ quidem à Triſtano tom. 2. pag. 568. ſecundæ verò à Patino pag. 380. editus.



MAP. OTAKIΛΛAN. CEB. Caput Otaciliæ.
ΔHMAPX. EΞOYCIAC YΠAT. Γ. ANTIOXIA. S. C. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. Ὕπατος τρίτον. *Tribunitia poteſtate Conſul tertium Antiochia.* Aquila alis ſemiextenſis, roſtro coronam,

Similem typum, ſimilemque epigraphen in Philippo vidimus, cùm hæc inſcriptio minimè Otaciliæ conveniat, Tribunitia enim poteſtas & Conſulis titulus ad Principem fœminam non ſpectant, id monetariorum incuriâ potiùs quàm ſcriptorum penuriâ factum arbitramur: frequenter autem epigraphen Imperatori aſcriptam, in nummis Auguſtarum & Cæſarum reperiri norunt Antiquarii. Hoc tamen notandum, quod inter nummos ſub Philippo ab Antiochenſibus ſignatos, alii ſolitam exhibeant inſcriptionem ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. S. C. Δ. Ε. alii verò novam & nudam ΑΝΤΙΟΧΙΑ. S. C. ſine nimirum Metropolis & Coloniæ titulo, an-ne hæc inſcriptionis diſtinctio ex duabus urbis, de qua ſæpe egimus, monetarii officinis oriretur, in quarum altera Syriæ Præfectus cum *Antiochenſium* appellatione nummos cælaret, in altera urbs ex facultate monetæ ſignandæ à Senatu ſibi conceſſa, *Antiochiæ* nomen inſcriberet.

Hic nummus ſecundi moduli, nec rarus nec obvius eſt.

D A C I A.



MARCIA OTACILIA SEVERA. Caput Otaciliæ Severæ.

PROVINCIA. DACIA. AN. I. in aliis AN. II. & AN. III. Mulier ſtans pileo & patrio veſtitu ornata, dextrâ gladium Dacicum, quem lituum exiſtimat Com. Mediobarbus p. 349. ſin. vexillum in quo D. F. *Dacia Felix*, pro pedibus hinc Aquila roſtro coronam, inde Leo. Diverſi ſunt ut in Philippo typi.

Daciam provinciam à Philippo liberam pronunciatam fuiſſe ſuprà diximus, quare illa Otaciliæ gratulabunda, numiſmata etiam ei conſecrat. Patinus pag. 385. ob hæc numiſmata Otaciliæ dicata, eam ex Dacia oriundam conjicit. Dacia autem ob libertatis acceptæ memoriam in nummis æram ſignat. Porro hæc libertas à Philippo conceſſa videtur, ut illa provincia quæ Barbarorum incurſionibus frequenter impeteretur, fortiter eos reprimeret, cùm jam privilegiis civium Romanorum gauderet: ſigna verò illa militaria, quæ præ manibus tenet Mulier provinciam repræſentans, nomina Legionum V. *Macedonicæ* & XIII. *Geminæ* exhibent, quarum Veterani in Colonias in Dacia ſub Trajano conſtitutas à Philippo tranſmiſſi ſunt, ut novi milites in Legionibus adſcripti, eas validiores ad provinciæ cuſtodiam redderent. Aquila, Romani Imperii inſigne eſt, quòd Dacia tanquam Romana facta præfert; Leo verò, ſolitum eſt provinciæ ſymbolum.

Hi typi ex omni modulo rariores ſunt quàm in Philippo, majoris quidem moduli à Triſtano tom. 2. pag. 564. ſecundi verò à Patino pag. 384. editus.

D A M A S C U S.



MAR. OTACIL. SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ Severæ.

COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Mulier turrita inſidet montibus, ante quam ſtat Silenus humeris utrem hircinum gerens, in vertice Pegaſus, in imo quinque mulieres turritæ ſacrificant ad aram.

Hic eſt nummus, quem Com. Mediobarbus pag. 349. ita profert. Venus ſedens, prope quam Cupido alatus, & quatuor figuræ ſtantes; hæc deſcriptio ad illum tranſmiſſa proculdubio videtur.

Damaſcus Cœleſyriæ Metropolis, Colonia à Philippo facta, Otaciliæ ejus uxori beneficii memor nummos dedicat. Figura muliebris urbem repræſentat, turrita eſt tanquam Metropolis, quam ita deſcribit Strabo l. 16. p. 756. Ἐστὶ δὲ καὶ Δαμασκὸς πόλις ἀξιόλογος σχεδὸν τι καὶ ἐπιφανεστάτη τῶν ταύτῃ κατὰ τὰ Περσικά. *Damaſcus urbs eſt inſignis, omnium ferè nobiliſſima, quæ in ea ſunt regione Perſis vicina.* Inſidet montibus, ipſius ſitum indicans, ad montis nimirùm Hermonis radices: cornucopiæ gerit, ad abundantiam in agro ſuo denotandam: ſupra ejus caput Pegaſus urbis inſigne; ante eam ſtat Silenus Damaſci cultus, ut in nummis Philippi diximus. In imo quinque illæ mulieres ad aram ſacra facien-

facientes, præcipuæ urbes Cœleſyriæ ſunt, quarum ipſa Metropolis eſt. Notandum autem hîc videtur urbes Metropoles in Imperio non eaſdem eſſe quas Eccleſia nominat, nam Damaſcus Cœleſyriæ in nummis Metropolis, Epiſcopalis verò in Not. Epiſcop. Græcorum ſub Emeſa Phœniciæ Libaniſiæ Metropoli collocatur.

Hic nummus in cimelio Exc. Ant. Capello Sen. Veneti, eximiæ raritatis & elegantiæ eſt.



M. OTAC. SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ Severæ.
COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Lupa cùm puerulis & labaro in quo LEG. VI. F. *Legio Sexta Ferrata.*

Superiora Philippi numiſmata illum quidem Damaſcum deduxiſſe Coloniam nos docuerunt: ſed hæc ad Otaciliam Auguſtam ſpectantia, ex qua Legione Veterani ab illo Imperatore Damaſcum tranſmiſſi fuerint, nobis denotant. Patinus in explicatione hujus nummi pag. 386. *Legio* VII. inquit, *vexillo inſcripta proculdubio Damaſci commorabatur; ſuæque fidelitatis hoc perhibet teſtimonium.* Legio VII. *Claudiana* nomine, hiberna Damaſci non agebat, ſed in Mœſia ſuperiore, ut Dio tradit lib. 5. pag. 564. Καὶ οἱ ἕβδομοι, οἱ ἐν τῇ Μυσίᾳ τῇ ἄνω. *Septima in Myſia ſuperiori.* Illius Veteranos Viminacium hujus provinciæ urbem Gordianus tranſmiſit, ut ex illius Imperatoris nummis vidimus. P. Harduinus rectè quidem gemellos cum Lupa deductæ à Romanis Coloniæ indices profert pag. 133. ſed addit: *In labaro deinde* LEG. VII. *quod argumentum eſt deductos eò milites ſeptimæ Legionis.* Non LEG. VII. at LEG. VI. F. *Legio Sexta Ferrata* legendum; amicus putat legi poſſe, *Legio Sexta Fidelis*, quòd ea frequens ſit Legionum appellatio: cùm autem duæ eſſent Legiones nomine *Sextæ*, altera *Victrix*, altera *Ferrata* nuncupata, littera F. *Ferrata* ad alterius Legionis diſtinctionem appoſita videtur, illa hiemare ſolita in Britannia inferiori, hæc in Judæa, teſte eodem Dione loco cit. Ἕκτοι δύο, ὧν τὸ μὲν, ἐν Βρεταννίᾳ τῇ κάτω, τὸ τῶν Νικηφόρων, τὸ δὲ ἐν Ἰουδαίᾳ, τὸ Σιδηροῦν τέτακται. *Sextæ duæ, una in inferiori Britannia, Victrix; altera in Judæa, Ferreæ vocabulo inſignis.* Philippus ob egregiam à Legione Sexta Ferrata operam in bello Perſico collatam, ejus Veteranos in Coloniam deduxit, ut animos militum à quibus Imperator poſt Gordianum occiſum proclamatus erat, demulceret.

Hic nummus ex omni modulo rarus, ſecundæ autem formæ à Patino pag. 384. editus eſt.



Eadem epigraphe, ſed caput Otaciliæ Lunæ creſcenti ſuperpoſitum.
COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Puer ſugens Damam, in imo caput Arietis.

Damaſceni ſimilem pueri Damam ſugentis typum in Philippi nummis, ad originem conditoris urbis ſuæ renovandam ſignarunt: Damaſcus quidem, ſi Stephano fides, ab Aſco gigante condita traditur; num quis à puero illo nomine Aſco, & à Dama nutrice urbem Damaſcum nominatam ſuſpicari poſſet? Porro varii hujus urbis conditores nomine *Damaſci* ab auctoribus recenſentur, quorum primus dicitur à Stephano Mercurii & Halimedæ Nymphæ filius, qui ex Arcadia in Syriam profectus, urbem ſui nominis extruxerit: alter apud eundem refertur ejuſdem urbis auctor, qui ob vineta ſecuri exciſa à Dionyſio excoriatus eſt: tertius à Juſtino lib. 36. qui urbem Syriæ nobiliſſimam Damaſcum memorat, à Damaſco Rege conditam & nominatam; ſed hi omnes *Damaſci* nomine percelebres à Dama nutriti eſſe potuerunt. Voſſius Not. ad Juſtin. lib. 36. inquit: *De appellatione autem hujus urbis, tantum à ſeſe abeunt Veteres, quantum à veritate.* Pinedo in Stephan. pag. 220. *Agit nunc de etymo urbis Damaſci, & quæ affert, ſunt ex Græcorum fermento confecta.... ejus conditor jacet in antiquitatis ſepulcro, etſi Joſephus, Uſen Arami filium eam condidiſſe ediſſerit.* Jam verò nummus Damaſci urbis conditorem à Dama nutritum exhibere videtur, ut in plurimis Coloniis Romulum & Remum à Lupa educatos obſervavimus; imo Cydoniatæ Cretenſes Miletum Apollinis & Acallidis filiæ Minois filium apud ſe natum, deinde expoſitum à matre, à lupa pariter alitum in nummis cælarunt, ut videre eſt apud Patinum pag. 50.

Hic nummus primæ magnitudinis rariſſimus eſt.



COL. DAMAS. METRO. *Colonia Damascus Metropolis.* In imo ΠΗΓΑΙ, *Fontes.* Templum quatuor columnis ornatum, in quo Silenus utrem hircinum humero lævo gerit, in imo arcus sub quo Fluvius imberbis decumbens, dextrâ ramum, lævo cubito urnæ innixo, sinistrâ cornucopiæ, hinc astrum, inde Luna crescens, à dextris arula.

Templum Sileni est, qui Damasci præcipuè cultus erat, ut nos docent frequentes ejus Coloniæ nummi, in quibus ille exhibetur. Figura fluvii decumbentis sub arcu, ad urbem spectat, locum repræsentat ubi amnis in fontes per totam urbem dividitur, ut Romæ fluviorum simulacra diversos aquarum ductus in urbem diffundere videntur: duo enim amnes ex Hermone monte defluunt, *Amana* mediam Damascum præterfluit, *Parpar* muros ejus alluit, de quibus Benjamin in Itin. pag. 96. *Nam eò etiam ex Hermone defluunt Amana & Parpar, adeo ut Amana in mediam urbem descendat, adeoque per ligneas aquæductus ad omnes magnatum ædes aquæ derivantur, necnon in plateas & fora.* Amana extra urbem in Parparem defluit, ideo Amana imberbis depingitur amnium more, qui in alios delabuntur, & uterque mixtus Chrysorrhoas dicitur, si Straboni fides, lib. 16. pag. 755. Τῶν δὲ ποταμῶν ὁ μὲν Χρυσοῤῥόας ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Δαμασκηνῶν πόλεως. *De amnibus Chrysorrhoas ab urbe & regione Damascenorum incipiens.* Effigies amnis cornucopiæ gerit, ad indicandam ortam ex ejus aquis abundantiam. Ara à dextris ad templum Sileni pertinet, supra quam huic Deo sacra fiebant. Astrum & Luna crescens, Solem & Lunam designant, ad quæ omnia tanquam præcipua numina Tyrii referebant. Liceat hîc nobis suspicari Pegasum ἀπὸ τῆς πηγῆς dictum, pro urbis insigni haberi, forsan quòd hæc urbs tota Πηγὴ esse videatur, & vox ΠΗΓΑΙ in hoc nummo scripta sit.

Hic nummus primæ magnitudinis, ab Octaviano Strada pag. 118. *editus, rarissimus & elegantissimus.*



COLONI. DAMASCO. METROPOL. *Colonia Damascos Metropolis.* Circa ambitum CEBACMIA in corona quercea; in imo caput Arietis.

Jam signatus est in Philippo hic à Damascenis nummus, quem ad certamina in Augusti honorem celebrata spectare diximus, illaque à Nicolao Damasceno instituta suspicati sumus, is enim Augusti studiosissimus erat, multamque pecuniam quam ab amicis comparaverat, facilè impendebat, ut de semet ipse testatur. Ὅτι ᾐτιῶντό τινες τὸν Νικόλαον πλεῖστα χρήματα παρὰ φίλων λαβόντα οὐ σώζειν αὐτά. *Erant qui Nicolao objicerent, quòd cùm magnam pecuniæ vim ab amicis dono accepisset, eam tamen minimè custodiebat.* Herodis Magni Judææ Regis primus minister fuit, & ad Augustum Orator ab eo Romam missus, ubi eloquentiâ suâ Regem Imperatori reconciliavit, teste Josepho l. 16. c. 16. Καὶ πέρας εἰς τοῦτο κατέστη Καίσαρ, ὡς τοῦ μὲν Συλλαίου καταψηφίσαι θάνατον. Ἡρώδῃ δὲ διαλλάττεσθαι. *Ad ultimum eò res devenit, ut Cæsar damnato capitis Syllæo, Herodem in gratiam receperit.* Athenæus l. 15. c. 16. Nicolaum Damascenum Augusti amicum appellat: nil mirum igitur si in patria sua ad Augusti honorem ludos instituerit, etsi conjicere liceat Actiacos, quorum præmium foret corona quercea Augusto ob cives servatos decreta. Caput Arietis, annum sub hoc signo à Damascenis inchoatum indicat.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rarissimos collocandus.

DEULTUM.



M. OTAC. SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ Severæ.
COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Salus ſtans, dextrâ ſerpentem, lævâ pateram in qua draco depaſcitur.

Deultum urbs Thraciæ, Colonia à Veſpaſiano conſtituta eſt, cùm ille Imperator hanc provinciam feciſſet Romanam, teſte Suetonio in Veſpaſiani vita: *Item Thraciam, Ciliciam & Comagenam ditionis Regiæ uſque ad id tempus, in provinciarum formam redegit.* Suetonio adſtipulari videtur Euſtathius in Dionyſ. de Orb. deſcript. pag. 94. *Veteres tamen Veſpaſianum Thraciam ab Europa disjunxiſſe tradidere.* Deinde pag. 110. inquit: *Quam propter excellentiam regionis Veſpaſianus ſibi propriam fecit, ut prædictum eſt.* Porro plurimi exiſtimant in Suetonio legendum eſſe Tracheam Ciliciam & Comagenem, quòd Antiochus Rex Comagenes Tracheam etiam Ciliciam habuerit, ut innuit Sex. Aur. Victor in ejus vita: *Syria ſeu Palæſtina, necnon Cilicia Trachea, & Commagene provincius acceſſere.* Sed Eutropius lib. 7. utramque provinciam commemorat: *Item Thraciam, Ciliciam Tracheam, & Commagenem, quæ ſub amicis Regibus erant, in provinciam redegit.* Deultani in Philippo Æſculapium, in Otacilia verò Hygeiam ejus Dei filiam cælarunt, ut utrique ſacra pro Imperatoris & Auguſtæ ſalute ſe feciſſe denotarent.

Hic nummus ſecundæ formæ inter rariores numerandus.

HELIOPOLIS.



OTACILIA SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ Severæ.
COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Auguſta Felix Heliopolis* vel *Heliopolitana.* Mulier ſtans ſub Fortunæ effigie, duæ icunculæ viriles pro pedibus ejus hinc & inde vexillum gerunt, duæ verò mulieres cippo impoſitæ velum ſupra caput Fortunæ volitans manibus retinent.

Heliopolitani Cœleſyriæ Philippi ſtudioſi, eundem nummi typum Otaciliæ quem Imperatori percuſſerunt. Mulierem ſtantem, urbis Genium ſeu tutelarem Deam cum Fortunæ attributis repræſentare diximus; icunculas juxta ipſius pedes, ad Veteranorum Genios, vexilla ad Coloniæ originem denotandam gerentes retulimus; mulieres denique cippo impoſitas, velum ſub ejus capite volitans detinentes, ipſius Deæ Sacerdotes augurati ſumus. Lucianus Junoni ſacram eſſe Heliopolim narrat, in qua Deæ Miniſtri poſtquam ſe exſecuiſſent, muliebres veſtes gerebant. Καὶ Ἥρῃ χαριζόμενοι τέμνονται δι᾽ ὧν ἐσθῆτα ἣ οἵδε οὐκ ἔτι ἀνδρηΐην ἔχουσι, ἀλλὰ καὶ εἵματά τε γυναικήϊα φορέουσι, καὶ ἔργα γυναικῶν ἐπιτελέουσι. *Junoni gratificantes quare caſtrantur, nec virilem veſtitum amplius habent, ſed & veſtes muliebres gerunt, & muliebria opera conficiunt.* Amicus hîc Fortunam & non Junonem repræſentari objicit, ſed Antiqui Junonem pro Terra colebant, audiatque Varronem: *Juno vocatur Jovis conjux, & is Cælum, hæc Terra, quæ eadem Tellus.* An ne melius effingi poteſt Terra quàm ſub forma mulieris dextrâ temonem, ſiniſtrâ cornucopiæ gerentis? temone quidem maris poteſtas, cornucopiæ verò terræ abundantia deſignatur.

Hic nummus primæ magnitudinis pro rariſſimo computandus.



COL. HEL. *Colonia Heliopolis.* In imo. I. O. M. H. *Jovi Optimo Maximo Heliopolitano.* Templum plurimis columnis ornatum, ante gradus arula.

Hoc templum Jovi dicatum indicat ejus inſcriptio, *Jovi Optimo Maximo Heliopolitano:* Jupiter autem Optimus Maximus cognominatus eſt, quòd velit & poſſit omnibus prodeſſe. Cicero eum Optimum quidem antequam Maximum narrat, quia majus eſt certè, gratiuſque prodeſſe, quàm magnas opes habere: ſed Jovem Optimum Maximum eundem eſſe Romæ ac Capitolinum quidam putarunt, quem forſan Romani, cùm Coloni Heliopolim veniſſent, de urbis nomine *Heliopolitanum* appellarunt. Porro Jovem Capitolinum etiam apud Græcos cultum tradit Pauſanias in Corinth. imò Antiochiæ magnificum ejus fuiſſe templum Livius refert lib. 1. Decad. 5. *Et Antiochiæ,*

chiæ, Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantùm, ſed parietibus totis lamina inauratum. Qua verò de cauſa hoc templum in averſa Philippi & Otaciliæ nummorum parte ab Heliopolitanis ſculptum fuerit, indicat arula ante templum, ob ſacra Imperatori & Auguſtæ in hoc templo Jovi ab illis perpetrata.

Hic nummus primi & ſecundi moduli rarior eſt in Otacilia.

NEAPOLIS Samariæ.



M. OT. SEVERAE. AVG. M. C. *Marciæ Otaciliæ Severæ Auguſtæ Matri Caſtrorum.* Caput Otaciliæ ſupra falcatam Lunam impoſitum.

COL. SERG. NEAPOL. *Colonia Sergia Neapolis.* Colonus agit boves, in vertice mons cum templo.

Patinus hunc nummum vulgavit, & litteras M. C. inſcriptionis circa caput, *Matri Cæſaris* interpretatus eſt, ſed potiùs illæ de inſigni MATRI CASTRORVM titulo in Auguſtis fœminis obvio explicandæ videntur; eroſam etiam vir eruditus averſæ partis nummi epigraphen Berytenſi Coloniæ dubius tribuit, at mons Garizim, ad cujus radices erat condita Neapolis Samariæ, perpetuum hujus Coloniæ ſymbolum eſt; nummum autem hunc integrum vidimus. Vox SERG. in nummis Philippi SERGIA, SERGIANA, vel SERGIOPOLITANA à nobis propoſita eſt, quæ ſi *Sergianæ* vel *Sergionopolitanæ* explicatio non arrideat, *Sergia* forſan erit eligenda à nomine *Sergiæ tribus*, ex qua Romani Coloni Neapolim ſunt deducti : ex urbe vel ex tribubus Romanis deducebantur, at cùm Sergia eſſet tribus, cujus meminit Cicero in Vatinium, *Sergiam tribum præter Vatinium nemo unquam perdidit.* Pœdianus verò in Cornelianam : *Sergia & Quirina damnaverunt.* Ex ea forſan Coloni ſelecti ſunt, & Neapolim tranſmiſſi, unde Colonia *Sergia* pro *Flaviæ* appellatione quam à Veſpaſianis habuerat, appellata eſt.

Hic nummus mediocris, à Patino pag. 385. editus, pro rariſſimo notandus.

NESIBIS.



M. ΩTAK. CEOΥHPA. CEB. Caput Otaciliæ Severæ.

IOΥΛ. CEП. KOΛΩ. NECIBI. MET. Ἰȣλία Σεπτιμία Κολωνία Νέσιβι Μητρόπολις. Figura muliebris turrita & velata inſidens rupibus, dextrâ ſpicas, ſupra caput Aries.

Neſibis cùm inter Meſopotamiæ Metropoles à Philippo annumerata fuiſſet, Juliam ex Juliæ Philippi gentis appellatione ſe nuncupavit, quod manifeſtat Meſopotamiam Perſis à Philippo haud relictam fuiſſe, ut ſcribit Zonaras Ann. l. 2. Σπονδὰς δὲ πρὸς Σαπώρην θέμϑος τὸ τῶν Περσῶν βασιλεύοντα τὸ πρὸς Πέρσας κατελύσε πόλεμον παραχωρήσας αὐτοῖς Μεσοποταμίας καὶ Ἀρμενίας. *Cum Sapore Perſarum Rege pacem fecit, Meſopotamiâ & Armeniâ conceſſis.* Hanc autem Strabo ad montem Maſium collocat, ſed ille & Plutarchus in Lucullo Antiochiam Mygdoniam appellant, ideo Capitolinus de Antiochia Syriæ à Perſis capta ſub Gordiano loquens, de Antiochia Mygdonia, id eſt Neſibi, intelligendus videtur, cui adſtipulatur Pomponius Lætus : *Recuperatæ urbes, Antiochia quæ eſt Niſibis, & Carrhæ.* Illa ſpicas gerit, ad frumenti abundantiam in agro ſuo denotandam : duæ autem erant Meſopotamiæ partes, fertilis una ab Armeniæ montibus uſque ad amnem Chaboram, quæ à Strabone Meſopotamia felix vocatur, altera inculta & aſpera à Chabora Babyloniam uſque. Mulier inſidens rupibus, Genius eſt urbis, inſidet quidem monticulis, ad denotandum ipſius ſitum, quem ex ipſius urbis etymo probat ipſe Stephanus ex Uranio, Neſibis quippe aggerem ſignificat. Ὡς ὁ Οὐράνιος Νέσιβίς φησι, σημαίνει τῇ Φοινίκων φωνῇ λίθοι συγκείμενοι, συμφορητοί. *Ut autem Uranius, Neſibis, inquit, ſignificat Phœnicum linguâ, lapides congeſtos ſimul jacentes.*

Hic nummus mediocris formæ pro rariſſimo habendus.

TYRUS.



M. OTAC. SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ Severæ.
COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Aſtarte tutulata veſtitu ſolito ornata ſtans, dextram apponit trophæo, lævâ ſcipionem: à ſiniſtris Victoria cippo impoſita coronam ei porrigit, pro pedibus hinc Silenus, inde conchylium.

Tyrus Phœniciæ Colonia & Metropolis, quam Q. Curtius affirmat claritate & magnitudine ante omnes Syriæ Phœniciæque urbes ſuperaſſe, quo tempore obſeſſa eſt ab Alexandro, in ea autem eminebant templa ab Hiramo Rege condita, Agenorium puta & Jovis Olympii, & Aſtartes & Herculis, de quibus Joſephus contra Apion. l. 1. Tyrii igitur cùm nummos Otaciliæ dedicarent, Aſtarten præcipuè in iis cælarunt, Imperatrici videlicet alludentes tanquam tutelari urbis Deæ. Aſtarte verò non apponit manum trophæo, ob Philippi victorias de Perſis relatas, vel ob pacem cum iiſdem initam, ſed ſolenne eſt Tyri inſigne propter Colonias longè deductas, ut ſæpius diximus. Silenus pro pedibus Aſtartes, ſui etiam in hac urbe cultum indicat. Conchylium, ejuſdem eſt ſymbolum ob purpuræ inventionem, de qua Nonnus Dionyſ. 40.

Καὶ Τυρίης σκοπίαζε δεδευμένα φάρεα κόχλῳ.
Et Tyriæ conſpexit tincta veſtimenta concha.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariores computandus.



COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Dido ſtolata ſtans, dextrâ ſcipionem, lævâ ſceptrum, ante eam porta urbis ſupra quam figura virilis ſtructuræ incumbit, altera pro pedibus terram ligone aperit.

Tyrii Otaciliæ blandientes, Didonem Heroïnam ſuam Carthaginis arces extruentem in ejus nummis exhibent: forſan enim Auguſtæ beneficio reſtaurandorum murorum facultatem à Philippo obtinuerant. Didonem Beli Tyriorum Regis filiam fuiſſe, ipſamque Carthaginis arcem ædificaſſe nemo neſcit.

Belo nata fuit Tyriorum Principe, Dido	Virg. 1. Æn.
Sichæi conjux ſtruxit Carthaginis arces.	Ovid. in Ep.

Primum quidem *Eliſa* dicta eſt, quod nomen Phœnicè ſonat Divina Virago; deinde verò *Dido* nominata eſt, quaſi vaga ſeu erratica in Etymologico Magno, cùm è Phœnice Carthaginem appulit. Τῇ γὰρ Φοινίκων φωνῇ τὴν πλανῆτιν Διδὼ προσαγορεύουσι. *Phœnicum enim ſermone erraticam Didonem appellari.* In Phœnicia autem, Græca lingua non fuit in uſu ante Alexandrum Didone poſteriorem multis ſæculis. Vide quæ diximus in Elagabalo pag. 93. de ſimili typo.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter elegantiores aſcribendus.



COL. TYRO. METR. ACTIA ERACL. *Colonia Tyros Metropolis Actia Eraclia.* Menſa ſupra quam duo lebetes, ſub ea conchylium, hinc & inde ad latera palmæ ramus.

Plurima Tyri certamina fuere celebrata, Olympia ſcilicet, Heraclia, & Actia, de quibus in Caracalla pag. 49. & in Elagabalo pag. 93. egimus. Jupiter, Hercules, & Apollo urbis erant tutelares

telares Dii, & his omnibus certamina ſunt plurimis in locis inſtituta : Olympia, in Jovis Olympii honorem, juxta Olympiam Elidis civitatem : Pythia, Apollini ſacra, in memoriam Pythonis ſerpentis ab Apolline occiſi : eidem Actia in Actio Epiri promontorio, à quo Actius cognominabatur ; hæc fuiſſe vetuſtiſſima conſtat, utpote quorum & Callimachus meminerit, ſed ab Auguſto ſummo apparatu ob Antonium in eo tractu devictum reſtaurata ſunt. Heraclia Herculi non modò ab Athenienſibus, Sicyoniis, Ambraciotis, Thisbitis, celebrata ſunt, ſed à Thebanis, ut habet Scholiaſtes Pindari Olymp. Od. 7. Ἐν ᾗ Θήβαις τὰ Ἡράκλεια. *Thebis autem Heraclea.* Imo à Tyriis Herculi quarto quoque anno ludos, ac certamina dedicata, ſacræ Macchabæorum Hiſtoriæ nos monent l. 2. c. 4. *Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Rex præſens eſſet, miſit Jaſon ab Jeroſolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in ſacrificium Herculis.* Duo lebetes, duo certamina ſub Philippo celebrata, Herculea quidem & Actia, demonſtrant, quorum memoriam Tyrii in nummis Imperatoriæ familiæ conſignarunt, huncque Otaciliæ ſuperſtitem exhibemus. Palmæ rami, victorum præmia ſunt. Conchylium, Tyri perpetuum eſt ſymbolum.

Hic nummus primi moduli pro rariſſimo habendus eſt.

VIMINACIUM.



MAR. OTACIL. SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ Severæ.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mæſiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. X. *Anno decimo.* Mulier tunicata ſtans manibus infrà extenſis, hinc Bos, inde Leo.

Viminacium urbs Mœſiæ Superioris, Colonia à Gordiano deducta, de qua ſuprà abundè ut de ipſius typo dictum eſt, nummos Otaciliæ dedicat cum nota anni decimi à Coloniæ deductione, quod incidit in ultimum Imperii Philippi ipſius conjugis annum, ſi quidem ſex annos ille regnaverit, & Viminacii ſub primo ejus Imperii anno, quintum Coloniæ annum in nummis ſignarunt. P. Harduinus pag. 517. hanc Coloniæ æram in Philippi conjuge obſervatam agnoſcit, ſed deluſus nummis cum inſcriptione an. III. & IIII. in marito à Com. Mediobarbo pag. 347. allatis, ad ipſius Imperii annos revocat.

Hic nummus mediocris formæ inter rariores aſcribendus.



M. JUL.

M. JUL. PHILIPPUS JUNIOR.





PHILIPPUS JUNIOR septennis videtur fuisse, cùm ejus pater Imperium arripuit, & ab illo mox *Cæsar* renuntiatus est. Senatus Romanus ipsi NOBILISSIMI titulum etiamsi aliis jam Cæsaribus datum, nondum tamen publico ære signatum, concessit, ut patris Arabis forsan ignobilitatem tegeret. Præcipui autem nobiles Romæ juxta Ant. Augustini mentem existimabantur, qui à Trojanis descenderent: Philippus autem cùm ex Julia gente diceretur, ita se ab Anchise originem habere jactabat. Philippus Imperii consors à patre factus est, quo tempore pater contra Carpos profectus est, non verò cùm ex Syria Romam veniret, uti narrat Zonaras; sed infelix filius post patrem in bello contra Decium Veronæ à militibus suis occisum, duodecim annos natus Romæ in gremio matris interfectus fuit.

PHILIPPI JUNIORIS *nummi ex medio & minimo modulo rari, sed ex majore rarissimi, si Antiochenos excipias.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟΙ CΕΒ. Effigies Philipporum adversæ, caput patris laureatum, caput filii radiatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. Caput velatum & turritum, Aries in vertice.

Antiochenses Syriæ plurimos Philippo patri nummos cuderunt; sed hunc ambobus Philippis gratulantes dedicasse videntur, cùm patrem Imperii consortem filium fecisse accepissent, ut tradit Aur. Victor de Cæss. *Philippus Arabs Thraconites sumpto in consortium Philippo filio.* Ideo ambo CEBACTOI *Imperatores*, in nummo recensentur; ambo coronâ insigniti, pater quidem laurea, filius verò radiis, tanquam alter Oriens. Caput muliebre urbem repræsentat, turribus ornatur tanquam Metropolis, quem titulum sub Regibus Seleucidis sibi asseruit, ut manifestant ipsius nummi hoc tempore percussi, in quo ex una parte caput Jovis, & in altera ipse sedens cum epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΗΚΣ. id est anno 228. ærâ à condita urbe desumptâ. Hanc verò Metropoleos dignitatem post Syriam in provinciam redactam, ob *autonomiam* ipsi à Pompeio concessam, conservavit usque ad pugnam Actiacam, ut denotant ipsius etiam nummi cum epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΔΚ. an. 24. Ab hac autem pugna sub Augusto etsi novam æram computent Antiocheni, tamen usque ad Trajanum in ipsius nummis ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ inscriptionem non observavimus; hic forsan titulus ab Augusto ei ablatus, & à Trajano restitutus est, ut eundem à Severo ei postea sublatum, & Caracallæ interventu à Severo postea redditum narrat Herodianus.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro habendus.

CARTHAGO Africæ.

M. IVL. PHILIPPVS. CAES. Caput Philippi ſine laurea.
C. I. C. A. D. D. *Colonia Julia Carthago Antiqua. Decreto Decurionum.* Lupa cum puerulis.

Nummi pro moneta uſurpati poſt mortem unius Imperatoris, mox in honorem novi Auguſti ſignabantur, hoc etiam privilegio Auguſtæ & Cæſares gaudebant, ut nummi cum eorum effigie cuderentur. Carthaginenſes Africæ ſimul ac Philippum in Oriente Imperatorem proclamatum, & filium ejus Cæſarem ab illo deſignatum intellexerunt, utrique nummos percuſſerunt, præſertim cùm Philippi ex Julia familia eſſent oriundi, & Carthago Juliæ nomen haberet, Colonia autem à Julio Cæſare deducta eſt, ut narrat Plut. in ejus vitâ. Αὖθις ἀνελάμβανε τὸν δῆμον ἑστιάσεσι καὶ σιτηρεσίοις· τὸ δὲ στρατιωτικὸν, ἀποικίαις· ὧν ἐπιφανέσταται Καρχηδὼν καὶ Κόρινθος ἦσαν· αἷς καὶ πρότερον τὴν ἅλωσιν, καὶ τότε τὴν ἀνάληψιν ἅμα, ὡς κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀμφοτέραις γενέσθαι συνέτυχεν. *Populum iterum epulis & teſſeris annonariis delinivit, milites Coloniis deducendis, quarum fuerunt clariſſimæ Carthago & Corinthus: quibus & capi antè & tunc inſtaurari una eademque tempeſtate ambabus contigit.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo, Coloniarum Romanarum ſymbolum eſt.

P. Harduinus pag. 108. eandem inſcriptionem circa ſimilem in Caracalla typum C. I. C. A. D. D. *Colonia Julia Cæſar Auguſta Decreto Decurionum*, interpretatur, ſed ſuperior epigraphe quam rejicit, retinenda. *Colonia Carthago Antiqua.*

Hic nummus minimi moduli pro rariſſimo computandus.

C. I. C. A. A. P. *Colonia Julia Carthago Antiqua Auguſta Pia.* Triremis in qua figuræ, infra D. D. *Decreto Decurionum.*

Cùm ignarus quidam artifex hunc nummum eroſum reſarcire vellet, poſt primas quatuor litteras C. I. C. A. pro detrita A. ſubſtituit L. & poſt P. addidit A. ita ut in eo legatur C. I. A. L. P. A. quam epigraphen Lucas Holſtenius Not. in Stephan. pag. 156. ad Calpen Bithyniæ urbem, & Ill. Spanhemius Diſſ. 9. pag. 776. ad Calpen Hiſpaniæ oppidum revocarunt; ſed nummus ad Carthaginem pertinet, ut epigraphe integra circa ſimilem typum in Treboniano Gallo quem poſſidemus, denotat. Hæc Carthaginis nummi inſcriptio ſuperiore duabus litteris A. P. *Auguſta Pia* amplior eſt, ſed ſunt epitheta quæ ſibi facilè aſſerunt Coloniæ: porro magni ſunt momenti duæ ſubſequentes litteræ A. A. cùm litem dirimant inter eos qui priorem A. interpretabantur *Auguſta*, rejecta interpretatione *Antiqua*, quam Carthago Africæ aſſumit ad diſtinctionem à Carthagine Hiſpaniæ, quæ *Nova* inſcribitur. Triremis aut ſitum urbis ad mare, aut ejus in mari potentiam indicat.

Hic nummus minimæ formæ rariſſimus eſt.

COELLU.

M. IVL. PHILIP. CAE. Caput Philippi Junioris nudum.
AEL. MVNICIP. COEL. *Ælium Municipium Coellutanum.* Prora navis, deſuper cornucopiæ.

Coellu Municipium eſt Numidiæ, ſub nomine *Culli* in Itiner. Antonini Pii. Victoris Epiſc. Cullitenſis meminit collatio Carthaginenſis, hæc urbs Municipii dignitate donata videtur ab Hadriano,

driano, à quo gentis illius *Æliæ* nomen habet; inter nobiles Numidiæ civitates à Solino numeratur cap. 28. *Urbes*, inquit, *in ea quamplurimæ nobiles*, *sed Cirta eminet*, *dein Cullu purpurario fuco Tyriis velleribus comparata.* Purpuræ illius commercium urbem ad mare sitam indicat, ideo illa in nummis navis proram signare videtur, & cornucopiæ ad abundantiam rerum omnium quoad victum denotandam.

Hic nummus minimæ molis inter rariores reponendus.

DACIA.



M. IVL. PHILIPPVS CAES. Caput Philippi nudum.

PROVINCIA DACIA. AN. I. Mulier stans patrio vestitu, dextrâ signum militare in quo nota v. lævâ alterum in quo XIII. pro pedibus hinc Aquila, inde Leo. Diversi sunt typi.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi laureatum.

DACIA. AN. II. In aliis an. III. Typus ut suprà.

Dacia provincia à Philippo patre libera pronunciata, ut diximus in ipsius nummis, beneficii memor, Philippo Juniori nummos suos dedicat; sed notandum, Philippum filium Cæsarem nuncupari in iis qui annum primum pro æra notant, quod convenire nequit cum auctoribus qui ipsum Imperii consortem à patre factum asserunt, quo tempore Romam è Syria cum patre veniret, sed id tantùm denotat, Augustum illum fuisse appellatum anno Romæ millenario, quando ambo contra Carpos profecti sunt; in utriusque nummis Dacia annos tres numerat, quartum etiam in iis signasse suspicamur: ambo enim anno U. C. 1002. interfecti sunt, quo anno pariter quartum in Decii successoris nummis signatum observamus. Mulier stans, Dacia est provincia, vel Genius provinciæ, vexilla gerens, in quorum dexteriori nota v. in sinisteriori autem altera nimirum XIII, quæ nomina sunt Legionum in Dacia hiemantium, quarum Veteranos in hujus provinciæ Colonias dimissos augurati sumus. Aquila quidem Imperii symbolum est, Leo verò Daciæ insigne.

Hi nummi ex omni modulo rari sunt, sed ex majori inter præstantiores numerantur.

DAMASCUS.



M. IVL. PHILIPPVS CAES. Caput Philippi sine laurea.

COL. ΔAMAS. METROP. *Colonia Damascos Metropolis.* Puer nudus stans coronam porrigere videtur capiti mulieris turritæ.

Damascus Metropolis Cœlesyriæ, Colonia à Philippo Imperatore constituta, in beneficii monumentum Augusti de se bene meriti filio, Cæsari à patre declarato, nummos dedicat: sed quis esset in iis puer ille nudus, qui coronam urbis Genio porrigit, pronunciare aliquantulum dubitavimus; tandem cùm ab Asco puerulo quem Dama nutrivit, urbem *Damascum* nomen habuisse ex nummis eruerimus, hunc typum à Damascenis percussum ad originem etiam urbis suæ indicandam spectare existimamus. Puer ille, Ascus esse videtur, qui urbi à se conditæ coronam ob ampliatos muros porrigit, quod arguit caput illius turritum, cujus certè perexigua fuere primordia, ideo tanquam parvulus ille præfert coronam mulieri amplæ & turritæ, quæ ἀξιόλογος insignis, & ἐπιφανεστάτη clarissima, à Strabone vocata, tandem Metropolis effecta est.

Hic nummus secundi moduli, olim noster, inter rarissimos habendus.

DEULTUM.



M. IVL. PHILIPPVS CAES. Caput Philippi laureâ insigne.
C. F. P. D. *Colonia Flavia Pacensis Deultana.* Leo gradiens.

Deultum Thraciæ Colonia à Vespasiano constituta, ut Flaviæ gentis ejus nomen indicat, cur in nummis Leonem exhibeat, plurimas licèt in Philippo patre conjecturas proposuerimus, nobis tamen hîc novam addere liceat. Veterani Deultum Coloniam traducti, Leonem Legionis Flaviæ IIII. insigne in Legionis à fundatore suo conscriptæ memoriam in nummis repræsentare forsan voluerunt : illa autem Legio IIII. Flavia sub Alex. Severo hiemabat in Syria, teste Dione l. 55. p. 564. Οὐεσπασιανὸς τό τε δεύτερον τὸ Επικουρικὸν τὸ ἐν Παννονίᾳ τῇ κάτω, καὶ τὸ τέταρτον τὸ Φλαουΐειον, τὸ ἐν Συρίᾳ. *Vespasianus secundam Auxiliariam in Pannonia inferiori, quartam in Syria Flaviam.* Hæc sola ex omnibus Legionibus sub Gallieno superstitibus pro insigni Leonem gerit : hic autem Imperator nummos cum Legionum nominibus & earum typis, quos pro symbolo unaquæque in vexillis gerebat, percussit.

Hic nummus tertiæ formæ inter rariores habendus.

HELIOPOLIS *Syriæ.*



M. IVL. PHILIPPVS. CAES. Caput Philippi nudum.
COL. HEL. *Colonia Heliopolis*, seu *Heliopolitana.* Duæ Aquilæ Legionariæ in laurea.

Heliopolis urbs Cœlesyriæ plurimos Imperatori Philippo nummos ob bellum ab eo contra Persas confectum percussit, hunc etiam in lætitiæ monumentum Philippo ipsius filio, Cæsari ab eo appellato, consecrat, in eo duas Aquilas legionarias ad antiquitatem Coloniæ arguendam percussit. Heliopolim quidem Coloniam à Julio Cæsare constitutam jam antè diximus, ut *Juliæ* nomen denotat, *Augustæ* verò appellatio ab Augusto Veteranis frequentatam arguit : sed ex qua Legione Heliopolim illi fuerint transmissi, planè ignoraremus, ni insignis ille nuper Philippi Senioris nummus eorum nomina exhiberet. LEG. V. MACEDON. VIII. AVG. *Legiones Quintæ Macedonicæ, Octavæ Augustæ.* Quarum Legionum partem præclarus alter ex museo nostro Augusti nummus Berytum transmissam nos edocet, quod confirmat hic cum duabus aquilis legionariis typus, una quippe Aquila in Coloniarum nummis, Veteranos Legionis cujusdam in eas traductos indicat, at binæ Aquilæ, duarum Legionum emeritos in illas transmissos demonstrant.

Hic nummus mediæ & minimæ formæ rarus est & elegans.

NEAPOLIS *Samariæ.*



IMP. C. M. IVL. PHILIPPO. AVG. Caput Philippi Junioris laureatum.
COL. NEAPOL. NEOCORO. *Colonia Neapolis Neocoros.* Aquila alis expansis, supra quam mons, in cujus vertice templum, ex adverso Silenus dextram in altum attollit, humero lævo utrem hircinum gerit.

Neapolis Samariæ seu Syriæ Palæstinæ urbs, à Philippo Colonia constituta est, & Neocoros

facta,

facta, ut suprà diximus pag. 171. Sed cùm tota Neocororum cura vel circa sacras ædes vel circa ludos versaretur, nulli tamen Neapoleos nummi hanc epigraphen cum templis aut certaminum insignibus exhibuerunt: an verò Neapolitani sacra totius provinciæ communia pro salute Principis fecerint, quod etiam Neocororum munus erat, videant Eruditi. Silenus frequens occurrit in Neapolis Coloniæ nummis, tanquam in ea maximè cultus. Mons Garizim, solenne est urbis symbolum, ipsius situm ad ejus radices indicans. Prope Neapolim Patriarcham Abrahamum habitasse & altare condidisse tradunt Genesis 12. & Jacob Gen. 33. Quidam Aquilam alis expansis sub monte positam pro Romanorum insigni apponi volunt, alii putant eam Jovem indicare, cui templum supra montem Garizim erat dicatum.

Hic nummus secundi moduli pro rarissimo computandus.

VIMINACIUM.



M. IVL. PHILIPPVS CAES. Caput Philippi Junioris sine laurea.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mysiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. V. in aliis AN. VI. in aliis AN. VII. *Anno septimo.* Figura muliebris manibus expansis stat, inter Taurum à dextris, & Leonem à sinistris.


IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput Philippi Junioris radiatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mysiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. VIII. in aliis AN. VIIII. in aliis AN. X. *Anno decimo.* Typus idem.

Viminacium urbs Mysiæ superioris, Colonia à Gordiano constituta, annum quintum in nummis Philipporum percussit, postquam pater ejus Imperium arripuit, & filius à patre Cæsar factus est, quos deinceps annos usque ad decimum in quo ambo occisi sunt, in nummis suis signavit: hoc tamen observandum, quòd ea Colonia usque ad annum VII. Cæsaris titulum filio tribuerit, & ab anno VIII. Imperatoris nomen tantùm in reliquis scripserit; id autem denotat, Philippum non Imperii consortem filium declarasse, quando è Syria cum eo Romam contenderet, uti narrat Zonaras Ann. tom. 2. Ἐπανελθὼν οὖν ὁ Φίλιππος ἐγκρατὴς ἐγένετο τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἐν δὲ τῷ ἐπανιέναι, τὸν υἱὸν Φίλιππον κοινωνὸν τῆς βασιλείας προσείλετο. *Philippus ab expeditione reversus, Imperium Romanum occupavit, Philippo filio Imperii consorte in via ascito.* Sed istud anno tantùm Imperii ejus quarto, & U. C. 1000. factum est, ut demonstrant hi Viminacii Coloniæ nummi.

Hi nummi cum titulo Cæsaris rariores sunt quàm cum Imperatoris nomine.





P. CARVILIUS MARINUS.





MARINI *nummi eximiæ raritatis & præstantiæ sunt, cùm duos tantùm primæ magnitudinis cum eodem typo observaverimus, alterum tamen protulit Octavius Strada, quem iterum incidi curavimus.*

PHILIPPOPOLIS Arabiæ.

ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ. Caput Marini nudum, Aquilæ volanti superpositum.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ. S. C. Roma galeata insidens clypeo, lævâ hastam, dextrâ aquilam tenens, cui inter alas expansas impositæ sunt icunculæ duæ.

Eadem epigraphe. Roma galeata stans dextrâ pateram, sinistrâ hastam, in ima ejus parte clypeus.

Philippopolis urbs est gemina, una Thraciæ, Philippi Amyntæ Macedonum Regis filii opus, altera in Arabia ab Imperatore Philippo condita, teste Zonara Ann. 2. Καὶ πόλιν βασιλεύσας ἐπώνυμον ἑαυτῷ ἐδομήσατο, Φιλιππόπολιν ὀνομάσας αὐτήν. *Et cùm Imperium arripuit, urbe de nomine suo condidit, quam Philippopolim nominavit.* Thracica quidem Metropolis dignitate in nummis insignitur, Arabica verò Coloniæ titulum sibi assumit, quæ Marini consecrationem vulgavit, & non Thracica, ut contra Seguinum contendit Com. Mediobarbus pag. 352. Qua verò de causa Philippopolis Arabiæ hunc nummum in Marini memoriam percussit, non alia profectò videtur quàm Philippi fundatoris mandatum, ut Marinum videlicet Imperio dignum ob Scythas ab eo repulsos declararet, & in Decium contra fas Imperium arripientem, militum odium concitaret. Vide Seguinum pag. 183. & nostras in eum notas pag. 417. In priori quidem nummo Roma galeata sedet, ut in Philippi Senioris nummis, & Aquilam Imperii insigne gerit; sed inter alas impositi sunt ambo Philippi tanquam Imperatores: in posteriori verò eadem Roma, non autem Pallas, uti Seguinus & Mediobarbus volunt, pateram ad sacra Marino facienda gerit.

Uterque nummus primæ magnitudinis, eximiæ raritatis est & elegantiæ, prior à Seguino cælatus pag. 183. alter ab Octaviano Strada pag. 120.



CNEUS MESSIUS
QUINTUS TRAJANUS DECIUS.



Messius Imperator, ex gente Messia oriundus, Cnei prænomen tulit, & non Caii, ut refert P. Harduinus pag. 55. Quidam autem Trajani & Decii nomina ei ob virtutes adjecta existimant. Decium Colonias ob breve Imperii tempus deduxisse non egimus. Imperavit autem duos annos & menses aliquot. Goltzius in Thesauro nummos illius cum Trib. potestate II. & III. vulgavit, licèt nulli cum ejus dignitatis notis occurrant, quia Decius jus Tribunitiæ potestatis, quod Augustus sibi vindicaverat, arbitrio Senatus Populique Romani permiserat, teste Pomponio Læto, imò Censoriam dignitatem, jus quintæ relationis & proconsulare imperium etiam Senatui restituit.

Traiani Decii *nummi ex omni modulo observantur, primi quidem inter raros numerandi.*

ÆLIA CAPITOLINA.



IMP. C. MESS. QVIN. TRAIANVS. AVG. Caput Decii laureatum.
COL. AEL. CAP. COMM. P. F. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana Pia Felix.* In laurea.

Ælia Capitolina, aliàs Jerosolyma, ab Hadriano Imperatore funditus eversa, Colonia deinde facta, Ælia ab ejus gente dicta est, Capitolina verò à delubro Jovi Capitolino dicato, cujus meminit Dio lib. 69. pag. 793. Ἐς δὲ τὰ Ἱεροσόλυμα πόλιν αὐτοῦ ἀντὶ τῆς κατασκαφείσης οἰκίσαντος, ἣν καὶ Αἰλίαν Καπιτωλῖναν ὠνόμασε, καὶ ἐς τὸν τοῦ ναοῦ τοῦ θεοῦ τόπον, ναὸν τῷ Διὶ ἕτερον ἀντεγείραντος, πόλεμος οὔτε μικρὸς οὔτ᾽ ὀλιγοχρόνιος ἐκινήθη. *Cùm autem in urbem Ierosolymam quæ eversa fuerat, quamque Æliam Capitolinam appellavit, Coloniam deduxisset, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curavisset, magnum bellum & diuturnum moveri cœpit.* Hæc autem Colonia postea Commodianæ nomen ob solenne aliquod beneficium à Commodo Imperatore acceptum sibi assumpsit. Porrò Decio & ipsius filiis nummos percussit, ob ejus forsan in Syriam adventum, de quo mox infrà. Coronam ex lauro illi tanquam hostium victori dedicat.

Cùm D. Fitton Scotus, Mediceæ Gazæ Antiquarius, hujus nummi epigraphen paululum detritam assequi planè non potuisset, hanc catalogo prò vera substituit COL. AYP. KAP. KOMM. P. F. quam inscriptionem ab eo Florentiæ transcriptam interpretatus est Illust. Spanhemius Diss. 8. p. 727. *Colonia Aurelia Carrenorum Commagene Pia Felix.* Illam pariter ex eodem Antiquario acceperat Erud. Holstenius, quam Not. in Steph. p. 162. Carrhis Mesopotamiæ urbi etam attribuit; Carrhena quidem Colonia, *Aurelia* à Divis Fratribus appellata est: sed P. Harduinus pag. 116. exclamat: *Quanto nos felicius! Colonia Aurelia Carthago Commodiana Pia Felix.* Omnes autem prava Fittonis inscriptione delusi sunt. Quàm igitur necessaria est nummorum inspectio, & in iis explicandis sagacitas, & quàm pauca fides illis adhibenda, qui per nummorum descriptiones ex museis Antiquariorum transmissas, eorum interpretationes aggrediuntur.

Hic nummus primæ magnitudinis pro rarissimo habendus.

ANTIOCHIA Pisidiæ.



IMP. CAES. TRAIAN. DECIVS. A. Caput Decii laureatum.

COLON. ANTIOCH. *Colonia Antiochia.* In imo, S. R. Aquila supra vexillum inter duo signa militaria.

Cùm multiplex sit Antiochia, cuinam tribuendus sit nummus, dubius hæret Patinus pag. 391. & aliquam hujus nominis urbem circa Danubii ripam quærit, at duæ tantùm Romanorum Coloniæ factæ sunt, una in Pisidia, ab Augusto deducta; altera in Syria, à Caracalla constituta, illa ut jure Italico insignis suos cum epigraphe Latina nummos inscribit, teste Paulo lib. 2. de Censibus: *In Pisidia ejusdem juris est Colonia Antiochensium.* Syriaca nummos Græcè tantùm scribere videtur, quod tributorum remissione donata, jus Italicum forsan non habuerit, de qua Paulus ibid. *Divus Antoninus Antiochenses Colonos fecit salvis tributis.* Divus ille Antoninus Caracalla est, & non Antoninus, ut quidam voluerunt, si quidem idem Jurisconsultus Severum patrem & Caracallam filium paulo antè Divos appellet. Nummus Veteranos in Pisidicam ab Augusto transmissos nos edocet, cùm ejus rei memoriam in Decio Imperatore renovat: cujus autem Legionis fuerint illi, adhuc incompertum est, amplior forsan nummus indicabit.

Hic nummus secundi moduli pro raro habendus.

ANTIOCHIA Syriæ.



ANT. K. Γ. MEC. TPAIANOC. CEB. Caput Decii laureatum.

ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛΩN. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. E. Apollo muliebri vestitu ornatus, stans, dextrâ pateram, sinistrâ lyram.

Antiochia Syriæ, Metropolis & Coloniæ titulis insignita in nummis inscribitur; Metropolis quidem nomen sub Regibus suis jam acceperat, Coloniæ verò dignitatem ab Antonino Caracalla recepit, nummos Trajano illa Decio dedicare videtur, ob Imperatoris in urbem suam adventum, cujus meminit Dio Chrysostomus in Orat. pro Juventio & Maximo Martyr. ubi narrat Decium Babylam Antiochensem Præsulem occidi jussisse, cùm ille plurimùm in Christianos desæviret. Ipsius Babylæ Antiocheni Antistitis martyrium passi meminit Eusebius in Chronico. Apollo sui cultum Antiochiæ indicat, celeberrimum ejus erat apud Daphen in suburbio templum, quod incensum sub Juliano narrat Ammianus lib. 21. *Eodem tempore die* XI. *Cal. Novembrium amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus Rex ille condidit iracundus & sævus, & simulacrum in eo Jovis, subita vi exustum est.*

Hic nummus secundæ magnitudinis rarus est.



ATT. K. Γ. ME. KT. TPAIANOC ΔEKIOC. CEB. Caput Trajani laureatum.

ANTIOXEΩN MHTPO. KOΛΩN. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. E. Caput turritum & velatum, in vertice Aries.

Antio-

Antiocheni plurimos Decio percusserunt nummos, cùm is in Syriam venisset contra L. Priscum, qui post fratris Philippi mortem Imperium arripuerat, quod indicare videtur Aur. Victor in Decii vita dum narrat. *Simulque per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas* (id est Syromacedonas) *Præsidiatu regebat, delata dominatio.* Confusa videntur reliqua. *Qua causa Decio, quam potuit maturrimè Roma digresso, &c.* Sed L. Priscus procerum conjuratione cæsus est, fortè cùm intelligerent Decium in provinciam contendere, ut idem Victor tradit. *Verum utrique mox cæsi: cùm Priscum nobilitas hostem patriæ censuisset.* Zosimus eum omnibus intolerabilem fuisse tradit, ἀφόρητον ἅπασιν εἶναι. Caput muliebre turritum, Genius est urbis; Aries in vertice nummi, Antiochenses annum sub hoc signo inchoare denotat.

Hic nummus primi moduli in hoc Imperatore rarus est.



ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛΩN. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. S. C. Δ. E. Templum quatuor columnis ornatum, in quo mulier insidens rupibus, dextrâ spicas gerit, pro ejus pedibus fluvius emergens.

Mulier insidens rupibus, Antiochiæ urbis Genius est in aditu templi, quod illi exstructum memorat Ammianus lib. 22. *Reversus ex comitatu Principis, quùm transiret per speciosum Genii templum.* Mulier quidem rupibus insidet, ad indicandum ejus in clivo montis Silpii situm, ut tradit Eustathius in Dionys. de situ Orbis. *Ea verò juxta Silpium montem est sita.* Eustathio adstipulatur Joannes Malela Antiochenus in Chronico inedito, de origine urbis suæ. Illa spicas gerit, ad denotandam earum in agro abundantiam, de qua urbe Ammianus lib. 14. *Antiochia mundo cognita civitas cui, non certaverit alia advectitiis ita adfluere copiis & internis.* Figura fluvii brachia distendens, Orontes, de quo Dionysius Alex.

Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην κατασύρεται ὑγρὸς Ορόντης,
Ἄσπετος, Αντιόχοιο μέσην διὰ γαῖαν ὀρίζων.
Ab hac autem ad Orientem delabitur liquidus Orontes,
Vastus, Antiochi mediam regionem persecans.

Hic nummus majoris formæ rarus est & elegans.



ΔHMAP. EΞOYCIAC. Δημαρχικῆς Εξουσίας. In imo S. C. Aquila alis expansis insistit palmæ ramo; rostro coronam gerit.

Quamvis hic nummus Antiochiæ nomen non præferat, ad eam tamen pertinere nos edocet non modo Aquila rostro coronam gerens, quam in Philippi nummis in hac urbe cum ejus nomine observavimus; sed nota S. C. & Δημαρχικῆς Εξουσίας epigraphe in iis frequens, duas esse pro moneta cudenda Antiochiæ officinas indicat, unam scilicet pro provinciæ Præside, alteram pro urbe, ob privilegium à Senatu ipsi concessum eo tempore quo Syria in provinciam Romanam redacta est: illa in nummis ANTIOXEΩN inscriptionem exhibere solet, hæc ANTIOXIA vel MON. VRB. & sæpius notas S. C. Δ. E. sine urbis nomine. Antiochiæ monetæ Præfecti meminit Ammianus lib. 22. *Cumque eo Dracontius monetæ præpositus, & Diodorus quidam veluti comes, injectis per crura funibus, simul exanimati sunt.* Aquila solitum Imperii Romani symbolum est, unguibus palmæ insistit, victoriarum Decii augurium.

Hic nummus secundi moduli obvius & tritus.

CÆSAREA *Palæstinæ.*



IMP. CAES. TRAI. DECIVS. P. F. AVG. Caput Trajani Decii laureatum.
COL. PR. F. AVG. CAES. METR. P. S. P. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstinæ.* Imperator radiato capite in equo decurrens, dextrâ hastam.

Cæsarea Palæstinæ urbs, Colonia à Vespasiano deducta, nomen Flaviæ gentis tulit, & *Prima* quidem dicta est, quòd Judææ caput esset, ut tradit Tacitus Hist. lib. 2. *Discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream, illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* Primùm illa Metropolis in nummis Alex. Severi inscripta est, ideo eam Metropolim ab hoc Imperatore factam diximus, præsertim cùm Sept. Severus, Caracalla & Elagabalus plurimas in his tractibus Metropoles constituissent; in hoc autem Decii nummo Cæsarea inscribitur METR. P. S. P. quas quidem notas, *Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstinæ*, interpretati sumus. Ammianus autem lib. 14. inter Syriæ provincias Palæstinam collocat, & Cæsaream primam illius urbem nominat. *Ultima Syriarum est Palæstina, per intervalla magna potentia, cultis abundans terris & nitidis, & civitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim velut ad perpendiculum æmulas: Cæsaream, quam ad honorem Octaviani Principis exædificavit Herodes, & Eleutheropolim, & Neapolim, itidemque Ascalonem, Gazam, & Juliam, ævo superiore exstructas.* Cæsarea harum omnium urbium videtur fuisse Metropolis. Imperator decurrens in nummo Cæsariensium, profectionem Decii aliquam indicat; an illam quam contra L. Priscum in Syriam veniens suscepit, an verò expeditionem Gothicam, dijudicent Antiquarii.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rarissimos collocandus.



IMP. CAES. TRA. DECIVS. P. F. AVG. Caput Trajani Decii radiatum.
COL. PR. FL. AVG. CAES. P. S. P. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea Provinciæ Syriæ Palæstinæ.* Serapis stans dextram attollens, lævâ scipionem oblongum.

Serapis stans Cæsareæ sui cultum indicat, cujus caput modio insigne Cæsarienses in nummis Titi, Ant. Pii, M. Aurelii, L. Veri, Commodi, & Diadumeniani exhibuerunt. Macrobius Saturn. lib. 1. Serapidis fanum Alexandriæ extra muros exstructum narrat, quòd ipsi hostiæ mactarentur. *Nam quia nunquam fas fuit Ægyptiis pecudibus aut sanguine, sed precibus & thure solo placare Deos: his autem duobus advenis hostiæ erant ex more mactandæ: fana eorum extra pomœrium locaverunt, ut & illi sacrificii solemnis sibi cruore colerentur, nec tamen urbana templa morte pecudum polluerentur: nullum itaque Ægypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapidis fanum recepit.* Plutarchus De Isid. & Osirid. pag. 362. Serapin gaudium & lætitiam interpretatur. Ἐγὼ δὲ, εἰ μὲν Αἰγύπτιόν ἐστι, τοὔνομα τοῦ Σαράπιδος, εὐφροσύνην αὐτὸ δηλοῦν οἴομαι καὶ χαρμοσύνην, τεκμαιρόμενος ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα Σαίρει καλοῦσιν. *Ego autem, si quidem Ægyptia vox est Sarapis, gaudium ea & lætitia significari censeo: hoc adductus argumento, quòd Charmosyna, id est festum lætitiæ diem, Særei appellant Ægyptii.* Porrò Serapis hoc modo sæpius depingitur, dextram attollens quasi supremus Deus, ideo sceptrum tenere videtur, quòd Phylarchus apud Plutarchum innuere videtur. Σάραπις δὲ ὄνομα τοῦ τὸ πᾶν κοσμοῦντός ἐστι, παρὰ τὸ Σαίρειν, ὃ καλλύνειν τινὲς καὶ κοσμεῖν λέγουσι. *Cæterum Sarapin esse nomen ejus qui Universum ordinat atque ornat, quod voce Særein, quidam exprimunt.*

Hic nummus minimi moduli pro raro notandus.



COL. P. F. AV. CAES. METR. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea Metropolis.* Caput muliebre turritum.

Cæsarea Palæstinæ Metropolis plurimos Trajano Decio nummos percussit, an ob adventum Principis in Syriam, an ob aliquod beneficium ab hoc Imperatore urbi collatum, de hoc quidem silent Historici; frequentes porrò nummi alicui Augusto dicati, beneficii collati, vel immunitatis acceptæ, ut plurimùm indices sunt. Caput muliebre turritum, primariæ urbis solenne est symbolum. Josephus autem Cæsaream pro maxima provinciæ civitate numerat de bel. Jud. lib. 3. cap. 28. p. 854. Κἀκεῖθεν εἰς τὴν παράλιον ἀφικνεῖται Καισάρειαν, μεγίστην τῆς τε Ἰουδαίας πόλιν καὶ τὸ πλέον ὑφ' Ἑλλήνων ἐποικουμένην. *Inde in loco maritimo Cæsaream pervenit, Judææ maximam civitatem, & quæ majorem incolarum partem Græcos haberet.* Nil mirum igitur si urbs tam ampla, Metropolis tandem effecta sit ab Alex. Severo, cùm antecessores ipsius Imperatores plurimas in his tractibus Metropoles & geminas quidem in eadem provincia constituerint.

Hic nummus minimæ formæ inter raros ascribendus.



IMP. CAES. TRAI. DECIVS. P. FEL. AVG. Caput Decii radiatum.
COL. PR. FL. AVG. CAES. MET. P. S. P. *Colonia Prima Flavia Augusta Cæsarea Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstinæ.* Caput muliebre tutulatum, in imo Aquila alis expansis.

Metropoles Orientis sub Genii forma repræsentari solebant, sæpeque in nummis pro urbis symbolo signabantur; testes sint Antiochiæ, Laodiceæ, Edessæ & aliarum hujus tractus urbium numismata. Aquila verò pro insigni Romano habetur, ita ut Cæsarea hîc se tanquam Metropolim, sed Romano Imperio subditam exhibeat. De Genio tutelari urbis Deo, ut de Aquila Romani Imperii symbolo, sæpius dictum est. Porrò notandum, Genium seu urbem turribus ornatam in Cæsareæ nummis sine velo exhiberi, ut in Laodicea observamus.

Hic nummus mediocris moduli pro raro numerandus.



COL. PR. F. AVG. F. CAESAR. METR. P. S. P. *Colonia Prima Flavia Augusta Felix Cæsarea Metropolis Provinciæ Syriæ Palæstinæ.* Duæ arbores super aram.

Duas illas arbores aræ impositas, ad aliquod vetus urbis factum revocassemus, quemadmodum in Corinthiorum nummis arborem super aram similiter positam, ad Penthei historiam retulimus: at in hoc Cæsareæ nummo non idem planè censuimus, si quidem antequam hæc urbs ab Herode Rege magnificè fuisset in Augusti memoriam exornata, & Cæsareæ nomine insignita, vix urbis appellationem mereretur, sed obscurum & vile turris nomen gereret, teste Josepho, apud quem *Stratonis Pyrgos* vocatur; verùm illas arbores palmam & laurum ad certamen in Augusti honorem ab eodem Principe institutum spectare suspicamur, de quo idem Josephus de Bel. Jud. l. cap. 16. p. 748. Καὶ πενταετηρικοὺς ἀγῶνας καταστησάμενος ὁμοίως ἐκάλεσεν ἀπὸ τοῦ Καίσαρος. *Et quinquennali certamine instituto, nomen ei Cæsaris donavit.* Ara signata est ob sacra ante ludos inchoandos, in cujus honorem ipsi erant instituti, perpetranda. Palma quidem arbor ei imposita est, ob ejus ramos victoribus pro præmio concessos; laurus autem, ob coronam quâ victor coronabatur. Actii autem erant illi ludi, summo ab Augusto apparatu instaurati, post quam Antonium & Cleopatram navali præ-

lio ante Actium ſuperaſſet : nam qui ab Herode inſtituti narrantur à Joſepho, πενταετηρικοὶ appellabantur. Actii quinto anno celebrabantur in Apollinis honorem, cui laurus erat conſecrata, ut innuit Plutarchus Sympoſ. lib. 8. quæſt. 4. p. 724. Σκόπει δὴ μὴ Πυθικόν ἐστι τὸ νικητήριον, ὡς Ἀμφικτυόνες κἀκεῖ πρῶτον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ Δάφνῃ καὶ Φοίνικι τοὺς νικῶντας ἐκόσμησαν. *Vide ergo an non hoc præmium ſit Pythicum, & Amphictyones Pythiis primùm victores in honorem Apollinis lauro ac palma coronaverint.*

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariſſimos collocandus.

DACIA.



IMP. C. M. Q. TRAIANVS. DECIVS. Caput Trajani Decii laureatum.

PROVINCIA DACIA. in imo AN. IIII. Mulier patrio veſtitu ornata, ſtans, utrâque ſignum militare, juxta eam hinc Aquila, inde Leo.

Provinciam Daciam in Philippo liberam ab hoc Imperatore factam diximus, in cujus memoriam annos in nummis computavit, ipſamet in Decii honorem, qui Imperium contra illum munificentiſſimum Auguſtum arripuerat, nummos dedicat, ſed cùm exercitus Illyricianus ſocordem Philippum agnoſceret, Marinum primò Imperatorem, & deinde Decium proclamavit adverſus Barbaros in Romanas provincias irrumpentes : provinciæ proximæ eundem motum ſequutæ ſunt, præſertim quia Decius è Pannonia Daciæ confini oriundus erat, Philippus verò Arabs & provinciis minimè gratus. Ad hæc Decius, tradente Zoſimo lib. 1. pag. 643. Φιλίππου πολιτικῇ τε ἀρετῇ καὶ πολεμικῇ πείρᾳ προήκων. *Civili virtute pariter, & uſu militari Philippum anteibat.* Ideo Senatus nummos Decio cum epigraphe GENIVS EXERCITVS ILLYRICIANI percuſſit, & provinciarum nomina quæ illum Imperatorem appellaverant, PANNONIAE & DACIA, imò DACIA FELIX in iis inſcripſit, quaſi hæc tanto Imperatore priſtinam felicitatem recuperaſſet, cùm facta eſt Romanorum provincia, de quo marmor apud Zamoſium.

IMP. CAES. DIVI. NERVAE TRAIANO HADRIANO
AVG. PONT. MAX. COS. III. P. P.
CVIVS VIRTVTE DACIA IMPERIO ADDITA FELIX EST.
M. ARRIVS. Q. R. COL. VLPIAE TRAI. SARMIZ
DEVOTVS. NVMINI. EIVS EX. VOTO. P.

Hic nummus primi & ſecundi moduli inter rariores habendus.



PROVINCIA DACIA. in imo AN. V. Mulier patrio ornatu ſtans, dextrâ gladium Dacicum, ſiniſtrâ labarum, pro pedibus hinc Aquila, inde Leo.

Dacia à libertate ſub Philippo ſibi conceſſa annos computare cœpit, & à primo uſque ad tertium pervenit, ſub Decio quartum & quintum ſignavit, ipſe enim biennio Imperium tantùm tenuit. De muliere ſeu Daciæ Genio, in Philippo dictum eſt ; gladium quidem gerit, quem ἅρπην vocat Clemens Alexand. Strom. lib. 1. & à Thracibus repertum tradit. Dionyſius Alex. Daciam vocat ingentem tellurem.

Δακῶν τ' ἄσπετος αἶα.
Et Dacorum ingens tellus.

Ad quem locum Euſtathius : *Aiunt præterea, illos & Dacos olim in tantum auctos fuiſſe, ut 200000. militum in exercitu haberent. Poſtea verò depreſſos, eò ferè perveniſſe, ut Romanis obedirent.* Illam tandem provinciam recuperavere Barbari, quam Aurelianus iis reliquit, civibus Romanis in Mœſiam tranſlatis, eamque Daciam Ripenſem appellavit.

Hic nummus mediocris formæ in rariorum numero recenſendus.

EDESSA.



ΑΥ. ΔΕΚΙΟϹ. ϹΕΒ. Caput Decii laureatum.
ΚΟΛ. ΕΔΕϹϹΑ. Κολωνία Ἔδεσσα. Caput velatum & turritum.

Edeſſa urbs eſt in Oſrhoënes regione, Colonia ab Antonino Caracalla facta, in qua mortuus eſt, teſte Eutropio lib. 8. *Defunctus eſt in Oſrhoëne apud Edeſſam.* Nummos quidem illa Decio dicavit in obſequii monumentum, cùm ille in Syriam venit contra Priſcum Philippi fratrem Imperatorem appellatum, de quo intelligendus videtur D. Cyprianus Ep. 52. Ad Antoninum de Decio ſcribens: *Cùm multò patientius & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum Principem, quam conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem*, id eſt S. Cornelium Papam, ut refert Com. Mediobarbus ex notis R. P. Noriſii. Sed Priſcus Macedonas Præſidiatu non regebat, ut tradit Aur. Victor, ſed potiùs Syromacedonas, teſte Zoſimo, ideo Decius in Syriam profectus eſt, ut narrat Dio Chryſoſtomus, ſicuti jam diximus. Hoc de Decio monendum, in nullis ipſius nummis Tribunitiam poteſtatem eſſe ſignatam, cujus cauſa eſſe videtur, quòd ille eam Senatus & populi arbitrio remiſerit, ſi Pomponio Læto fides: *Nec non & jus Tribunitiæ poteſtatis, quod Auguſtus primus ſibi perpetuò vendicaverat, arbitrio Senatus Populique Romani permiſit.*

Hic nummus minimi moduli inter rariores deſcribendus.

RHESAINA.



ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. Caput Decii radiatum.
ϹΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Σεπτιμία Κολωνία Ῥησαινησίων λυκάβαντος ϱιή. *Anno* 118. Colonus agens boves, in vertice Aquila inſiſtens palmæ ramo, roſtro coronam. In aliis Fluvius emergens.

Rheſaina urbs eſt Meſopotamiæ, juxta quam Gordianus Perſarum Regem vicit & profligavit, teſte Amm. Marcellino lib. 23. *apud Rheſainam ſuperato fugatoque Perſarum Rege.* Urbs Colonia facta eſt à Septimio Severo, ut nomen *Septimiæ* Severi gentis indicat, eodem tempore quo Neſibis hujus tractus etiam ab eo deducta eſt, cujus meminit Dio lib. 35. Καὶ νῦν μὲν ἡμετέρα ἐστὶ, καὶ ἄποικος ἡμῶν νομίζεται. *Atque hoc tempore noſtræ eſt ditionis, Coloniaque noſtra habetur.* De Rheſaina altum apud Scriptores ſilentium, ſed hæc monumenta Hiſtoriæ præclara ſunt ſupplementa: anni autem in nummo ſignati, ad Coloniæ ſub Severo deductionem non ſpectant, ad Hadriani enim principatum uſque aſcendunt, de quibus infrà. Coloni boves agentis typus, ad originem deductæ Coloniæ ſpectat, nec ejus inſtaurationem indicat, ut refert Eq. Patinus. Aquila, Imperii Romani inſigne eſt, quod exhibet Rheſaina tanquam Colonia Romana.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino p. 391. vulgatus, pro raro numerandus.



ϹΕΠ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ L. ΗΙΡ. Σεπτιμίων Ῥησαινησίων λυκάβαντος ϱιή. *Anno* 118. Mulier turrita inſidens ſcopulis quibus ſiniſtrâ innititur, dextrâ ſpicas, pro pedibus Fluvius emergens, in vertice Aquila roſtro coronam.

Rhesainâ modò se Septimiam Coloniam perhibet, utpote à Septimio Severo deductam, modò Rhesainesii se Septimios tantùm appellant, nomen à Coloniæ fundatore sibi vindicantes. Mulier insidens monticulis, Genius est urbis situm in clivo denotans, quem Masii montis esse suspicamur, ex quo defluit amnis Chaboras, ut indicat figura fluvii in nummo signata; nam apud Stephanum legitur Ρέσινα πόλις περὶ τὸν Ἀβορὸν ποταμόν. *Rhesina urbs circa Chaborum fluvium.* Ptolemæus lib. 5. c. 18. duas hujus aut vicini nominis in Mesopotamia Ρίσινα & Ρεσαίνα urbes collocat, quarum unam Bochartus part. 1. lib. 4. cap. 25. inter Edessam & montem Masium, alteram ad Chaboram sitam esse profert, sed hæ ambæ unam tantùm urbem efficiunt, quæ nostra esse videtur in clivo montis Masii, quam Chaboras fluvius alluit. Genius spicas, ad abundantiam frumenti in agro suo arguendam, tenet. De Aquila dictum est.

Hic nummus mediocris moduli inter raros collocandus.



CEΠ. KOΛ. PHCAINHCIΩN. L. HIP. Σεπτιμία Κολωνία Ρησαινησίων λυκάβαντος ρή. *Anno* 118. Mulier turrita stans dextrâ pateram, lævâ cornucopiæ, pro pedibus ara ex cujus imo prodit lauri ramus.

Figura muliebris urbem repræsentat seu urbis Genium, nec Isis est, ut tradit P. Harduinus pag. 420. nec Aquila eam coronat, ut putat Patinus pag. 391. Illa pateram dextrâ gerit super aram, ad arguendum se sacra pro Decio perpetrasse; unde victoria Deorum auxilio indicatur per palmam ex aræ imo exsurgentem. Genius cornucopiæ gerit, seu tanquam peculiare symbolum, vel omnium rerum abundantiam in territorio arguens. Notæ annorum in Decio L. HIP. 118. æram non deductæ à Sept. Severo Coloniæ, sed tributi ab Hadriano remissi indicant, de quo Spartianus in ejus vita: *A Mesopotamiis non exegit tributum quod Trajanus imposuit.* Hæc Hadriani liberalitas anno U. C. 886. concessa videtur, cùm ille in Syriam venit: additis igitur Coloniæ Rhesainæ annis 118. æræ urbis Romæ 886. efficient 1004. quo tempore Decius in Syriam pariter venisse videtur. Tristanus Rhesainesios ob sublatum à Decio Philippum Gordiani interfectorem, nummos ei cudisse existimat, sed potiùs quia Decius ipsis tributi remissionem ab Hadriano concessam confirmavit, cujus illi beneficii memores, Augustæ ejus uxori & Herennio filio plurimos etiam percusserunt, origine in iis hujus tributi remissi signata.

Hic nummus mediocris moduli, à Tristano tom. 2. pag. 588. & à Patino 391. editus, rarus est.



CEΠ. KOΛ. PHCAINHCIΩN L. HIP. Σεπτιμίας Κολωνίας Ρησαινησίων λυκάβαντος ρή. *Anno* 118. Duæ figuræ muliebres dextras jungunt super aram, dexterior quidem turrita est, pone quam trophæum; sinisterior verò galeata, pone quam Sagittarius: in vertice Aquila insistens palmæ ramo, rostro coronam.

Harum mulierum dexterior urbem repræsentat, de qua in nummo superiori dictum; sinisterior galeata, Pallas est, tutelaris Coloniæ Dea, cujus summus erat in urbe cultus, ut templum in Rhesainesiorum nummis arguit: jungunt quidem illæ manus super aram, ad concordiam earum in sacris pro Decio seu faciendis seu recipiendis denotandam. Trophæum pone urbem, ad limites imperii juxta Rhesainam designandos. Sagittarius in nummis Singaræ Coloniæ exhibetur, quem ad cives, utpote sagittandi peritos, retulimus, vel quòd illi sub hoc signo annum inchoarent; an non potiùs quòd Sagittarius ut præfert Gallieni nummus, Legionis primæ vel tertiæ Parthicæ in utraque Colonia hiemantis foret insigne, nam utraque ad Mesopotamiæ præsidium morabatur, & in Singaræ ipsius expugnatione primæ Legionis Parthicæ meminit Ammianus l. 21. *Tuebantur autem hanc civitatem Legiones duæ, prima Flavia, primaque Parthica.*

Hic nummus secundæ formæ, à Tristano tom. 2. pag. 588. & à Patino pag. 391. editus, pro raro notandus.



ΑΥΤ. ΚΑΙ. Γ. ΚΥ. ΜΕΚΙΟΣ ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟΣ. ΣΕΒ. Caput Decii laureatum.
ΣΕΠ. ΡΗΣΑΙΝΗΣΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Σεπτιμίων Ρησαινησίων. Λυκάβαντος ρι'η'. *Anno* 118. Templum distylum à latere, in cujus aditu Noctua, in imo Fluvius emergens.

Rhesainesii in hoc nummo, ut in superiori, non Colonorum titulum assumunt, sed se Septimios à Septimio Severo Coloniæ fundatore appellant; pro typo exhibent templum à latere, in quo Noctua est, quæ illud in Minervæ honorem ædificatum arguit, quòd avis illa hujus Deæ sacra fuerit, teste Fulgentio Mythol. lib. 2. *In hujus tutela Noctuam volunt, quòd sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat.* Minerva autem, tutelaris Rhesainæ Dea fuisse videtur, si quidem ipsa cum Genio in superiori nummo repræsentata est. Fluvius emergens, Chaboras est, ut jam diximus pag. 123. juxta quem sita erat urbs, ut tradit Stephanus : Ρέσινα πόλις περὶ τὸν Ἀβορὸν ποταμόν. *Rhesina urbs circa Chaborum fluvium.* Illum ex monte Masio proruere narrat Ptolemæus lib. 5. cap. 18.

Hic nummus minoris moduli, à Patino pag. 391. vulgatus, inter raros collocatur.



ΑΥΤ. Κ. Γ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟΣ. ΣΕΒ. Caput Decii laureatum.
ΣΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗΣΑΙΝΗΣΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Σεπτιμίας Κολωνίας Ρησαινησίων. Λυκάβαντος ρι'η'. *Anno* 118. Labarum: in quibusdam inscriptum est LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica.*

Labarum deductæ quidem per Veteranos Coloniæ symbolum est; sed cùm Legionis nomen describitur in labaro, illustrius id certè est Historiæ monumentum. Hic nummus exhibet LEG. III. GAL. ex qua milites emeriti in hanc Coloniam traducti sunt; porrò hæc Legio Tertia Gallica in Phœnicia hiberna agebat, ut tradit Dio 55. p. 564. Νῦν μὲν γὰρ ἐννεακαίδεκα ἐξ αὐτῶν μόνα διαμένει, τό, τε δεύτερον τὸ Αὐγούστειον, τὸ ἐν Βρεττανίᾳ τῇ ἄνω χειμάζον· καὶ τὰ τρία τὰ τρίτα, τό, τε ἐν Φοινίκῃ, τὸ Γαλατικόν. *Nostro tempore solæ* XIX. *restant : nempe secunda Legio Augusta, cujus in superiori Britannia sunt hyberna : tres tertiæ, una in Phœnicia, Gallica nomine.* Sept. Severus cùm Colonias deduxit, tertiæ Gallicæ Veteranos partim Tyrum, partim Rhesainam transmisisse nos docent nummi Coloniarum superstites : imò Philippum ipsius etiam Legionis Emeritos Damascum Colonos postea traduxisse. Legio Gallica, quòd tertia inter cæteras Alpinas Legiones à Julio Cæsare conscripta sit, nomen habuit.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 391. vulgatus, inter rariores collocandus.

VIMINACIUM.



IMP. TRAIANVS. DECIVS. AVG. Caput Decii laureatum.
P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ superioris Colonia Viminacium,* in imo AN. X. in aliis AN. XI. in aliis AN. XII. Mulier stans ambabus expansis, hinc Bos, inde Leo.

Viminacium provinciæ Mœsiæ superioris urbem, à Gordiano Coloniam fuisse factam, in eamque Veteranos septimæ Claudianæ & quartæ Scythicæ Legionum ab eo transmissos, suprà diximus,

mus, in cujus memoriam illa æræ ſuæ notas in nummis ſignavit, in Gordiano Coloniæ fundatore annos ad quintum uſque cælavit; in Philippo, à quinto uſque ad decimum, cùm ſex tantùm annos is imperaverit; in Decio annum X. XI. & XII. quòd non ſolùm anno deductæ Coloniæ decimo Philippum fuiſſe occiſum, & Decium Imperium obtinuiſſe arguit, ſed Decium biennio integro regnaſſe denotat.

Hi nummi ſecundæ magnitudinis reperiuntur, primus inter præſtantiores habendus; ſecundus, frequens; tertius rarus eſt.

PIO. ATQVE. INCLITO. DN. TRAIANO
NOBILISSIMO. AC. FORTISSIMO. ET.
FELICISSIMO. CAESARI.
SEPTIMIVS. ACYNDINVS. V. C. ET.
AGENS. PER. HISPANIAS. V. C. ET
VICE. SACRA. COGNOSCENS. NVMINI
MAIESTATIQVE. EIVS. SEMPER.
DICATISSIMVS.

Apud Gruterum pag. 273. 5.



HEREN-



HERENNIA ETRUSCILLA.




TRUSCILLAM filiam Decii olim creditam, pro ipsius conjuge primus asseruit Seguinus noster Epist. ad Oct. Falconerium, quem sequuti sunt recentiores Antiquarii excepto P. Harduino p. 516. qui illam Volusiani uxorem adhuc appellat. Princeps illa fœmina ex Herennia gente oriunda, Herennium Etruscum filium à Decio patre Cæsarem appellatum genuit, & ambobus superstes fuisse videtur cum Hostiliano genero, Herenniæ filiæ suæ marito, & Cæsare etiam appellato.

HERENNIÆ *nummi ex majori modulo rarissimi sunt, ex mediocri & minimo rari habentur.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΕΡΕΝΝΙΑ ΕΤΡΟΥΣΚΙΛΛΑ CΕΒ. Caput Herenniæ Etruscillæ.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. Ε. Templum tetrastylum, in quo figura turrita insidens scopulis cum fluvio pro pedibus, in vertice nummi Aries.

Antiochia Syriæ Metropolis & Colonia nummos Etruscillæ, ut & Decio ipsius marito percussit, quòd illa forsan eum, ut solebant Imperatorum conjuges, in expeditione contra L. Priscum comitata sit Antiochiam. Figura in templo, Genius est urbis insidens monticulis, quem sæpe sæpius in superioribus nummis cum fluvio emergente vidimus, sed hic nummus templi ipsius ichnographiam exhibet, cujus meminit Ammianus in vita Juliani lib. 23. p. 487. *Namque Calendis ipsis Januariis ascendente eo gradile Genii templum.* Fluvius, Orontes est Antiochiam urbem præterfluens, teste Plinio lib. 5. cap. 21. *Intus, ipsa Antiochia libera, Epidaphnes cognominata, Oronte amne dividitur.* Vox autem *Libera* valdè illustrat notas S. C. & Δ. Ε. Senatusconsultum & Plebiscitum significantes, quas ad αὐτονομίαν sibi à Pompeio concessam arguendam in nummis signavit, ut in Othone & in aliis Imperatoribus passim diximus.

Hic nummus majoris formæ rarissimus est.



ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑΣ. In imo S. C. Aquila palmæ insistens, rostro coronam gerit.

Similis in Decio nummus jam prodiit, quem ad Antiochiam Syriæ Metropolim spectare diximus ob S. C. notas monetæ cudendæ facultatem Antiochensibus à Senatu Romano concessam indicantes, quando Syria in provinciam Romanam redacta est. Pompeius quidem ipsis αὐτονομίαν dederat, sed non modò S. C. ad illam confirmandam, verùm etiam plebiscito opus fuerat, quod arguere videntur hæ notæ Δ. Ε. in iisdem nummis signari solitæ, quæ in hoc pro earum compendio,

integræ ferè explicantur Δημαρχικῆς Ἐξουσίας, nam Tribunitia poteſtas Principi fœminæ minimè tribui poteſt; ſed cùm pro plebiſcito notas non haberent Romani, his uſi ſunt Græci Δ. Ε. *Tribunitia poteſtate*, quòd, ut inquit A. Gellius lib. 15. cap. 27. Plebiſcita appellarentur, quæ Trib. pleb. ferentibus accepta eſſent. De Aquila paſſim dictum eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 402. obvius eſt.

CREMNA.



HEREN. ETRVSCILLA. AVG. Caput Herenniæ Etruſcillæ.

COL. IVL. AVG. FE. CREMNA. *Colonia Julia Auguſta Felix Cremna.* Aquila alis extenſis, in vertice tria capita, quorum medium coronâ radiatâ ornatum eſt.

Cremna urbs Piſidiæ in Pamphyliæ confinio, apud Ptolem. l. 5. cap. 5. Colonia ab eo, Κρέμνα Κολωνία, & à Strabone lib. 12. p. 569. perhibetur. Τὴν μὲν ἐν Κρήμναν Ῥωμαίων ἀποικοι ἔχουσιν. *Cremnam Colonia Romanorum occupavit.* Nummus eam per Juliæ nomen à Julio conſtitutam arguit, ab Auguſto verò per Auguſtæ appellationem Veteranis frequentatam denotat, quod ſigna militaria in Elagabalo pag. 79. confirmant. Tria capita in partis averſæ nummi vertice Etruſcillæ maritum, filium, & generum repræſentant, Decius quidem Imperator in medio coronâ inſignis eſt, Etruſcus patrem aſpicit, & paludamentum habet, quòd Auguſtus fuerit ab illo nominatus, forſan cùm Decius contra Gothos profectus eſt: Hoſtilianus verò tanquam Cæſar & gener pone Decium videtur collocatus. Aquila, Imperii Romani inſigne eſt, quod Coloniæ adinſtar urbis Romæ ſignabant.

Hic nummus primi moduli eximiæ raritatis & elegantiæ, olim in Muſeo Grimano Venetiis, nunc apud March. Melchiorem Teſta aſſervatur.

RHESAINA.



ΕΡΕΝΝΙΑΝ ΕΤΡΟΥΣΚΙΛΛΑΝ ΣΕΒ. Caput Herenniæ Etruſcillæ.

ΣΕΠ. ΡΗΣΑΙΝΗΣΙΩΝ. L. HIP. Σεπτιμίων Ῥησαινησίων. λυκάβαντος ριή. *Anno* 118. Mulier turrita inſidens rupibus, quibus lævâ innititur, dextrâ ſpicas, pro pedibus Fluvius.

Rheſaineſii Meſopotamiæ, quos Decio nummos cuderunt, eoſdem Etruſcillæ ejus conjugi dedicant, forſan quòd ejus commendatione Imperator ipſis confirmaverit tributi remiſſionem ab Hadriano conceſſam, à quo æram in nummis computant, & pro grati animi monumento in ipſis renovarunt. Mulier turrita, Genius eſt urbis; inſidet monticulis, ſitum in clivo Maſii montis denotans; ſpicas gerit, ad frumenti abundantiam in agro ſuo denotandam. Figura fluvii Chaboras eſt ex eodem monte Maſio defluens, cujus meminit Ptolemæus lib. 5. cap. 18.

Hic nummus mediocris formæ pro raro notandus.



ΕΡΕΝΝΙΑ ΕΤΡΟΥΣΚΙΛΛΑ. ΣΕΒ. Caput Etruſcillæ cum Luna creſcente circa humeros.

ΣΕΠ. ΡΗΣΑΙΝΗΣΙΩΝ. L. HIP. Σεπτιμίων Ῥησαινησίων, λυκάβαντος ριή. Colonus agens boves, in vertice Aquila roſtro coronam.

ΑΥΤ. Κ. Γ. Μ. Κ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟϹ. ϹΕΒ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑ ϹΕΒ. Capita Decii & Etruſcillæ adverſa, illud corona radiata inſigne, hoc verò Luna creſcente ornatum.

ϹΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Typus idem ac ſuprà.

Ille eſt nummus in Theſauro Regio reconditus, qui Etruſcillam pro uxore Decii áſſeruit ; ſimilem alterum Seren. Ducis Cænomanſium Gazæ addidimus, qui hujus rei veritatem confirmat. Rheſaineſii non modò cùm Decii & Etruſcillæ capite nummos ſeorſim cuderunt, ſed utriuſque effigies in eodem nummo cælarunt, in parte autem averſa typum Coloni boves agentis, ad originem Coloniæ à Sept. Severo deductæ indicandam appoſuere ; ſed æram Coloniæ fundatione vetuſtiorem ſignarunt, ob conceſſam ab Hadriano tributi remiſſionem, quam confirmaſſe videtur Decius ob frequentes nummos ipſi & ejus familiæ frequenter percuſſos. Aquila, ſolenne eſt Romanorum ſymbolum, quod Rheſaina tanquam ipſorum Colonia exhibet.

Uterque nummus ſecundæ magnitudinis, prior inter raros collocatur, poſterior verò à Seguino pag. 290. edit. 2. vulgatus, eximiæ raritatis eſt.



ΕΡΕΝΝΙΑΝ ΑΙΤΡΩϹΚΙΛΛΑΝ. ϹΕΒ. Caput Herenniæ Etruſcillæ.

ϹΕΠ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Σεπτιμίων Ρησαινησίων. Λυκάβαντος ελή. Templum diſtylum cum ſex columnis à latere, in cujus aditu Aquila, in imo figura fluvii natantis inſtar.

Novus & inſolens eſt hic Rheſainæ Coloniæ nummorum typus, qui Aquilam in templi aditu exhibet ; at cùm Noctuam in altero templo ab illa urbe ſignato Minervæ tribuant Antiquarii, Aquilam hanc ad Jovem ſpectare exiſtimamus, quandoquidem illa Jovi dicata ſit, Lactantio & Latino Arati interprete teſtibus. *Cùm Jupiter ex inſula Naxo contra Titanas proficiſceretur, & ſacrificium faceret in littore, Aquilam ad eam advolaſſe ferunt, auſpiciumque feciſſe. Hinc ergo victor, bono omine Aquilam acceptam tutelæ ſuæ Jupiter ſubjugavit.* Servius ait, quòd dimicanti Jovi contra Gigantes, fulmina miniſtrarit Aquila. Templum verò Jovis tanquam ſupremi numinis Minervæ fano amplius eſt, & pluribus fulcitur columnis : illud enim ſex habet à latere, alterum verò quatuor tantùm ornatur. De fluvio Chabora Rheſainam urbem alluente, ſæpius dictum eſt.

Hic nummus minoris formæ, in muſeo D. Dron Canon. Sancti Thomæ à Lupara, inter rariſſimos collocandus.



ΕΡΕΝΝΙΑ. ΕΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑ ϹΕΒ. Caput Herenniæ Etruſcillæ.

ϹΕΠ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. in aliis ϹΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗϹΑΙΝΗϹΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Templum diſtylum cum quatuor columnis à latere, in cujus aditu Noctua, in imo figura fluvii.

Jam prodiit hic templi typus cum Noctua, quam ad Minervam pertinere diximus, quòd avis illa ipſi ſacra ſit, tradente Phornuto de Nat. Deor. *Deinde dracones & ulula* (ſeu Noctua) *ob oculorum ſimilitudinem offeruntur Minervæ, cæſiis nimirum oculis exiſtenti.* Draco autem & Noctua acutiſſimum viſum habent, & quidam Minervam appellant Athrenam, ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν, id eſt, ab eo quod omnia perſpiciat. Noctua etiam ut plurimùm Minervæ comes datur, ſi Albricum audias de Deor. Imagin. *Juxta ſe habebat olivam viridem pictam : deſuper avem, quæ dicitur Noctua, volitantem.*

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter raros ponendus.



ΕΡΕΝΝΙΑΝ. ΩΣΤΡΑΣΚΛΛΛΑΝ. ΣΕΒ. Caput Herenniæ Etruſcillæ.

ΣΕΠ. ΡΗΣΑΙΝΗΣΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Σεπτιμίας Ρησαινησίων. Λυκάβαντος ϱλή. Aquila roſtro coronam, deſuper caput muliebre.

Aquila, etſi Jovis ales, ad eum tamen in hoc nummo non ſpectat, ſed pro inſigni Imperii Romani exhibetur: cur verò Aquila Romanorum ſit ſymbolum, ex Joſepho lib. 3. de bel. Jud. paſſim diximus, quòd illa univerſarum avium regnum habeat, & ſit validiſſima; itaque eam & principatus inſigne putarunt, & omen victoriæ, quoſcumque bello petierint; ideo Aquila in nummo coronam gerit, populum Romanum omnium gentium victorem denotans. Caput muliebre, Genius eſt urbis in nummis ſcalpi ſolitus, ſub cujus tutela res omnes ſuas eſſe illa exiſtimans, eum tanquam Deum venerabatur. Ejuſmodi ferè typus cum Aquila, & deſuper caput muliebre, in nummis Coloniæ Cæſareæ Palæſtinæ occurrit.

Hic nummus mediocris moduli in rariorum numero conſcribendus.

VIMINACIUM.



HER. ETRVSCILLA AVG. Caput Herenniæ Etruſcillæ.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœſiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. X. in aliis AN. XI. in aliis AN. XII. Mulier ſtans brachiis infrà expanſis, pro pedibus hinc Bos, inde Leo.

Viminacium Mœſiæ Superioris Coloniam à Gordiano conſtitutam ſæpius diximus, de qua multa etiam opportunè Triſtanus tom 2. pag. 558. ſed quem Erud. Spanhemius diſſ. 9. pag 876. annorum numeros in hujus Coloniæ nummis occurrentes, ad annos Imperii revocantem aut, de *Annonis* explicantem rectè arguit, & illos de annis deductæ ſub Gordiano explicandos monet, qui ab eo incipientes, ſub Philippo Decioque & eorum uxoribus continuarunt. Viminacii itaque eundem in Etruſcillæ nummis numerum, quem in Decio conjuge ſignarunt, & in utroque Coloniæ annus ad duodecimum tantùm protenditur, in quo Decius contra Gothos pugnans periit, nec annus XIIII. in Etruſcilla occurrit, quem affert P Harduinus pag. 516. ut hanc Auguſtam Decii filiam & Voluſiani uxorem adhuc appellare poſſet, quam omnes Antiquarii hodie pro Decii conjuge communi conſenſu agnoſcunt.

Hi nummi ſecundæ magnitudinis pro raro recenſentur; unus eorum typus ſine annorum notis à Patino pag. 401. vulgatus eſt.

IMP. CAES. C. MESSIVS.
Q. TRAIANVS DECIVS
INVICTVS PIVS FELIX AVG.
P. M. TRIB. P. COS. II. P. P. PROCOS
ET. Q. HERENNIVS ETRVSCVS
MESSIVS DECIVS CAESAR.

Exſcripſimus Florentiæ in Palatio.



Q. HER. ETRUSCUS MESSIUS DECIUS.



HERENNIUS Messius nomina familiarum patris & matris promiscuè tulit, Herenniæ quidem matris appellationem ante Decii nomen gessit, imò & *Quintus* patris cognomen, ipsi prænomen fuit. Cæsar post occisos Philippos, statim à patre renunciatus est, & tandem particeps Imperii ab eodem factus, cùm ambo contra Gothos profecti sunt, cujus rei testes sunt rarissimi ejus nummi cum Augusti & Imperatoris titulis.

Q. HERENNII *nummi ex omni modulo inter rariores numerandi, si Antiochenos primæ magnitudinis exceperis, qui pro raris tantùm habentur.*

ÆLIA CAPITOLINA.



AETRVSCVS ET QVINTVS CAESS. Capita radiata & jugata Herennii & Hostiliani.

COL. AEL. KAP. COMM. *Colonia Ælia Kapitolina Commodiana.* Figura militari habitu dextram elevans, sinistrâ hastam transversam.

Ælia Capitolina, aliàs Jerosolyma, Colonia ab Hadriano facta, ut nummos Decio, ita ejus filiis percussit, Herennio quidem proprio nato & Hostiliano filio adoptivo : Aurelius autem Hostilianus contra Philippum post Gordianum ab eo interfectum Imperator à Senatu nuncupatus, ante ipsius in urbem adventum mortuus erat, Hostiliano juniore cum altera filia relicto. Decius summâ prudentiâ præditus, cùm undique irruentes Barbaros, & in Syria L. Priscum Imperium arripuisse intelligeret, filiam Hostiliani patris Herennio filio suo uxorem dedit, & Hostilianum juniorem adoptavit, cui Cæsaris titulum concessit, ne dum contra hostes profectus esset, ille vel alter Romæ Imperator appellaretur. Capitolienses in antica parte utrumque Cæsarem exhibuerunt, cùm ille solus cum patre in Syriam venerit, quo tempore nummus ab iis videtur cusus.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino pag. 396. editus, inter rarissimos collocandus.

ANTIOCHIA Syriæ.



ΕΡΕΝΝ. ΕΤΡΟΤ. ΜΕ. ΚΥ. ΔΕΚΙΟϹ. ΚΕϹΑΡ. Caput Q. Herennii.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας, & non ANTIOCHEORVM METROCOLONORVM, ut scribit Patinus in Thes. Mauroceno pag. 140. In area S. C. Δ. E. Mulier turrita & velata insidens monticulis in templo quatuor columnis ornato, pro pedibus mulieris, figura fluvii enatantis, in vertice nummi Aries.

Antiochia Syriæ Metropolis & Colonia ſimilem nummi typum Etruſcillæ dedicavit, quem etiam in Etruſci ejus filii honorem renovat, quando ille in eorum urbem cum Decio patre venit. Triſtanus nummum vulgavit, ſed templum Matri Deûm vel Deæ Syriæ tribuit, cùm illa mulier turrita, Genius ſit urbis, cui templum ab Antiochenſibus exſtructum eſt, ipſiuſque meminit Ammianus lib. 22. *Cùm tranſiret per ſpecioſum Genii templum :* & lib. 23. *Aſcendente eo gradile Genii templum.* Triſtanus Leonem in vertice nummi pro Ariete ſcalpi curavit, quem Antiochenſes ad indicandum ſub hoc ſigno annum ſe inchoare, cælaverunt. Patinus hos Triſtani errores hauſit, & typum ipſi ſimilem percuſſit.

Hic nummus majoris moduli, à Triſtano tom. 2. pag. 652. editus, pro raro computatur ; ſed ſecundæ formæ, à Patino pag. 394. vulgatus, inter rariores recenſendus.



ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. In imo S. C. Aquila inſiſtens palmæ ramo, roſtro coronam gerit.

Similem nummum ad Antiochiam Syriæ pertinere in Etruſcilla diximus : in hac autem urbe duplex moneta ſignabatur, una Syriæ Præſidis juſſu, altera urbis, ob privilegium quod illa à Senatu obtinuerat, cùm Syria in provinciam Romanam redacta fuit, ideo illa S. C. notas in nummis appoſuit, imò & Δ. Ε. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας, ob Plebiſcitum quo ad hanc rem opus habuit : Tribunitia enim poteſtas Herennio Cæſari, quam Decius Senatui remiſerat, minimè congruere poteſt ; idcirco Antiochia, antequam Colonia fuiſſet deducta, à Plinio *Libera* appellatur, cùm ipſa αὐτονομίαν à Pompeio magna pecunia teſte Porphyrio redemiſſet, quam poſtea Senatus & Populus Romanus ſeorſim confirmarunt, ut indicant S. C. & Δ. Ε. notæ. Porro Gellius lib. 10. cap. 19. Plebem à Populo dividit : *Quoniam in Populo omnis pars civitatis, omneſque ejus ordines contineantur. Plebs verò ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non inſunt.* Unde Plebiſcitum videtur dictum.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 494. editus, vulgaris eſt.

D A C I A.



Q. HER. ETR. MES. DEC. CAES. Caput Q. Herennii ſine laurea.
PROVINCIA DACIA. in imo AN. IIII. in aliis AN. V. Mulier patrio veſtitu ornata ſtans, utraque manu ſignum militare cum notis V. & XIII. pro pedibus ejus hinc Aquila roſtro coronam, inde Leo.

Dacia cùm intellexiſſet Decium cogente Senatu Etruſcum filium Cæſarem appellaſſe, Imperatori gratulans, nummos ut patri, ita filio percuſſit ; in priori annum quartum appoſuit, libertatis à Philippo acceptæ monumentum, quod annus etiam quintus in altero nummo indicat : annus autem æræ quintus, Imperii Decii ſecundus eſt, quem felicem fauſtumque in filio auguratur Dacia. Hæc utraque manu vexillum gerit, denotans duas Legiones in hac provincia ad ejus contra barbaros cuſtodiam commorari, ut in Philippo diximus, quarum nomina in vexillis ſcripta ſunt, Legionis nimirùm V. Macedonicæ, & XIII. Geminæ, ut adſtipulatur Dio lib. 55. pag. 564. Πέμπτον, Μακεδονικὸν, ἐν Δακίᾳ. *Quinta Macedonica in Dacia.* Τό τε τρίτον ϗ δέκατον, τὸ ἐν Δακίᾳ, τὸ Δίδυμον. *Decima tertia Gemina in Dacia.* Aquila quidem Imperii inſigne, Leo autem provinciæ ſymbolum eſt.

Uterque nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores reponendus.

RHESAINA.



ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕ. ΚΥ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟC. CΕΒ. ΚΥ. ΕΡ. ΕΤΡ. Μ. ΔΕΚΙΟC ΚΑΙCΑΡ. Duo capita adverſa, alterum Decii coronâ radiatâ ornatum, alterum Herennii nudum.

CΕΠ. ΚΟΛ. ΡΗCΑΙΝΗCΙΩΝ. L. ΗΙΡ. Σεπ͂τιμίας Κολωνίας Ρησαινησίων. Λυκάβαντος ηιρ. *Anno* 118. Duæ figuræ muliebres dextras jungunt arâ intermediâ, altera pone quam trophæum tutulata eſt.

Rheſaineſii Meſopotamiæ frequentes Trajano Decio & Etruſcillæ ejus uxori nummos cuderunt, & quidem ob tributi immunitatem, ut diximus, ab Hadriano conceſſam, ſibique ab eo confirmatam; nam ab hac illius Imperatoris liberalitate æram in nummis computarunt: Colonia deinde urbs eorum à Sept. Severo deducta, *Septimiæ* nomen accepit, retentâ priori epochâ, ideo & Coloniæ titulum, & beneficii memoriam in Decii ejuſque filiorum nummis ſignavit; Herennium autem Etruſcum cum patre ſociavit, Decio gratulans, quòd ille Cæſaris dignitatem filio communicaſſet, teſte Aur. Victore. *Lætiorque hoſtium nece, filium Etruſcum nomine, Cæſarem fecit.* Duæ figuræ muliebres dextras ſibi invicem jungentes, in Decio jam prodierunt; dexteriorem diximus Genium urbis eſſe, ſiniſteriorem verò Minervam, ejuſque Coloniæ tutelarem Deam; trophæum pone Genium, ad Romani Imperii terminos juxta Rheſainam ſpectare videtur. Sagittarius pone Minervam, tanquam inſigne Legionis Parthicæ hiberna Rheſainæ habentis exhibetur. Aquila Romanorum eſt ſymbolum.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino p. 392. vulgatus, inter rariores collocandus.

VIMINACIUM.



Q. H. ETR. MES. DEC. CAES. Caput Q. Herennii nudum.

P. M. S. COL. VIM. *Provincia Mœſiæ ſuperioris Colonia Viminacium.* In imo AN. XI. in aliis XII. *Anno* 12. Mulier ſtans brachiis expanſis ſupra Bovem & Leonem.

Viminacium Mœſiæ ſuperioris urbs, Colonia à Gordiano ad provinciam contra barbaros irrumpentes tuendam conſtituta, frequentes ipſi, Philippo, & Decio, imò & filiis nummos percuſſit, ut Imperatores his monumentis ad ſui cuſtodiam excitaret, nam Carpi, & alii Sarmatiæ Europææ barbari, in hoc tractu Romanos fines ſub Philippo devaſtarant, & ſub Decio Thracias depopulati ſunt, in quibus repellendis ipſe & filius occubuerunt. Mulier iſta urbem repræſentat, cujus Leo inſigne eſt, Bos verò Coloniæ ſymbolum. Voces AN. XI. & XII. anni ſunt æræ Coloniæ à Gordiano Viminacium deductæ.

Uterque nummus ſecundæ formæ inter rariores habendus, poſterior à Patino pag. 394. vulgatus eſt.



C. VALENS HOSTILIANUS
MESSIUS QUINTUS.



HOSTILIANUS, Hoſtiliani Imperatoris contra Philippum à Senatu appellati filius, à Decio adoptatus, Cæſar factus eſt; deinde cùm Decius contra Barbaros expeditionem ſuſcipiens, Etruſcum appellaſſet Auguſtum, Hoſtilianum etiam Auguſti nomine decoravit, ipſique adminiſtrationem Romæ commiſit. Decio autem & filio in bello occiſis, & Treboniano à militibus Imperatore proclamato, Hoſtilianus & Trebonianus uterque dictus eſt Imperator, & ambo regnarunt, ſed anno primo Hoſtilianus peſtilentiâ correptus interiit.

HOSTILIANI *nummi ex omni modulo, ſed præſertim primi, pro rariſſimis habendi ſunt.*

ÆLIA CAPITOLINA.

AETRVSCVS ET QVINTVS CAESS. Capita jugata Q. Herennii & Hoſtiliani cum corona radiata.

COL. AEL. CAP. COMM. *Colonia Ælia Capitolina Commodiana.* Jupiter ſeminudus ſtans, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ caput ſuſtinet.

Ælia Capitolina, Colonia ab Hadriano conſtituta, Æliæ nomen ipſius gentis tulit; Commodiana verò à Commodo, ob inſigne beneficium ab eo acceptum dicta eſt, nummos quidem illa Decio dedicavit, cùm forſan ille veniſſet in Syriam, imò & filiis, quorum capita in eodem nummo jugata ſignavit, ad indicandam eorum concordiam, cùm alter proprius eſſet Decii filius, alter adoptivus: Herennius quidem primum, Hoſtilianus verò inferiorem locum occupat, uterque coronâ radiatâ inſignis, qualis Oriens depingitur, tanquam ambo eſſent Orientis lumina. Jupiter in nummo, Capitolinus eſt, de cujus nomine urbs Capitolina ab Hadriano, ut videtur, vocata eſt, quòd Judæos huic Deo tributum pendere à Tito juſſi fuerant, teſte Xiphilino in Veſpaſ. Καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. *Ab eodem Tito juſſi ſunt quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino ii qui patrias leges eorum tuerentur.* Ideo Hadrianus templum in urbe Jovi Capitolino ædificari præcepit, eodem Xiphilino teſte in Hadr. Καὶ ἐς τὸν τοῦ ναοῦ τοῦ θεοῦ τόπον, ναὸν τῷ Διῒ ἕτερον ἀντεγείραντος. *Ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Jovi ædificari curaviſſet.* Jupiter caput gerit, ob nominis etymon Capitolii, ſupra quod exſtructum ipſi fuit templum: Capitolium enim dictum eſt, quòd inventum ſit caput cujuſdam hominis nomine Toli in illius fundamentis, ut narrat Florus: *Quòd molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum eſt caput.* Antea rupes Tarpeia vocabatur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis rariſſimus eſt.

ANTIOCHIA Syriæ.

Γ. ΟΥΑΛ. ΟΣΤΙΛΙΑΝΟΣ ΚΥΙΝΤΟΣ ΚΕΣΑΡ. Caput Hoſtiliani nudum.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area notæ S. C. & Δ. E. Mulier inſidens rupibus in templo tetraſtylo, pro pedibus fluvius emergens.

Antiochenſes Syriæ nummos Decio, Etruſcillæ ejus uxori, & Q. Herennio filio dedicarunt; huncque honorem Hoſtiliano, quem adoptione Decius Cæſarem appellaverat, tribuerunt, de tota Imperatoria familia jam bene meriti, quòd L. Priſco Philippi fratri, Imperatori in Syria à militibus appellato, obſequium haud præſtitiſſent. Templum in nummo ſignatum, Genii urbis eſt, quod ſpecioſum appellat Ammianus l. 23. ut ſuprà diximus. Genius ipſe in aditu templi conſpicitur, prout in nummis frequens occurrit; turribus ornatus eſt, quòd urbs ſit Metropolis & firmiſſimis muris circumdata; inſidet monticulis, ad indicandum in clivo montis Silpii nimirùm ejus ſitum, ut habet Euſtathius in Dionyſ. *Ea verò juxta Silpium montem eſt ſita.* Orontes ex imo emergit, eodem teſte Euſtathio: *Orontes ..... delapſus ad Antiochiam, mediam perſecat Antiochenſium terram: non quidem quemadmodum Cydnus per Tarſum, ſed quòd partes illas præterfluat.*

Hic nummus primæ formæ pro rariſſimo computandus.

CÆSAREÂ Palæſtinæ.



HOSTILIANO QVINTO AVG. Caput Hoſtiliani laureatum.
COL. PR. FL. AVG. CAES. MET. *Colonia prima Flavia Auguſta Cæſarea Metropolis.* Variæ ſunt epigraphæ. Caput muliebre turritum.

Cæſarea Palæſtinæ urbs, Colonia à Flavio Veſpaſiano conſtituta, nomen à Flavia ejus gente tulit, inde Metropolis dignitatem Syriæ ſcilicet Palæſtinæ obtinuit ſub Alex. Severo, quandoquidem hunc titulum ſub hoc Imperatore primùm eam geſſiſſe obſervamus; illa Decii ſtudioſiſſima plurimos ei nummos percuſſit, & hunc præcipuè Hoſtiliano dedicat cum Auguſti appellatione, quam ei Decius communicaſſe videtur ſicut Herennio Etruſco, quando hunc ſecum in expeditione contra Barbaros duxit, illum verò Romæ ad res adminiſtrandas reliquit, vel poſtquam Decius & Q. Herennius in ſolo barbarico extincti ſunt. Caput muliebre turritum urbem repræſentat, vel Genius eſt urbis, frequens principum civitatum inſigne.

Hic nummus minimi moduli inter rariores numerandus.

DACIA.



S. OVAL. HOSTILIAN. AVG. Caput Hoſtiliani.
PROVINCIA DACIA. AN. VII. *Anno ſeptimo.* Mulier ſtans patrio veſtitu ornata, utraque manu ſignum militare, pro pedibus ejus hinc Aquila, inde Leo.

Dacia libera ſub Philippo pronunciata æram ad æternam beneficii memoriam in nummis appoſuit, illamque ſub eo annum tertium ſignaſſe diximus, ſed quartum etiam inchoaſſe ſuſpicamur, quòd idem annus VII. in Hoſtiliano & Æmiliano reperiatur: hæc autem provincia tertio Imperii Philippi anno, Urbis verò 999. libera ab eo facta videtur, ſi quidem ille U. C. 1002. interfectus eſt, in quo quartus æræ Daciæ annus eſſe debuit, qui pariter quartus in Decio notatur; Decius autem occiſus circa menſem Martium, U. C. 1004. æræ annum quintum Daciæ abſolvit, & ſextum inchoaſſe videtur; Hoſtilianus ei ſuperſtes fuit uſque ad annum U. C. 1006. in quo provincia annum ſeptimum computavit, ille enim cum Gallo imperavit, ſi fides Aur. Victori & Eutropio; ſic autem habet Victor: *Hæc ubi Patres comperere, Gallo Hoſtilianoque Auguſta Imperia, Voluſianum Gallo editum Cæſarem decernunt.* Eutropius verò: *Mox Imperatores creati ſunt Gallus, Hoſtilianus & Galli filius Voluſianus.* Mulier Genius provinciæ duo tenet ſigna militaria, in quibus nomina ſunt Legionum ad Daciæ cuſtodiam poſitarum. Aquila, ſymbolum eſt Imperii Romani; Leo, inſigne provinciæ.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariſſimos collocandus.

VIMINACIUM.



C. VAL. HOST. M. QVINTVS. Caput Hostiliani.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Vimacium.* In imo AN. XI. in aliis AN. XII. in aliis AN. XIII. Mulier solito modo stans inter Bovem & Leonem.

Viminacium urbs Mœsiæ superioris, Colonia à Gordiano facta, annos ab hoc tempore, licèt aliter sentiat Patinus, beneficii memor in nummis computavit, primum scilicet anno U. C. 993. quintum anno 997. in quo Gordianus mortuus est, & Philippus Imperium arripuit; decimum anno 1002. in quo occisus est Philippus, & Decius Imperator à Senatu appellatus; duodecimum anno U. C. 1004. in quo Decius cum Q. Herennio periit, & Treb. Gallus cum Hostiliano Imperatores appellati sunt, at quùm Viminacium in horum nummis annum decimumtertium consignet, Hostilianum quidem ad annum usque 1005. accessisse imò & hunc transegisse (ut infrà demonstrabimus) denotat. Mulier urbem repræsentat, pro cujus pedibus Leo ipsius insigne; Bos verò, Coloniæ symbolum.

Hi omnes nummi mediocris moduli pro rarissimis habendi, cum AN. XII. *à Patino pag. 396. editus est.*

C. VALENTI
HOSTILIANO
MESSIO QVIN
TO. NOBILISSI
MO. CAES. PRIN
CIPI. IVVENTVT.
VALENT. VETERAN.
ET VETERES.



C. VIBIUS TREBONIANUS
G A L L U S.



GALLUS ex Trebonia gente in Vibiam adoptatus eſt; unde nomen Trebonii in Trebonianum productum, & fortaſſe quando Decius ad Imperium evectus, dignitates Imperatoriæ majeſtati adjunctas, Senatui Populoque Romano reſtituit; Cenſoriam ſcilicet & Tribunitiam poteſtatem, unde nulla TR. P. nota in Decii nummis occurrit. Valerianus Cenſor quidem electus eſt, Gallus verò Tribunitiam poteſtatem habuiſſe, aut eam Imperatoribus reſtituiſſe videtur, cùm ad Imperium evectus eſt; illam enim omiſsâ primâ & ſecundâ, tertiam primo Imperii ſui anno, quartam verò ſecundo ſignavit, tanquam ipſe per duos annos Tribunitiam poteſtatem geſſiſſet, aut ipſa Imperatoribus reſtituta, à morte Philippi in Imperio non vacaſſet.

TREB. GALLI *nummi ex omni modulo rari ſunt, ſi Antiochenos excipias.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒ. ΓΑΛΛΟΣ. Caput Galli laureatum, in aliis radiatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. & Δ. Ε. Caput velatum & turritum, in vertice Aries.

Antiochenſes Syriæ Metropolitæ & Coloni Romani Treb. Gallo nummos tanquam Imperatori recèns facto dedicaſſe videntur, ut potiſſimùm illum ad auxilium provinciæ cui Perſæ imminebant, ferendum adducerent, hi quippe cùm Imperator negligenter res adminiſtraret, in Meſopotamiam irruerunt, teſte Zozimo lib. 1. Πέρσαι δὲ τὴν Ἀσίαν ἐπῄεσαν, τήν τε Μέσην καταστρεφόμενοι τῶν ποταμῶν, καὶ ἐπὶ Συρίαν προϊόντες, ἄχρι τῆς Ἀντιοχείας αὐτῆς. *Perſæ verò in Aſiam pedem intulerunt, tum Meſopotamiam excidio dantes, tum in Syriam progredientes, ad ipſam uſque Antiochiam.* Mulier turrita & velata, Genius eſt Antiochiæ urbis, ſolenne ipſius ſymbolum. De Ariete ad anni principium ſpectante, ut & de notis S. C. & Δ. Ε. paſſim diximus.

Hic nummus primæ magnitudinis pro raro notandus.



Eadem epigraphe, caput idem.

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΓΑΛΛΟΣ. ΚΑΙ ΟΥΟΛΟΥΣΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. Caput Galli laureatum, & adverſum Voluſiani radiatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. Ε. Mulier turrita & velata insidens montibus in templo tetrastylo, pro pedibus ejus fluvius enatans.

Nummus in quo capita Vibii & Volusiani adversa exhibentur, ab Antiochensibus percussus est, postquam Vibius Volusianum Imperii consortem nominavit, ut tradit Pomponius Lætus in eorum vita : *Interea Gallus quùm Romam venisset, Vibium Volusianum filium, consortem Imperii fecit.* Vibius quidem laureâ insignitus est, Volusianus verò radiatâ coronâ ornatus, ambos tamen Patinus pag. 398. laureatos vulgavit, & eorum nummum inter mediocres collocavit, quod hactenus non observavimus. Antiochenses per nummos utrumque Augustum ad urbem tuendam sollicitant, nam Persæ eam tandem diripuerunt, si Zozimo fides. Ἕως εἷλον καὶ ταύτην τῆς ἑῴας πάσης μητρόπολιν οὖσαν. *Donec & illam cepere totius Orientis Metropolim.* Genius urbis in superiori nummo vulgatus est, hîc verò templum ejus exhibet.

Uterque nummus primæ formæ, primus cum capite solo Treb. Galli rarus est, alter autem cum filio adverso, obvius est.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒ. ΓΑΛΛΟϹ. ϹΕΒ. Caput Treb. Galli laureatum.
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ. ΥΠΑΤΟ. Β. In area S. C. *Tribunitia potestate, Consul secundum.* Aquila insistens scipioni, rostro coronam.

Ad Antiochiam pertinere hunc nummum docet nota S. C. ut sæpius diximus. Antiochenses cùm ipsis Persæ impenderent, omni obsequio Gallum devincire conabantur, vix autem anni initio ille Consul iterum cum Volusiano factus est, quin ei nummos cum epigraphe *Consul secundum* dedicarint, is enim jam Consulatum gesserat, antequam Imperium arripuisset. Imperii Romani insigne est Aquila, quam Antiochenses tanquam urbis Coloni pro symbolo etiam exhibent; ipsa rostro coronam gerit, ad denotandum Populum Romanum omnium gentium victorem.

Hic nummus secundæ magnitudinis frequens & tritus.

CARTHAGO Africæ.



IMP. C. C. VIB. GALLVS AVG. Caput Treb. Galli radiatum.
C. I. C. A. A. P. *Colonia Julia Carthago Antiqua Augusta Pia.* In area D. D. *Decreto Decurionum.* Triremis in qua quatuor figuræ.

Hanc nummi inscriptionem interpretati sumùs, *Colonia Julia Carthago Antiqua Augusta Pia*, jamque plures ejus urbis nummi cum his litteris C. I. C. A. prodierunt, quos P. Hard. p. 108. & 109. ad Coloniam Cæsaraugustam revocat, & hos errare graviter pronuntiat, qui eos exponunt, *Colonia Carthago Antiqua*; sed pace tanti viri nummi pertinent ad Carthaginem Africæ, ut se à nova Hispaniæ Carthagine distingueret, Antiquæ appellationem sibi ascribit. Carthago Juliæ nomen præfert, tanquam Colonia à Julio Cæsare, ut omnes norunt, constituta. Navis in Treboniani nummo quatuor figuris à Carthaginensibus scalpta, ad annonam P. Romano à Gallo conciliatam spectat, ille enim frumentum ab Africæ urbibus arcessivit, unde memor Senatus, ei nummos cum epigraphe ANNONA AVG. percussit.

Hic nummus minimi moduli integerrimus, ex museo nostro, rarissimus est.

COELLU.



IMP. VIB. TREB. GALLVS AVG. Caput Galli laureatum.

AEL. MVNIC. COEL. *Ælium Municipium Coellutanum.* Lupa cùm puerulis Romulo & Remo.

Coellu urbs est Numidiæ littoralis, de qua passim; Municipii dignitatem ab Hadriano accepit, ut testatur *Æliæ* gentis Hadriani nomen quod illa gerit; plurimas enim in hac provincia Imperator ille Colonias constituit, de quibus passim egimus, quamobrem Senatus videtur ei nummum percussisse cum hoc elogio, RESTITVTORI AFRICAE. Coellutani nummos suos Gallo tanquam novo Imperatori dedicarunt, vel quòd frumentum ex eorum urbe, ad annonam P. Romano conciliandam, suppeditaverint; hanc verò frumenti copiam eo libentius concesserunt, quòd Municipes facti, eadem cum ipsa Roma privilegia haberent, qua de re Lupam cum puerulis Romæ insignia in nummis exhibent.

Hic nummus secundæ formæ inter elegantiores computandus.

DACIA.



IMP. C. VIB. TREB. GALLVS. AVG. Caput Treb. Galli laureatum.

PROVINCIA DACIA. In imo AN. VI. Mulier stans inter Aquilam & Leonem, dextrâ ramum, sinistrâ scipionem, in cujus apice caput asininum.

Dacia libera à Philippo facta annos æræ suæ ab hoc tempore computat; sextum autem in hoc nummo signavit; qui respondet anno primo Imperii Galli. Mulier quidem hactenus signa militaria Legionum ad suam custodiam destinatarum gessit, sed nunc pro iis ramum olivæ præfert, pacem cum Barbaris à Gallo initam arguens, quam tributo annuo centum drachmarum emit, de quo Pomponius Lætus. *Qui tributo pendendo obnoxiam fecerit urbem, præter Gallum fuit nemo.* Tributum fuit drachmarum aurearum CC. Lævâ manu scipionem, cui impositum est Asini caput, tanquam insigne gerit, ut in nummis Decio à Senatu percussis observatur. Aquila Imperii Romani symbolum est; Leo, provinciæ insigne.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 397. vulgatus, pro rarissimo habendus.

DAMASCUS.



IMP. C. VIB. TREB. GALLO AVG. Caput Galli laureatum.

COL. ΔAMASCO. METROP. *Colonia Damascos Metropolis.* Bacchus super cippum positus, dextrâ lævâque vitis palmitem seu ramum.

Damascus vel Damascos Metropolis Cœlesyriæ, Colonia à Philippo deducta, Treb. Gallo nummos eandem ob causam ac Antiochia dedicavit, nempe ut auxilium ab Imperatore impetraret contra irrumpentes Persas, de quibus Pomponius Lætus in ejus vita: *Scytharum exemplo, alii hostes surgunt armaque capiunt; tum in viscera Syriæ penetrant Parthi.* Bacchus sui cultum apud Damascenos arguit, ille in eorum territorio vineta plantaverat, quæ adferente Stephano Da-

 mascus

mascus excidit, ob idque à Baccho excoriatus est. Διονύσου δὲ τὴν Συρίαν ἀμπελόφυτον ποιήσαντος, πελέκει ταῦτα ἔκοψε. Διόνυσος δὲ ὀργισθεὶς ἐδίωξε, καὶ ἐξέδειρε. *Libero verò Patre Syriam vitiferam faciente, ille securi vineta excidit, ac Liber Pater iratus eum persequutus est, atque excoriavit.* Bacchus ideo palmites seu vitis ramos gerit.

Hic nummus secundæ magnitudinis pro raro habendus.



IMP. C. TREB. GALLO. AVG. Caput Treb. Galli laureatum.
COL. ΔAMAS. METRO. *Colonia Damascos Metropolis.* Puer sugens ubera Damæ.

Jam prodiit hic pueri Damam sugentis in Damasci nummis Philippo & Otaciliæ ejus uxori dicatis typus, quem ad urbis conditorem, vel Ascum nomine à Dama nutritum, unde urbi nomen *Damascus*, vel ad Damascum Regem ab hoc animali alitum revocavimus, nam ut ut sit, Dama hæc puero urbis conditori, ut Lupa Romulo, lac præbuisse videtur, & hic typus ad antiquitatem urbis indicandam haud dubiè percussus est. Patinus ad hujus nummi explicationem ait: *Quid significet illud animal cum jacente puerulo, & fortassis lactante, non video, felicior adipiscetur.* Non verba eruditi viri profero, ut illo felicior existimer, sed conjecturam meam proponere placuit.

Hic nummus mediocris moduli, à Patino pag. 397. vulgatus, pro rarissimo habendus.



IMP. C. VIB. TREB. GALLO. AVG. Caput Treb. Galli laureatum.
COL. ΔAMA. MET. *Colonia Damascus Metropolis.* Vexillum in quo LEG. III. GAL. *Legio Tertia Gallica*, hinc & inde Aquila.

Damascum à Philippo Coloniam suprà diximus deductam, & nummus Otaciliæ ejus uxoris Legionis VI. Ferratæ in Judæa hiemantis Veteranos ab hoc Imperatore Colonos Damascum fuisse transmissos nos docuit; at hic nummus Gallo à Damascenis signatus vexillum exhibens, in quo LEG. III. GALL. *Legio Tertia Gallica*, Veteranos tertiæ Gallicæ in Phœnicia hiberna agentis Colonos in hanc urbem etiam à Philippo traductos testatur, quod confirmant duæ Aquilæ in imo labari; nec hic typus securitatem Imperii Romani demonstrat, ut putat Patinus, nec Aquilæ ad duos Augustos Imperium administrantes spectant, ut existimat P. Harduinus pag. 133. Vexillum, insigne est Legionum, & binæ Aquilæ Veteranos ex duabus Legionibus in Coloniam deductos indicant: Damascum autem VI. Ferratæ, & III. Gallicæ Legionum emeritos Otaciliæ & Galli numismata confirmant, cùm Legiones illæ ad bellum Persicum à Gordiano ductæ fuissent, eorum militum animos sibi devincire cupiens Philippus qui Gordianum occiderat, earum Veteranos mox in Colonias transportavit.

Com. Mediobarbus p. 360. ex vera hujus nummi epigraphe fictitiam hanc protulit COL. A. A. HAMET. quam interpretari frustrà conatus est P. Harduinus pag. 190. *Colonia Ælia Augusta Hadrumetina Metropolis.* Sed ad Damascum urbem pertinet nummus, & ille est cujus typum Patinus vulgavit pag. 398.

Hic nummus secundæ magnitudinis, à Patino vulgatus pag. 398. pro raro habendus.



COL. ΔAMAS. METRO. *Colonia Damascos Metropolis.* Circa Coronam querceam, in qua CEBACMIA.

De

De ludis in honorem Augusti apud Damascenos institutis, jam in Philippo & in Otacilia ejus uxore diximus, quorum illi in Treboniani nummis iterum celebrationis memoriam exhibent; plurimi enim memorantur in ipsius Imperatoris memoriam facti, ΑΥΓΟΥϹΤΕΙΑ nimirùm Pergami apud Gruterum p. 319. ϹΕΒΑϹΤΑ Alexandriæ apud eundem p. 316. ΚΑΙϹΑΡΙΑ Tyri in nummis Philippi. Damasci vero ϹΕΒΑϹΜΙΑ, Augustales illos ludos Gymnicos, equestres, musicosque lustrales fuisse tradit Petr. Faber Agon. lib. 3. c. 26. ipsos verò Augusto à Damascenis dicatos retulimus, quod ille eorum urbem fecerit Metropolim. Corona quercea, non autem laurea, ut placuit Mediobarbo pag. 360. tanquam certaminum victorum præmium in hoc numismate exhibetur, hæc autem ob cives servatos concedebatur, unde major laus Augusto ex ipsis servatis, quàm ex victoria contra hostes relata, si quidem Scipio apud Vopiscum, civem mavult servare, quàm mille hostes perdere.

Hic nummus mediocris moduli inter rariores numerandus.

LAODICEA Syriæ.



ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕ. ΓΑΛΛΟϹ. ϹΕΒ. Caput Treb. Galli laureatum.
COL. LAOD. METROPOLEOS. *Coloniæ Laodiceæ Metropoleos.* In area Δ. Ε. Silenus stans dextram attollit, humero lævo utrem hircinum gerit.

Laodicea Coloniæ & Metropolis dignitate insignis; urbs est Syriæ littoralis; & non Cœlesyriæ ad Libanum, cui hunc Galli nummum tribuit P. Harduinus pag. 286. Illa est, cujus cives se *Julienses Laodicenses* appellarunt ob tributi remissionem ipsis à Julio Cæsare concessam; ideo *libera* vocatur à Plinio lib. 5. cap. 20. huic etiam urbi Sept. Severus jus Italicum concessit, dum eam Coloniam constituit. Ulpiani quidem codices illam in Syria Cœle posuerunt, sed vox *Cæle* expungenda, Librariorum enim errore irrepsit, ut videre est apud Paulum lib. 2. de Cens. *Laodicia in Syria & Berytos in Phœnice juris Italici sunt, & solum eorum:* Silenus sui cultum in urbe indicat, ille autem in Deorum numerum relatus est in gratiam Bacchi, cujus fuerat pædagogus; de quo Julianus in Cæss. Πάντων οὖν τῶν θεῶν κύκλῳ καθημένων, ὁ Σειληνὸς, ἐρωτικῶς ἔχειν δοκῶν μοι τοῦ Διονύσου καλοῦ, καὶ νέου, καὶ τῷ πατρὶ τῷ Διῒ παρακαθήμενος, πλησίον αὐτοῦ, τροφεύς τις οἷα καὶ παιδαγωγὸς καθῆστο. *Sic igitur Diis in orbem sedentibus, Silenus, Dionysio juveni & venusto Jovi patri proximo, proximus, ut educatorem & institutorem par erat, assedit.*

Hic nummus majoris formæ inter rariores reponendus.



COL. LAOD. METROPOLEOS. *Coloniæ Laodiceæ Metropoleos.* In area Δ. Ε. Mulier tutulata & tunicata stans, dextrâ temonis capulum, lævâ duas icunculas sustinet.

Mulier illa tutulata stans, Laodiceam urbem repræsentat, temonem verò gerit, seu solitum Genii symbolum, seu situm urbis ad mare indicans, ut innuit Josephus, quia Laodicenses maritimos appellat, de bell. Jud. l. 1. c. 16. p. 748. Λαοδικεῦσι δὲ τοῖς παραλίοις, ὑδάτων εἰσαγωγήν. *Maritimis autem Laodicensibus aquæductum.* Illa lævâ duas icunculas, duos nempe Imperatores Gallum & Volusianum exhibentes tanquam urbis Genios sustinet, ut Roma sedens in Philippopolitanorum nummis Philippos patrem & filium pariter dextrâ gerit. Litteræ Δ. Ε. Δημαρχικῆς Ἐξουσίας denotantes, in memoriam privilegiorum Antiochensium Laodicensibus à Sept. Severo tributorum, in eorum nummis appositæ sunt. Antiochenses autem eos signare solent, cum S. C. notis, ob monetæ facultatem ipsis à Pompeio M. concessam, ad cujus confirmationem Senatusconsulto & Plebiscito opus fuit, quorum S. C. & Δ. Ε. notæ sunt.

Hic nummus primæ magnitudinis in rariorum numero collocandus.

NEAPOLIS Samariæ.



ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥ. ΤΡΕΒ. ΓΑΛΛΟΣ ΣΕΒ. Caput Treboniani radiatum.
ΦΛ. ΝΕΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ. Φλαβίας Νέας πόλεως. Aquila alis expansis, in vertice mons cum templo.

Nullum est dubium, quin hic nummus Gallo dicatus ad Neapolim Samariæ pertineat, mons Garizim cum templo in ejus vertice signatus id satis confirmat: sed cur urbs, Colonia à Philippo constituta, ipsi nummos Latinè inscriptos cum hoc titulo percussit, postea sine Coloniæ nomine Græcos Treboniano consecravit, imò Volusiano ejus filio ipsos modò Latinos cum Coloniæ dignitate, modò etiam Græcos sine Coloniæ appellatione percussit, id videtur scalptorum proculdubio incuria. Templum in vertice montis Jovi dicatum est tempore Antiochi Dei Epiphanis, ob Samaritarum ad eum legationem, ut narrat Josephus Antiq. lib. 12. cap. 7. Ἀπολύομέν τε αὐτοὺς τῶν αἰτιῶν, καὶ τὸ παρ' αὐτοῖς ἱερὸν καθάπερ ἠξιώκασι, προσαγορευθήτω ΔΙΟΣ ΕΛΛΗΝΙΟΥ. *Absolvimus eos quantum ad hanc causam, & eorum templum attinet, quòd posthac appelletur* IOVIS GRÆCANICI. Aquila, Romani Imperii insigne est.

Hic nummus mediocris formæ pro raro conservandus.

TROAS.



IMP. C. VIB. TREB. GALLVS AVG. Caput Galli laureatum.
COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troadensis.* Apollo nudus sublimis tollitur inter alas Gryphi, dextram capiti ille admovet, sinistrâ lyram gerit.

Troas urbs Phrygiæ minoris, de qua passim diximus, Colonia ab Augusto constituta, ut Augusti nomen indicat, nummos Treboniano tanquam novo Imperatori dedicat, in iis Apollinem urbis tutelarem Deum exhibet, ille enim ejus muros cum Neptuno condiderat, ut tradit Coluthus de raptu Helenæ vers. 272.

Ἴλιον ἣν πύργωσε Ποσειδάων καὶ Ἀπόλλων.

Troja quam turribus munivit Neptunus & Apollo.

Apollo à Grypho inter alas gestus depingitur, quòd hoc animal ei dicatum sit, teste Philostrato lib. 3. cap. 14. qua de re narrat Fulgentius Myth. lib. *His Gryphum quoque Apollini adjiciunt.* Lyra, hujus Dei symbolum est, quam à Mercurio eum accepisse narrant.

Alii nummi Troadis Coloniæ, cum equo pascente, & Aquila caput bovis unguibus gerente, observantur, quos, ut obvii sunt eorum typi, prætermisimus.

Hic nummus minimi moduli rarus est & insignis.

TYRUS.



IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS AVG. Caput Galli laureatum.
COL. TYRO. METROP. *Colonia Tyros Metropolis.* Hercules nudus sacrificans ad aram, lævâ clavam inversam & spolia Leonis gerit; in vertice nummi petræ Ambrosiæ, in imo conchylium.

Tyros

Tyros Colonia & Metropolis Phœniciæ, de qua paſſim dictum eſt, nummos in Galli honorem cudiſſe videtur, Syriarum Coloniarum exemplo, ut ab eo auxilium contra Perſas ipſarum urbibus imminentes hoc obſequii monumento poſtularet. Hercules Tyrius eſt, cujus meminit Pauſanias in Eliacis p. 339. Ἤκουσα δὲ ἐν Θάσῳ, τὸν αὐτὸν σφᾶς Ἡρακλέα, ὃν καὶ Τύριοι σέβεσθαι. *Et Thaſi quidem audivi Tyrium eſſe Herculem, quem Thaſii ab initio eſſent venerati.* Petræ in vertice nummi Ambroſiæ dictæ, ad originem urbis ſpectant, ſuper quas urbs condita eſt Herculis monitu, ut narrat Nonnus Dionyſ. lib. 40.

Πήξατε δ᾽ ἀμφοτέραις ἐπικείμενον ἄστυ Κολώναις.
Figite verò utriſque incumbentem urbem rupibus.

Conchylium, Tyri inſigne eſt ob purpuram in ea urbe maximè celebratam.

Hic nummus majoris moduli inter rariores collocandus.



COL. TYRO. METROP. *Colonia Tyros Metropolis.* Aſtarte in templo ſex columnarum trophæo dextram imponit, lævâ ſcipionem. Victoria columnæ impoſita ei coronam porrigit, in imo hinc Silenus, inde conchylium.

Aſtarte ſeu Venus Cœleſtis Tyri culta eſt, ut denotant frequentes ejus in ipſius Coloniæ nummis imagines; de illa loquitur Cicero de Nat. Deor. lib. 3. *Quarta*, Venus, *Syria Syroque concepta, quæ Aſtarte vocatur.* Hiramum Regem illius templum condidiſſe narrat Joſephus contra Ap. lib. 1. p. 1043. Τότε τε Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσεν. *Herculiſque & Aſtartes fana dedicavit.* Aſtarte manum trophæo imponit, ob Colonias à Tyriis ipſius auſpicio in longinquas partes deductas. Silenus pro pedibus Deæ, ſui etiam cultum Tyri indicat; conchylium, perpetuum eſt urbis ſymbolum.

Hic nummus primæ magnitudinis, pro raro habendus.



COL. TYRO. METROP. *Colonia Tyros Metropolis.* Figura galeata ſedens, dextrâ Aquilam, cui inter alas expanſas impoſitæ ſunt duæ icunculæ, ſiniſtrâ haſtam tenet, pone figuram Conchylium in area.

Mulier illa galeata, Roma eſt, Aquilam Imperii Romani gerens; huic impoſitæ ſunt duæ icunculæ Gallum & Voluſianum, qui Imperio præerant, exhibentes. Tyrus autem hanc Orbis Reginam ſedentem repræſentat, ipſam falſa quadam ſpe deliniens, quaſi ſub his duobus Imperatoribus quieſcere poſſe videretur, dum tamen Barbari undique imminerent, & lues totum Imperium depopularetur, teſte Zoſimo lib. 1. Οὐχ ἧττον δὲ τοῦ πανταχόθεν ἐπιβρύσαντος πολέμου, καὶ ὁ λοιμὸς πόλεσί τε καὶ κώμαις ἐπιγενόμενος. *Nec minus bello, quod undique ſcaturiendo velut emerſerat, lues etiam peſtilens in oppidis atque vicis ſubſequuta.* Roma haſtam tanquam inſigne gerit. Conchylium in area, perpetuum eſt Tyri urbis ſymbolum.

Hic nummus ſecundæ formæ, in muſeo R. P. de la Chaiſe, inter rariores adjiciendus.



COL. TYRO. METROP. *Colonia Tyros Metropolis.* Duo Athletæ nudi ſtantes vaſe intermedio, uterque manibus diſcum ſuſtinet, ex quo palmæ ramus erumpit.

Plurima Tyri edita fuiſſe certamina ipſius nummi nos docuerunt, ſed præcipuè ACTIA & ERACLIA, uti videre eſt in nummis Caracallæ pag. 49. Ipſorum ſub Gallo celebrationem indicare videtur hic typus, in quo duo Athletæ vaſa manibus ſuſtinent, ex quibus palmæ rami erumpunt; palmam verò in omnibus certaminibus concedi ſolitam victoribus aſſerit Plutarchus lib. 8. Sympoſ. Probl. quæſt. 4. p. 723. Ἔφη δὲ ἀπορεῖν τί δήποτε τῶν ἀγώνων στέφανον ἄλλος ἄλλον ἔχει, τὸν δὲ φοίνικα κοινῇ πάντες. *Dubitare autem ſe dixit, quanam de cauſa alia certamina alias habeant coronas, palmam communiter omnia.* Vas in imo præmium eſt victoris, plurima autem ponebantur teſte Virgilio Æneid. 5.

Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio, ſacri tripodes, viridesque coronæ,
Et palmæ pretium victoribus.

Nonnus Bacchum memorat argenteum craterem pro certamine propoſuiſſe lib. 19.

Μείονα δὲ κρητῆρα μέσῳ παρέθηκεν ἀγῶνι.
Majorem verò craterem medio impoſuit certamini.

Vas autem accipere videtur Athleta victor in nummis Heliopolitanis Valeriani infrà deſcribendis.

Hic nummus mediocris moduli pro rariſſimo habendus.



COL. TYRO. METROP. *Colonia Tyros Metropolis.* Aquila roſtro coronam, pone eam vexillum in quo LEG. III. GAL. *Legio tertia Gallica.* In area conchylium.

Aquila, Romani Imperii inſigne eſt, quod Tyrus Colonia conſtituta, tanquam Romana facta exhibet; eam à Sept. Severo deductam diximus, de qua Ulpianus l. 1. de Cenſibus. *Eſt in Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum Colonia .... huic enim Divus Severus & Imperator noſter, ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum inſignem fidem, jus Italicum dedit.* Vexillum in quo LEG. III. GAL. Veteranos Legionis tertiæ Gallicæ Tyrum Colonos fuiſſe ab eodem Severo tranſmiſſos denotat. Legio hæc à Julio Cæſare inter cæteras Alpinas conſcripta fuit, cujus opera in ſubjuganda Gallia potiſſimum enituit; ejus ipſemet meminit in Comm. bel. civ. lib. 3. *Erant in ſiniſtro cornu Legiones duæ, traditæ à Cæſare initio diſſentionis ex S C. quarum una prima, altera tertia appellabatur.* Primam hanc Legionem Gallicam univerſam à Cæſare civitate donatam narrat Suetonius in ejus vita. *Unam etiam ex Tranſalpinis conſcriptam vocabulo quoque Gallico: Alauda enim appellabatur, quam diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam poſtea univerſam civitate donavit.* Ideo illius nulla amplius fit mentio in Legionum diſtributionibus per provincias factis, ſed tertia Gallica ſub Sept. Severo in Phœnice hiberna habuit; poſtquam autem ea ipſe uſus eſt in bello Parthico, Veteranos illius Tyrum Colonos traduxit. Conchylium, urbis ſymbolum eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter raros collocandus.



COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Bos pone quem vexillum in quo LEG. III. GAL. *Legio tertia Gallica.* In area conchylium.

Bos & vexillum, deductæ Coloniæ inſignia ſunt; Bos quidem Colonorum togatorum, vexillum autem Veteranorum. Roma cùm aliquando numeroſiori plebe gravaretur, quæ cenſui ſolvendo non ſufficeret, pauperiorem illius partem in Colonias transferebat, iis autem civibus addebantur Legionum Veterani, qui multis annis ſtipendia in bello fecerant. Ex utraque ſorte Colonos Tyrum habuiſſe denotat hic nummus per bovem & vexillum: vexillum quidem Legionis nomen, unde Veterani Tyrum à Sept. Severo tranſmiſſi ſunt. De hac Legione abundè ſuprà egimus; illam hiberna egiſſe in Phœnicia refert Dio lib. 55. pag. 564. Καὶ τὰ τρία τὰ τρίτα, τό τε ἐν Φοινίκῃ, τὸ Γαλατικόν. *Tres tertiæ, una in Phœnicia, Gallica nomine.* Conchylium, Tyri ſymbolum eſt.

Hic nummus mediocris moduli inter raros aſſervandus.

VIMINACIUM.



IMP. C. C. VIB. GALLVS AVG. Caput Galli laureatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. XII. in aliis AN. XIII. in aliis AN. XIV. *Anno decimo quarto.* Mulier solito modo stans, pro pedibus hinc Bos, inde Leo.

Viminacium urbs Mœsiæ superioris, Colonia à Gordiano tertió deducta, ut passim dictum est, annos semper in nummis à Coloniæ fundatione signavit, primum quidem ab anno U. C. 993. in quo Gordianus Trib. potestatem tertiam agebat: annus autem æræ 12. in priori nummo signatus, ad annum U. C. 993. adjectus, efficiet annum 1005. in quo Gallus imperare cœpit; annus 13. secundi nummi, cum anno U. C. 993. junctus, constituet annum 1006. annus denique 14. in ultimo nummo notatus, an. U. C. 993. in quo Colonia à Gordiano constituta est, additus, conficiet annum U. C. 1007. in quo Gallus circa Junium mensem in prælio cum filio Volusiano versus Interamnam pugnans occisus est. Mulier urbem repræsentat, cujus Leo insigne; Aquila verò, Imperii Romani symbolum.

Hi nummi secundæ magnitudinis reperiuntur, prior inter rariores numerandus, secundus à Patino pag. 397. vulgatus, frequens est, tertius pro raro habendus.

IMP. CAES. VIBII. TREB.
GALLI. AVGVSTI. NOSTRI.
L. IVNIVS VALIDIANVS. V. CL.
PRAEF. VRB. STAT. EX A. R.
COL. VOLVNT. AVG. NOST.
CVM BASI SVA MARMOR. IIIII.

Romæ, in Thermis Antoninianis.



C. VIB. VOLUSIANUS.





CAIUS VIBIUS VOLUSIANUS eodem gaudet prænomine quo pater *Vibius*, ſed *Voluſiani* cognomen, à matre cujus nomen ignoratur, forſan habet; plurimos etiam gerit in quibuſdam nummis titulos à populis deſumptos. Ille Cæſar à patre primùm nuncupatus, deinde Hoſtiliano peſte extincto, appellatus eſt Imperator, & Tribunitiam poteſtatem III. & IIII. patris inſtar ſignavit, cùm Decius ipſam Senatui Populoque Romano reſtituiſſet.

VOLUSIANI *nummi ex omni modulo rari ſunt.*

ANTIOCHIA Syriæ.



ΑΥΤ. Κ. ΓΑ. ΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΥΟΛΟΥϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γανδάλικος, Φίννικος, Γαλίνδικος, Οὐενδένικος, Ουολυσιανὸς, Σεβαστὸς. *Imperator Cæſar Vandalicus, Finnicus, Galindicus, Vendenicus, Voluſianus, Auguſtus.* Caput Voluſiani laureatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. Ε. Caput muliebre turritum & velatum, ſuprà quod Aries.

Antiochenſes ut nummos Treboniano patri cuderunt, ita & Voluſiano filio dedicant, cui inſignes tribuere titulos ob plurimos Europææ Sarmatiæ populos tanquam ab utroque Imperatore profligatos. Ptolemæus lib. 3. cap. 7. inter eas gentes numerat Carpos, Phinnos, Galindas & Vendenos, quos Ant. Baudrandus inter Germanos-Sarmatas eo ferè ordine recenſet in verbo *Vendeni.* Decius autem adverſus hos Barbaros profectus, Gallum ad Danubii ripæ cuſtodiam, Zoſimo teſte, collocavit. Γάλλον ἢ ἐπιστήσας τῇ ὄχθῃ τοῦ Ταναΐδος, μετὰ δυνάμεως ἀρκούσης, αὐτὸς τοῖς λειπομένοις ἐπῄει. *Quumque Gallum ad Tanaidis ripam ſatis magnis cum copiis collocaſſet, ipſe cum reliquis ad hoſtem propiùs accedebat.* Porro pro *Tanaidis* ripa intelligendum *Danubii* littus. Gallus autem poſt Decii mortem Imperium occupavit Voluſiano filio Cæſare declarato, & pacem cum Barbaris inivit, ipſoſque intra ſuos fines redire coëgit. Caput muliebre, urbis Genius eſt. Aries, ad anni principium ſub hoc ſigno ab Antiochenſibus inchoatum ſpectat, ut paſſim diximus.

Latina etiam illuſtrium Voluſiani titulorum inſcriptio in nummis argenteis occurrit, illam Com. Mediobarbus pag. 362. ex Occone vulgavit, quam ſic ex ſuperioris nummi exemplo punctis diviſimus. IMP. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. eamque ut jam ſupra interpretamur, *Imperatori Cæſari Vandalico, Finnico, Galindico, Vendenico, Voluſiano, Auguſto.*

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariores habendus.



Eadem inscriptio. Caput Volusiani radiatum.

ANTIOXEΩN MHTPO. KOΛΩN. Αντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. In area S. C. Δ. E. Mulier insidens rupibus in templo tetrastylo, dextrâ spicas, pro pedibus Fluvius. Aries in vertice.

Mulier in templo montibus insidens, Genius est urbis, cui hoc fanum dedicarunt Antiochenses, quod *speciosum* appellat Ammianus lib. 23. Genium existimabant Veteres Deum esse, sub cujus tutela erant omnia, unde populi urbium Deam sæpe turritam effingebant, cui sacra faciebant, illamque vim habere omnium rerum gignendarum existimabant: ita Antiochenses spicas, quibus ager illorum abundabat, in ejus dextra posuerunt, quasi eas ipsa conservaret vel abundè gigneret: non modò autem communis seu generalis erat Genius, sed suus unicuique privatus: quemadmodum autem populi Genius dicebatur, sic & Augusti Genius, cui etiam templum dicatum fuisse narrat Suetonius in ejus vita cap. 60. *Cuncti simul, ædem Jovis Olympici, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicare.*

Hic nummus majoris moduli pro raro numerandus, cum hac circa caput epigraphe.



Eadem epigraphe quæ in superiori nummo, caput idem.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. in area Γ. S C. Δημαρχικῆς Εξουσίας τρίτης. *Tribunitia potestate tertia.* Aquila scipioni insistens, rostro coronam.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥCΙΑC. ΥΠΑΤΟ. Β. in area Δ. S. C. Δημαρχικῆς Εξουσίας τετάρτης, ὕπατος δεύτερον, *Tribunitia potestate Consul secundum.* Aquila ut suprà.

Nummos hac S C. nota signatos sine urbis nomine ad Antiochiam Syriæ Coloniam & Metropolim pertinere sæpius diximus. Si littera numeralis Γ. in priori nummo percussa, tertium Imperii Volusiani annum designet, altera nimirum Δ. in posteriori, ad quartum pertinere nequit, cùm vix tertium Volusianus annum inchoarit; verum hæ litteræ ad Tr. potestatem tertiam & quartam, quæ in Treboniani & Volusiani nummis frequentes occurrunt, spectare profectò videntur; cùm prima nec secunda Tr. potestas in iis usquam observetur, sed quarta in eorum Impp. nummis obvia apposita sit, eruditorum virorum ingenia hactenus torsit, & Baronium induxit, ut Gallo quatuor Imperii annos ascripserit, quamvis ille duos annos tantùm imperasset, nec ratio de TR. P. tempore à Tristano t. 2. p. 667. & ejus sequacibus allata satisfacit; vera & genuina istius nodi solutio hæc est, quòd Decius Censoriam dignitatem & Tribunitiam potestatem Senatui Populoque Romano de facto restituerit, teste Pompeio Læto in vita Decii. *Nam jus quintæ relationis & proconsulare Imperium, unde Augusti omnes pro Consulibus: necnon & jus Tribunitiæ potestatis, quod Augustus primus sibi perpetuò vendicaverat, arbitrio Senatus Populique Romani permisit.* Quemadmodum autem Valerianus Censor absens à Senatu fuit electus; ita Vibius Gallus Tribunitiam potestatem habere potuit per duos annos quibus Decius imperavit: atque ita Gallus Imperium adeptus, tertiam anno Imperii primo, quartam verò anno secundo in nummis apposuit. Si verò Tribunitia potestas à Gallo sub Decio per duos annos gesta quibusdam non placet, ab aliis illam initam fuisse necesse est; sed nemo Trib. potestatem à Gallo Imperatoribus restitutam negare potest, quam proinde ille in nummis quasi ab Imperio nunquam sejunctam, & à morte Philipporum computatam sibi continuò vindicavit, ut & filius Volusianus eadem ratione qua pater.

Uterque nummus secundæ formæ, prior pro obvio habendus, posterior rarus est.

CÆSAREA *Palæstinæ.*



IMP. C. C. VOLVSIANVS. AVG. Caput Volusiani laureatum.

COL. P. F. CAES. MET. PR. S. PAL. *Colonia Prima Flavia Cæsarea Metropolis provinciæ Syriæ Palæstinæ.* Figura nuda capite radiato prostrata super Leonem, dextram attollit, lævâ scipionem seu hastam puram.

Cæſarea Palæſtinæ Colonia à Veſpaſiano, poſtquam ille Judæos domuiſſet, & ipſis vectigal impoſuiſſet, deducta eſt, cùm hæc teſte Joſepho de bel. Jud. l. 3. c. 26. majorem incolarum partem Græcos jam haberet, & indigenæ affectu quodam Romanos diligerent, illa autem nummos Voluſiano Imperatori à patre appellato gratulans percuſſit. Figura nuda radiis inſignis, Apollo ſeu Sol eſſe videtur, Deus urbis Cæſareæ tutelaris, ut jam in Antonino Pio diximus p. 168. cui alludunt Cæſarienſes in Voluſiani gratiam, cujus etiam caput in anteriore nummi parte radiis ornarunt, tanquam Voluſianus eſſet ipſis Apollo ſeu Sol alter; incumbit quidem Leoni, cùm teſte Arato in Phœnom. *Hic notabilis & maximus inter ſigna ſit.* Sol haſtam puram gerit, ſolenne divinitatis ſymbolum.

Hic nummus minimi moduli inter rariores computandus, ad quem pertinet ille in indice Patini pag. 26. deſcriptus, & à Com. Mediobarbo inter incerta tranſlatus pag. 363.

DAMASCUS.



IMP. GALLO VOLOSSIANO AVG. Caput Voluſiani laureatum.

COL. ΔAMA. METR. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Cypreſſus arbor inter equum & taurum.

Damaſcus urbs Cœleſyriæ nummos ut Treboniano patri ſic Voluſiano percuſſit. Sed ad quid cypreſſus cum equo & tauro in nummo ſignatur? an Damaſceni feracitatem agri ſui repræſentare voluerunt, cypreſſorum quidem multitudinem in montanis, in convalli verò pratum equis & bobus alendis idoneum denotantes? Chryſorrhoas enim amnis totum agrum irrigabat: an verò illi myſticè cypreſſum, equum, & bovem exhibuerunt, cypreſſus quidem Soli dicata eſt, ut in nummis Heliopolitanis diximus, Sol apud illos idem erat ac Jupiter, Soli quidem equus ſacrificabatur teſte Strabone lib. 11. p. 513. Θεὸν δὲ Ἥλιον μόνον ἡγῦνται· τέτῳ δὲ ἱπποθύϩσι. *Solem unicum Deum agnoſcunt, eique equum ſacrificant.* Lactantius lib.

Celerem Deum, celeri victima placant.

Ovid. in Faſtis. *Placat equo Perſis, radiis Hyperiona cinctum.*

Bos autem Jovi mactabatur, de quo Virgilius Æneid. 10. ſuper ea Aſcanii facta Jovi vota.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.

Juvenalis verò Virgilio adſtipulatur.

Duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem.

Damaſceni his victimis demonſtrantes ſe bovem Jovi pro Treboniano, equum verò Soli ſeu Apollini pro Voluſiano ſacrificaſſe, alludentes patri & filio Imperatoribus, quòd Apollo eſſet filius Jovis, Gallum pro Jove, & Voluſianum pro Apolline venerarentur. Syriorum autem Theologia Jovem tantùm & Apollinem Deos agnoſcebat, imò illos eundem eſſe exiſtimabat.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariſſimos computandus.



COL. ΔAMA. METR. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Vexillum in quo LEG. III. GAL. *Legio tertia Gallica:* in imo hinc & inde Aquila.

Jam prodiit hic in Damaſci Coloniæ nummis Treb. Gallo dicatis typus, quem ad Veteranos Damaſcum tranſmiſſos ſpectare diximus, ut indicat vexillum in quo *Legionis tertiæ Gallicæ* nomen ſcribitur, ex qua ii in Coloniam deducti ſunt. P. Harduinus p. 133. contra Patinum Aquilas in imo vexilli ſignatas Imperatores Trebonianum & Voluſianum deſignare acriter contendit; ſed ad quid illi cum vexillo Legionis, cujus milites in Coloniam non deduxerunt, nugæ: duæ igitur illæ Aquilæ in imo labari ad Coloniæ ex Veteranis à Philippo Seniore conſtitutæ originem pertinent, illos ex duabus Legionibus traductos indicantes, alios nimirùm ex Legione tertia Gallica, cujus nomen labarum exhibet, alios verò ex Legione Sexta Ferrata, cujus nomen pariter inſcriptum

tum vidimus in vexillo nummi ejuſdem Coloniæ Damaſci Otaciliæ dicati. Duæ autem illæ Legiones tertia Gallica & ſexta Ferrata contra Parthos eductæ fuerant ex hibernis à Gordiano tertio, illa autem in Phœnicia, hæc in Judæa morabatur. Philippus occiſo hoc Imperatore militum benevolentiam ſibi conciliare volens, illarum Legionum Veteranos in Coloniam tranſmiſit.

Hic nummus mediocris formæ, à Patino vulgatus pag. 399. pro raro habendus.



COL. ΔAMAC. METROP. *Colonia Damaſcus Metropolis.* Circa ambitum CEBACMIA in corona quercea.

Damaſcus Metropolis & Coloniæ titulos in nummis præfert, quidam eam Metropolis dignitatem ſub Regibus Syriæ inter ſe diſſidentibus ſibi vindicaſſe exiſtimant, nimirùm quando Ptolemæus Lathurus Demetrium Antiochi Grypi & Tryphænæ filium, è Cnido Cariæ urbe accitum, contra Antiochum Cyziceni filium, Damaſceni Regem conſtituit, teſte Joſepho lib. 13. cap. 21. Πτολεμαῖος γὰρ ὁ Λάθουρος τὸν τέταρτον αὐτοῦ ἀδελφὸν Δημήτριον τὸν Εὔκαιρον λεγόμενον, ἐκ Κνίδου μεταπεμψάμενος κατέστησεν ἐν Δαμασκῷ βασιλέα. *Interim Ptolemæus Lathurus quartum ejus fratrem Eucærum cognomine, accitum à Cnido, Regem apud Damaſcum conſtituit.* Sed cùm Metropolis in Auguſti nummis Damaſcus inſcribatur, hanc ab Auguſto dignitatem ipſi datam ſuſpicamur cujus beneficii memor, certamina in ejus honorem CEBACMIA *Auguſtea* dicta, inſtituit: eam verò gratiam ab illo Imperatore urbi conceſſam remur in gratiam Nicolai Damaſceni, cujus erat amiciſſimus, ut ex Athenæo lib. 14. cap. 18. ſæpius retulimus. Corona quercea, victoris præmium fuiſſe videtur; hicque eorum typus ludorum celebrationem ſub Voluſiano indicat.

Hic nummus mediocris formæ pro raro notandus.

NEAPOLIS Samariæ.



IMP. C. VOLOSSIANVS. P. F. AVG. Caput Voluſiani laureatum.
COL. NEAPOL. *Colonia Neapolis* vel *Neapolitana.* Aquila legionaria cùm ſigno militari à dextris, Serapis à ſiniſtris: in vertice mons cum templo, in imo hinc ſpicæ, inde Aries.

Neapolis urbs Samariæ, Colonia à Philippo conſtituta eſt, ut diximus; Aquila autem legionaria cum ſigno militari in hoc nummo ſignata, non modò cives togatos ex Sergia tribu, ex qua Sergia Neapolis dicta eſt, in illam fuiſſe tranſmiſſos denotat, ſed eam Veteranis etiam frequentatam arguit. Serapis ſui cultum in urbe indicat, ut nummi M. Aurelii & Caracallæ demonſtrant. Mons in cujus vertice templum, Garizim eſt, ad ſitum Neapolis juxta ejus radices indicandum: Spicæ earum abundantiam in agro Neapolitano ſignificant; Aries videtur Veris tempus deſignare, quo annum ſub hoc ſigno Neapolitani inchoare ſolebant, quemadmodum Antiocheni & Damaſceni, qui pariter Arietem in ſuis nummis eam ob cauſam exhibent; quædam enim urbes in hoc tractu ab Autumno annum ordiebantur.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores recenſendus.





ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒ. ΟΥΟΛΟΥϹΙΑΝ. Caput Volusiani laureatum.

ΦΛ. ΝΕΑϹ ΠΟΛΕΩϹ. Φλαουΐας Νέας Πόλεως. Aquila alis extensis, in vertice mons cum templo.

IMP. C. VOLOSSIANVS. P. F. AVG. Caput Volusiani laureatum.

COL. NEAPOLI. *Colonia Neapolis*, vel *Neapolitana.* Idem typus, in quo Silenus à sinistris utrem hircinum humero lævo gerens.

Hi duo Volusiani nummi ad Neapolim Samariæ pertinent, idem ferè typus, & eadem urbis Neapolis appellatio id planè confirmant; sed cur unus nummus Græcè, alter Latinè, ut in Treboniano patre scriptus sit, non alia ratione factum est, nisi scalptorum incuriâ, qui ante octo vel novem annos priusquam Philippus urbem Coloniam constituisset, sub Gordiani Imperio Græcè scribere solebant. Aquila Imperii Romani insigne, à Coloniis sæpe usurpabatur. Mons Garizim perpetuò in Neapolis urbis nummis exhibetur, forsan ad ipsius cum plurimis aliis ejusdem nominis oppidis distinctionem. Silenus in posteriori nummo sui cultum Neapoli indicat, ut in Philippo Seniore jam vidimus. Hunc nummum vulgavit Octavius Strada pag. 126. cum inscriptione mutila COL. NEMOE pro NEAPOL. quem ideo Com. Mediobarbus pag. 362. inter incerta numismata relegavit: idem etiam est quem Occo perperam pag. 403. Elagabalo tribuit, cùm Neapolis Colonia à Philippo Seniore deducta sit, ut diximus. Ex Occone errorem Com. Mediobarbus & P. Harduinus pag. 343. hauserunt, sed ille nummum ad Neapolim Africanam revocavit.

Uterque nummus mediocris moduli pro raro habendus. Prior à Patino sub Phaneæ urbis nomine cum aliis Antiquariis malè editus pag. 400. *posterior verò ab Oct. Strada pag.* 126.

TROAS.



IMP. C. VIB. GALL. VOLVSIANVS. Caput Volusiani laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Troas urbs Phrygiæ minoris, Colonia ab Augusto facta est in memoriam Julii patris, qui Ilienses multis beneficiis cumulaverat, teste Strabone lib. 13. pag. 594. Καθ' ἡμᾶς μὲν τοι Καῖσαρ ὁ θεὸς πολὺ πλέον αὐτῶν προυνόησε, ζηλώσας ἅμα καὶ Ἀλέξανδρον. Ἐκεῖνος γὰρ κατὰ συγγενείας ἀνανέωσιν, ὥρμησε προνοεῖν αὐτῶν. *Nostra ætate D. Cæsar longè majorem ejus procurationem gessit, simul & Alexandrum imitans. Is enim & ut cognationem renovaret sibi cum Iliensibus intercedentem animum ad eorum patrocinium appulit.* Illis autem agrum attribuit, & libertatem, publicarumque operarum immunitatem eis servavit, quas ipsis Claudius confirmavit; ideo nummos novis Imperatoribus dedicare solebant, eorum gratiam sibi conciliare hoc obsequii monumento studentes. Lupa, solenne est Romanarum Coloniarum symbolum, quæ se eandem quam Roma originem habere gloriabantur.

Hic nummus minimæ formæ pro raro signandus.

TYRUS.



IMP. C. C. VIB. VOLVSIANVS. AVG. Caput Volusiani laureatum.

COL. TYRO. METRO. *Colonia Tyros Metropolis.* Astarte tutulata stans dextram imponit trophæo, sinistrâ scipionem: à sinistris Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit, pro pedibus ejus hinc Silenus, inde Conchylium.

Tyrus Phœniciæ Colonia & Metropolis, plurimos quidem Treboniano patri nummos percussit, ita & Volusiano filio dedicat, ad eorum opem contra Persas provincias sibi conterminas devastantes implorandam, de quibus Pomponius Lætus: *Jam in viscera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias fugato Rege Tiridate occupant, cujus liberi hostibus se dederunt.* Astarte seu Venus Cœlestis Tyri Dea tutelaris est, ideo frequentes ejus Coloniæ nummi simulacrum ipsius exhibent; illa trophæo manum imponit, non ad indicandam Treboniani Imperatoris victoriam de Barbaris Sarmatiam Europæam incolentibus, quos pace cum iis inita in regiones suas ille amandaverat, sed solitum

litum eſt ejus Deæ ſymbolum ob Colonias longè latèque à Phœnicibus ejus auſpiciis deductas, ideo Victoria columnæ impoſita ei coronam imponit, ipſaque Tyrus Coronata & Coronaria à quibuſdam vocata eſt. Silenus pro pedibus Aſtartes, ſui etiam cultum, ut paſſim diximus, indicat: Conchylium, ſolenne eſt urbis inſigne.

Nummum inter incertos locat Com. Mediobarbus pag. 363. linea 10.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariores computandus.



COL. TYRO. METROPOL. *Colonia Tyros Metropolis.* Mulier ſtolata & tutulata porrigit urbis ichnographiam figuræ virili ſtanti, quam duæ aliæ comitantur, lævâ ſceptrum gerit: in area Conchylium.

Jam ſimilis ferè typus in Philippi Senioris nummis à Tyriis vulgatus eſt, quem de Didone Carthaginis ichnographiam Tyri proceribus porrigente expoſuimus; ſed quidam Didonem Carthagine antiquiorem affirmant, & eam tantum inſtauraſſe, ſeu Byrſa adjecta auxiſſe volunt: ut ut ſit, Tyrii Didonis memoriam in nummis ſuis renovarunt, ad antiquitatem urbis ſuæ indicandam. De qua Appianus de bell. Pun. Δίδω, γυνὴ Τυρία, ἧς τὸν ἄνδρα κατέκανε Πυγμαλίων, Τύρε τυραννεύων· καὶ τὸ ἔργον ἐπέκρυπτεν· ἡ δὲ ἐξ ἐνυπνίε τὸν φόνον ἐπέγνω, καὶ μετὰ χρημάτων πολλῶν καὶ ἀνδρῶν, ὅσοι Πυγμαλίωνος τυραννίδα ἔφευγον ἀφικνεῖται πλεύσασα Λιβύης ἔνθα νῦν ἐστὶ Καρχηδών. *Dido mulier Tyria, cujus maritum Pygmalion Tyri tyrannus clam interfecerat. Illa per ſomnum cæde cognita, cum pecuniis multiſque viris tyrannidem fugientibus, navibus in Africam venit, ubi nunc Carthago eſt.* Deinde Auctor narrat quomodo Byrſam arcem condidit. Dido tutulata tanquam Dea urbis tutelaris, ſceptrum gerit ut Regina, Beli Regis filia erat, & Tyrii cum ea fugientes illam pro Regina habuerunt.

Hic nummus primi moduli, eximiæ raritatis eſt & elegantiæ.



COL. TYRO. METRO. *Colonia Tyros Metropolis.* Duo vaſa ſeu diſci, in quolibet palmæ ramus.

Vaſa hæc Tyri certamina fuiſſe celebrata ſub Voluſiano indicant, quorum memoriam in nummis ſuis ipſi conſignaſe voluerunt: at licèt certaminum nomina non appoſita ſint, Actia & Heraclea in Apollinis & Herculis tutelarium urbis Deorum honorem inſtituta exiſtimamus, ut nos docuit Caracallæ nummus, in quo eorum nomina in nummo erant inſcripta, quod vaſa duo confirmant, tot enim, quod certamina: hæc autem in medio ſtadii loco eminentiore ante certantium oculos collocabantur, in quibus palmæ erant; illæ enim etſi alia Hieronicis præmia concederentur, æquè tamen in omnibus palma victoribus concedi ſolebat, ut prodit Jul. Pollux Onomaſt. l. 3. c. 30. Ὁ νικήσας τὰ ἆθλα, ἀνείλετο τὸν ςέφανον, ἀνείλετο τὴν ῥάβδον τῶ φοίνικος, ἢ τὸν φοίνικα ἔλαβεν.

Hic nummus ſecundæ formæ inter rariores aſcribendus.

VIMINACIUM.



IMP. C. VIB. VOLVSIANVS. Caput Volusiani laureatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. XIII. in aliis AN. XIV. *Anno decimo quarto.* Mulier stolata stans manibus infrà expansis, pro pedibus hinc Bos, inde Leo.

Viminacium provinciæ Mœsiæ superioris Colonia, barbarorum irruptiones pertimescens, utpotè iis exposita, Volusiano nummos gratulans percussit, quòd ille à patre Imperator appellatus esset, & sic alterum haberet contra eos propugnatorem : porrò Zosimus narrat Gallum patrem summopere lætatum fuisse, quòd cum iis pacem iniisset. Ταῦτα οὖν οὕτως ὁ Γάλλος διῳκηκὼς, εἰς τὴν Ῥώμην ἀφίκετο, μέγα φρονῶν ἐπὶ τεθείσῃ πρὸς τοὺς βαρβάρους εἰρήνῃ. *His rebus in hunc modum gestis, Romam Gallus venit, magnos ob constitutam cum barbaris pacem spiritus gerens.* Annus XIII. & XIV. à Coloniæ Viminacii deductione sub Gordiano an. U. C. nimirum 993. uti diximus, in Volusiani nummis signantur, prior respondet anno U. C. 1006. alter verò anno 1007. quo Volusianus cum patre occisus est.

Uterque nummus mediocris moduli observatur, prior quidem rarus est & elegans, sed posterior inter præstantiores collocandus : similem typum vulgavit Patinus pag. 399. sine annorum notis.

ACTVM. PR. KAL. AVG. IMPP. DD. NN. GALLO. AVG. II.
ET. VOLVSIANO. AVG. COSS. IISDEM. COSS. EADEM.
DIE. STATIA. IRENE. L. L. H. DONATIONI. MONVMENT.
S. S. SICVT. SVPRA. SCRIPTVM. EST. CONSENSI.
SVBSCRIPSI. ET ASSIGNAVI.

Apud Gruterum pag. 995. 9.



M. ÆMILIUS ÆMILIANUS.

ÆMILIANO Caii prænomen, & Julii nomen licèt hactenus ab omnibus data sint, cùm tamen illa in ejus nummis non occurrant, imò *Marci* & *Æmilii* appellationes in iis observaverimus, illas igitur huic Imperatori jure tribui posse existimavimus: nobis quidem adstipulatur Aur. Victor in ejus Æmiliæ gentis appellatione. Hic in Mœsia Imperator appellatus, post aliquot menses aut morbo extinctus, aut à suis interemptus occubuit.

ÆMILIANI *nummi ex medio modulo hactenus occurrunt, qui eximiæ raritatis sunt.*

DACIA.

IMP. C. M. AEMIL. AEMILIANVS. AVG. Caput Æmiliani laureatum.
PROVINCIA DACIA. In imo AN. VII. *Anno septimo.* Mulier stans dextrâ scipionem, lævâ hastam transversam, pro pedibus hinc Aquila rostro coronam, inde Leo.

Dacia provincia nummos Æmiliano percussit, ipsi gratulata, quòd post barbaros devictos ac repulsos Imperator à militibus electus, tandem à Senatu fuisset confirmatus: de ipso autem inquit Zosimus lib. I. Επιὼν τοῖς ἀνελπίστως ἐκεῖσε βαρβάροις ἀπροσδοκήτως. *Præter expectationem barbaros, in iis locis repertos, adgressus est, &c.* Dacia post libertatem à Philippo sibi concessam annos in nummis computare cœpit, primum verò anno U. C. 1000. secundum anno U. C. 1001. & tertium anno U. C. 1002. quo Philippus & Decius regnarunt, ille quidem occisus, hic verò Imperium adeptus est: quartum sub Decio anno U. C. 1003. quintum sub Decio & Gallo anno U. C. 1004. quo Decius periit, & Gallus Imperator appellatus est: sextum sub Gallo anno U. C. 1005. septimum anno U. C. 1006. quo Gallus & Æmilianus imperarunt, Gallus verò interfectus est, & Æmilianus Imperium per aliquot menses tantùm obtinuit, nam AN. VII. in Valeriani nummis etiam occurrit, quòd Æmilianum anno U. C. 1006. hoc anno interfectum fuisse testatur. Mulier provinciæ Genius est; Aquila Imperii Romani insigne est; Leo autem provinciæ symbolum.

Hic nummus secundæ formæ, à Patino vulgatus pag. 404. inter rarissimos & elegantissimos numerandus.

DAMASCUS.

IMP. C. M. AEMIL. AEMILIANVS. AVG. Caput Æmiliani radiatum.
COLONIA ΔAMACCO MHTPO. *Colonia Damascos Metropolis.* Vas ex quo erumpunt duæ palmæ, in imo S. C.

Marci prænomen, & Æmilii nomen ante Æmiliani appellationem circa caput ancipitem tenuit

Patinum, an nummus ad hunc Imperatorem ſpectaret, cùm characteres inſcriptionis confuſos eſſe exiſtimaret ob hæc nomina, nam ille inquit : *Diſſimulare non poſſum hunc nummum ad Æmilianum fortaſſis non pertinere, characteres enim circum caput poſiti, quamvis ſatis integri, quodammodo confuſi videntur. Deinde caput ornatum eſt coronâ radiatâ, quæ in cæteris ejus nummis æneis non occurrit.* Imò Imperatores in plurimis Syriæ Phœniciæ nummis coronâ radiatâ his temporibus ornantur. Æmilianus igitur Æmilii & non Julii nomen in his nummis ſibi vendicat, & Marci prænomen Æmiliæ genti vulgare aſſumit. Damaſcus etſi à Roma longè diſſita, ob quandam fortè rationem Æmiliani ſtudioſa, nummos ei ſtatim ac Imperator appellatus eſt ſignavit, & ut illius rei memoriam conſervaret, in iis certaminum hoc tempore celebratorum monumentum percuſſit : hæc autem fuiſſe putamus Auguſtea in Auguſti honorem inſtituta, ut nos frequentes Damaſci nummi docuerunt, in quibus vox CEBACMIA intra coronam querceam inſcripta eſt. Notam S. C. in Coloniæ Damaſcenæ appoſitam remur, ob Senatuſconſultum quidem antiquiore more fieri ſolitum, quod Philippus ad Senatum ſibi demerendum petierat : ſententiam verò noſtram confirmare videtur ſimilis S. C. nota in Philippopolis Coloniæ ab eodem Philippo deductæ nummis ſignata.

Hic nummus mediocris, à Patino pag. 404. *vulgatus, eximiæ raritatis eſt.*

VIMINACIUM.



IMP. C. M. AEMIL. AEMILIANVS. AVG. Caput Æmiliani laureatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœſiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. XIIII. Mulier ſtans brachiis verſus imum extenſis, pro pedibus hinc Aquila, inde Leo.

Viminacium Mœſiæ ſuperioris urbs, inter cæteras Æmiliano nummos percuſſiſſe videtur, quòd ille in provincia ſua Imperator à militibus fuerit appellatus, teſte Sex. Aur. Victore. *Sub his etiam Æmilianus in Mœſia Imperator effectus eſt.* Æmilius autem Legionum Pannoniæ Dux, Barbaros in provincias Romanas irrumpentes repreſſit, milites in barbaricum ſolum ſolenni victoria de ipſis relata tranſduxit, & ſic Imperio Romano ſubjectos ab ipſorum furore liberavit. Annus XIIII. in nummo ſignatus, ad Coloniæ ſub Gordiano deductionem ſpectat, qui anno U. C. 1006. reſpondet, quo Æmilianus Imperium tenuit, ſi quidem illa anno U. C. 993. ineunte deducta eſt.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Patino ſine annorum notis editus pag. 404. *inter præſtantiſſimos reponendus.*

D. N. C. ÆMILIANO
FORTISSIMO PRINCIPI
HERCVLI FORTISSIMO
L. VIRIVS PAVLLINVS V. C.
COMES DOMESTICORVM
PRAEF. VRB. D. N. M.
Q. EIVS.

Apud Gruterum pag. 273. 7.



PUB. LICIN. VALERIANUS.





LICINIUS nomen Valeriani præfert *Valeriæ* gentis in Liciniam adoptatæ argumentum, eum enim patre Valerio natum tradit Trebellius Pollio: ille de communi omnium ſententia Imperium adeptus, magno ſtudio rectè rebus conſtituendis incubuit. THESSALONICAM civibus exhauſtam, Coloniam conſtituit; hæc enim fortiter reſtiterat Scythis ſeu Marcomannis urbem obſidentibus, ſed Imperator fraude captus à Sapore Perſarum Rege, tandem ab eo necatus eſt.

VALERIANI *nummi ex omni modulo pro obviis non habendi ſunt, ſed majoris formæ inter raros numerandi.*

B E R Y T U S.



IMP. C. P. LIC. VALERIANUS P. F. AVG. Caput Valeriani laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Figura muliebris tutulata ſtans, dextrâ ſcipionem, lævâ acroſtolium, pede ſiniſtro proræ impoſito: Victoria columnæ impoſita ei coronam porrigit. Varii ſunt typi.

Berytus urbs Phœniciæ Colonia à Julio Cæſare conſtituta, *Juliæ* nomen tulit, deinde ab Auguſto Veteranis frequentata, *Auguſtæ* appellationem *Juliæ* addidit: ipſa nummos Valeriano in Syria pro bello Perſico moranti offerre videtur. Figura ſeminuda non eſt Jupiter, ut putat Com. Mediobarbus pag. 368. ſed Dea, ut tradit Patinus Ind. pag. 26. illa quidem Aſtarte ſeu Venus Beryti ſummopere culta, in quam appuliſſe eam narrat Nonnus Dionyſ. l. 41.

Ποσὶν ἀμοιβαίοισιν ὀπίσερον ὤθεεν ὕδωρ,
Καὶ Βερόης ἐπέβη.
Pedibus alternis poſteriorem impulit aquam,
Et Beroën aſcendit.

Beroën autem à Romanis Berytum fuiſſe appellatam tradit ipſe Nonnus in eodem libro. Aſtarte ſcipionem tanquam inſigne gerit, lævâ acroſtolium, & pedem proræ imponit ad urbis in littore maris ſitum arguendum, cujus tutelam ipſa habebat. Victoria ipſi coronam porrigit, in memoriam populorum ab antiquis Phœnicibus ſub ejus auſpiciis devictorum, de quo paſſim diximus.

Hic nummus primæ & ſecundæ formæ obſervatur; ſed primæ tantùm rarus eſt, ſecundæ à Patino vulgatus eſt pag. 406.



IMP. C. P. LIC. VALERIANVS AVG. Caput Valeriani laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BERY. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus* vel *Berytensis*. Leo gradiens capite radiato.

Leo jam in nummis Beryti signatus subter templum Astartes in Gordiano Tertio pag. 204. occurrit, solus verò radiato capite hîc exhibetur, tanquam urbis insigne, uti plurima alia animalia in hujus tractus civitatibus observamus, Arietem nimirùm in Antiochiæ nummis, Taurum in Chyrristenis, Sagittarium in Bostrenis & Singarenis, Capricornum in Zeugmatensibus, Pegasum in Damascenis & Samosatensibus : sed cùm vetustissima urbium antiquissimæ Beryti facta indagare sit difficile, porrò suspicari liceat ob radios Leoni adjectos, illum ad Leonem inter astra locatum spectare. Berytii forsan sub hoc signo annum inchoare solebant, in quo Sol valido effervet calore; ideo Leonis signum, *Solis domicilium*, appellat Macrobius Saturnal. cap. 21. & Leo in nummo radios è capite emittit.

Hic nummus secundi moduli pro raro habendus.

DAMASCUS.



IMP. CAES. P. LIC. VALERIANVS P. AVG. Caput Valeriani laureatum.

COL. ΔAMAS. METRO. *Colonia Damascus Metropolis*. Hygeia & Æsculapius stantes, hic baculum cui involutus est serpens gerit, illa alterum serpentem pascit.

Hunc nummum Erizzus pag. 558. ita mutilum COL. AM. S. METRO. vulgavit, quem ad Amysum Coloniam spectare protulit; eum sequutus est Com. Mediobarbus pag. 368. sed Amisus in Ponto nec Colonia Romana, nec Metropolis fuit : miror etiam eruditissimum P. Harduinum p. 36. hunc Erizzi nummum ad Amastrim Paphlagoniæ revocasse cum his verbis, *quo fit ut fidenter legendum moneam* COL. AMAS. METROPOL. cùm Amastris pariter nec unquam fuerit Colonia, nec Metropolis; nummus autem ad Damascum Cœlesyriæ Coloniam & Metropolim pertinet, ut nos frequentes hujus urbis inscriptiones docuerunt : nummum quidem Damascus Valeriano in Syria pro bello Persico commoranti, in obsequii monumentum cudisse videtur : in illo Æsculapium & Hygeiam ejus filiam tanquam numina tutelaria apposuit, quibus forsan sacra pro salute Imperatoris ad senectutem vergentis conservanda fecerant.

Hic nummus mediocris formæ inter rariores computandus.

HELIOPOLIS.



IMP. CAES. P. LIC. VALERIANVS. AVG. Caput Valeriani laureatum.

COL. HEL. *Colonia Heliopolis*, in imo : circa verò ambitum, CER. SACR. CAP. OEC. ISEL. HEL. *Certamen sacrum Capitolinum Oecumenicum Iselasticum Heliopolitanum.* Figura virilis nuda vas accipere videtur, sinistrâ palmam præfert.

Heliopolis urbs est Phœniciæ, quam passim Coloniam non à Sept. Severo, ut plerique putant Antiquarii, sed à Julio Cæsare factam, & ab Augusto Veteranis frequentatam diximus : hæc nummos Valeriano in Syria pro bello Persico commoranti gratulans percussit, in iisque ludorum hoc anno celebratorum memoriam consignavit. Figura nuda, Athleta est, vas Victoriæ præmium arripit, & palmam victoris symbolum præfert : certamen autem Heliopoli editum, in epigraphe *Sacrum*, *Capitolinum*, *Oecumenicum*, *Iselasticum*, *Heliopolitanum* vocatur, cùm illud triplex fuerit, Equestre, Gymnicum ac Musicum. Figura nuda Athletam in Gymnico certamine victorem videtur repræsentare, hoc autem à quibusdam videtur Latinè dici posse *Quinquertium*, quoniam ex quinque certandi generibus constabat, cursu scilicet, disco, saltu, lucta, & pugillatu, in quibus nudi decertabant.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter elegantiores computandus.



SAC. CAP. OEC. ISE. *Sacrum Capitolinum Oecumenicum Iſelaſticum.* Duæ figuræ viriles cum pallio ſedent ſibi coronam imponentes, & diſcum in quo duo palmarum rami, ſuſtinentes, arâ inter eos mediâ.

Certamen idem Sacrum, Capitolinum, Oecumenicum, & Iſelaſticum Heliopoli celebratum indicat hic nummus, licèt non præferat epigraphen urbis. Duæ viriles figuræ ſedent, coronam ſibi imponentes ob præmium in hoc certamine relatum ; omnes enim ludorum victores coronabantur, ſed quæ corona in his Capitolinis ludis concedebatur ? forſan ex oleaſtro, ut in Olympicis, cùm iidem pariter Jovi dicati ſint ; hic dictus eſt Olympicus, quòd circa Olympiam Eleæ regionis urbem, celebraretur ; ille Capitolinus, quòd Roma Jovem Capitolinum coleret, quem Coloni ab urbis nomine Heliopolitanum vocaverunt. Figuræ ſedentes eundem diſcum ſuſtinent in quo duæ palmæ, indicantes ſe ex uno certamine illius triplicis Gymnici, nimirùm, Equeſtris & Muſici, victores receſſiſſe, etſi conjecturæ locus ex Muſico, quia ſedent, & pallio induti ſunt ; in Gymnico autem & equeſtre Athletæ nudi erant, in Muſico veſtiti, nam id voce tantùm, modis, organis, & litteris tranſigebatur. Ara in nummo appoſita eſt, ad denotandum ſacra Diis ante & poſt certamina celebrari.

Hic nummus mediæ formæ inter præſtantiores collocandus.



COL. HEL. CERT. SACRV. CAP. OECV. ISEL. *Colonia Heliopolis. Certamen Sacrum Capitolinum Oecumenicum Iſelaſticum Heliopolitanum.* Diſcus ex quo tres palmæ rami prodeunt.

Certamen Sacrum, Capitolinum, Oecumenicum, Iſelaſticum, Heliopolitanum rectè cum Triſtano legendum eſſe, & non certamina, uti ſcripſit P. Harduinus pag. 192. monet vox hæc *Sacru* quæ *Sacrum* ſonat ; ſic enim vocatur, quòd in Dei honorem inſtitutum ſit, Jovi nempe Capitolino, ideò *Capitolinum* dictum eſt ; *Oecumenicum* verò, quòd non modò Athletæ in illo, ſed ex toto terrarum orbe admitterentur ; *Iſelaſticum*, & non *Selaſticum*, ut quidam putarunt, quòd victores in patriam quadrigis invehi ſolerent, Græci εἰσελαύνειν dicebant. Tres palmæ rami in vaſe ſeu diſco tres victorias indicare videntur ; ſed utrum ad victorem ex triplici genere in eodem certamine ſpectent, quem Pantathlum quidam vocant, is nempe erat qui in omnibus unius ex triplici certamine certandi generibus congrediebatur , licèt in quibuſdam ſuccumberet ; an verò tres illæ palmæ pertineant ad victorem trium illorum omnium certaminum , Gymnici nempe , Equeſtris & Muſici, qui Pancratiaſtes dicitur ἀπὸ τῶν πάντων κρατεῖν, hoc eſt, *à vincendo omnia.* Videant Eruditi.

Hic nummus ſecundi moduli inter rariores numerandus.



COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Auguſta Felix Heliopolis.* In imo CERT. SACR. CAP. OEC. ISEL. HEL. *Certamen Sacrum Capitolinum Oecumenicum Iſelaſticum Heliopolitanum.* Tria vaſa ſeu diſci cum palmis.

Hæc tria vaſa triplex illud certamen, Gymnicum nempe, Equeſtre & Muſicum , Heliopoli celebratum indicant : hæc vaſa, *diſci* cognominata eſſe videntur, ſi quidem *diſcus* vas erat latum & rotun-

rotundum, ut tradit Jul. Pollux, in quo victoriæ præmia reposita mensæ imponebantur, ut sæpe in nummis observavimus, & quorum meminit Pausanias lib. 5. pag. 325. Καὶ ὁ Ἰφίτου δίσκος, καὶ τράπεζα, ἐφ' οἷς προτίθενται τοῖς νικῶσιν οἱ στέφανοι. *Iphiti discus, & mensa super qua victoribus coronæ deponuntur.* Palmæ ramus in vasis, victoris insigne est, victoriam quidem denotans, sed non præmium: cur autem unus tantùm ramus in dexteriori & sinisteriori vase, & duo in illo qui medium occupat, nisi duo præmia denotare videantur ab ipso obtinenda qui in duobus certaminibus victor extiterit.

Hic nummus mediocris formæ, à Tristano tom. 3. pag. 5. editus, pro raro & singulari habendus.

PTOLEMAIS.



IMP. CAES. P. LIC. VALERIANVS AVG. Caput Valeriani laureatum.
COL. PTOL. *Colonia Ptolemais.* Diana Venatrix in templo distylo circa quod signa Zodiaci, illa sagittam è pharetra dorso imposita depromit, sinistrâ arcum.

Ptolemais urbs Phœnices, priùs Ace nominata, à Ptolemæo Lagi filio diruta, & ab eo aut à Philadelpho filio restaurata & ampliata, Regis nomen tulit: Colonia à Claudio constituta est, teste Plinio, nummos illa Valeriano ad bellum Persicum contendenti percussit. Diana sui cultum Ptolemaide indicat, cujus templi ichnographiam nummus exhibet. Zodiacus duodecim continens signa, ad Astronomiam spectat, illum Ptolemaidenses exhibuisse videntur, in memoriam ejus scientiæ à majoribus suis olim repertæ, nam Strabo & Plinius narrant, Phœnices ipsius plurimum fuisse peritos, hic enim lib. 5. cap. 12. *Ipsa*, inquit, *gens Phœnicum in magna gloria litterarum, inventionis, & siderum*, qua de re Propertius lib. 2. v. 989.

Quæritis & Cœlo Phœnicum inventa sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter elegantiores habendus.



IMPERATOR. LICINIVS VALERIANVS AVG. Caput Valeriani laureatum.
COLONIA PTOLEMAIDENS. *Colonia Ptolemaidensis.* Ara ex cujus imo sese erigunt serpentes, à sinistris caduceus.

Hic Ptolemaidensis Coloniæ nummus sacrificii pro felici eventu belli contra Persas à Valeriano suscepti monumentum exhibere videtur; in eo ara est ob sacra ab illa in hanc rem Diis facta; serpentes, victoriarum sunt indices, ut & caduceus felicitatis symbolum: sacra autem licèt fausta fuissent, & de barbaris victoriam indicarent, Imperatorem fefellit eventus, ipse enim à Sapore captus est, cujus rei meminit Treb. Pollio in ejus vita de illo loquens: *Ut puderet altius virum extollere, qui fatali quadam necessitate superatus est. Victus est enim à Sapore Rege Persarum.* Oedenatus Palmyrenus collecto exercitu cùm videret Gallienum patris captivitatem negligere, Saporem adortus est, eum vicit, fudit, & intra limites proprios redegit; Valerianum tamen liberare non potuit, quem Sapor iratus interemit.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariores & elegantiores reponendus.

THESSALONICA.



ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. Caput Valeriani radiatum.

ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩΝ. Θεσσαλονίκη Μητρόπολις Κολωνία. Diverſæ ſunt epigraphæ. Figura muliebris turrita & ſtolata ſtans, dextrâ Cabirum ſuſtinet, lævâ cornucopiæ, pro pedibus ara.

Theſſalonica urbs Macedoniæ ad ſinum Thermaicum, priùs *Therme* dicta, deinde à Caſſandro Rege civibus frequentata, in honorem Theſſalonicæ uxoris de nomine ejus appellata eſt, teſte Strabone lib. 7. Metropolis & Colonia à Valeriano facta videtur, cùm in ipſius Imperatoris nummis modò ſine iis titulis epigraphen ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Β. ΝΕ. præferat, modò hanc inſcriptionem ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΗ ΜΗΤ. ΚΟΛΩΝ. habeat. Hos autem honores obtinuit, poſtquam ejus cives urbem à Scythis obſeſſam liberarunt, cujùs meminit Zoſimus lib. 1. Εἰς ἔσχατον μὲν ἡ Θεσσαλονίκη ἐλήλυθε κινδύνου· μόλις δὲ καὶ σὺν πόνῳ πολλῷ τῆς πολιορκίας λυθείσης, τῶν ἔνδον καρτερῶς ἀντισχόντων. *Ad extremum redacta periculum Theſſalonica fuit: cujus obſidione vix magno labore ſoluta, fortiter hoſti reſiſtentibus iis, qui in urbe erant.* Theſſalonica beneficiorum memor nummos munificentiſſimo Imperatori dedicat: ara verò in iis ſignata, ſacra pro ejus ſalute à Theſſalonicenſibus facta indicat, & quidem Cabiro Deo quem Genius urbis dextrâ ſuſtinet. Ille enim in eorum urbe magnopere cultus fuit, cujus numinis myſteriis initiatum narrat Philippum Plutarchus in Alexandro p. 665. Λέγεται δὲ Φίλιππος ἐν Σαμοθράκῃ τῇ Ὀλυμπιάδι συμμυηθεὶς, αὐτός τε μειράκιον ὢν ἔτι. *Fama eſt in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, quum eſſet ipſe tum adoleſcens.* Credebantur autem myſteriis imbuti, juſtiores fieri & ſanctiores, & in quibuſcumque periculis præſentiſſimos habere Deos Cabiros, & à naufragio maximè eſſe prorſus immunes.

Hic nummus mediocris inter rariſſimos numerandus.

TROAS.



IMP. LICINIVS VALERIANVS. AVG. Caput Valeriani laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Silenus ſtans cum tribus ſociis.

Troas, de qua paſſim diximus, Colonia ab Auguſto facta, plurimos Valeriano nummos percuſſit; in hoc Silenum cum ſociis exhibet, ut jam in Alex. Severo pag. 126. vulgavimus, quem typum ad quoddam Sileni ſeu Bacchi feſtum retulimus, cujus memoriam in nummis urbs conſignare voluit: plurima autem hujus Dei feſta celebrabantur, Agrionia, Antheſteria, Aſcolia, Bacchanalia, Dionyſia, Liberalia, & alia. Silenus Bacchi pædagogus, Sileni & comites & Satyrus adſunt, quales forſan in pompæ apparatu procedebant qui illos imitabantur: Plutarchus Antonium Liberi Patris æmulum Epheſum acceſſiſſe Bacchica pompa narrat in ejus vita. Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ, γυναῖκες μὲν εἰς Βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς Σατύρους καὶ Πᾶνας ἡγοῦντο διεσκευασμένοι. *Igitur cùm Epheſum ingrederetur, mulieres quidem Baccharum habitu, viri autem & pueri Satyrorum atque Panum cultu ornati præibant.* Silenus porrò in Troadis Coloniæ nummis ſæpiùs occurrit, ſui cultum in hac urbe indicans, ad quem forſan feſtum ſpectat.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter præſtantiores habendus.



COL. AVG. TRO. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Victoria pede ſupra globum, ambabus coronam ſupra caput extollens.

Troadenſes hunc Valeriano typum, tanquam per totum orbem de barbaris victori cuderunt: Victoria enim globo pedibus non inſiſtit tanquam debellatis ubique jam hoſtibus, ſed gradiens velut depingitur, ab una provincia tanquam ad alteram pergens: barbari autem undique intra Imperii limites irruperant, ita ut teſte Zoſimo Valerianus Gallienum filium Imperii conſortem ad provincias Europæ tuendas miſerit, & ipſe contra Perſas in Orientem profectus ſit. Συνιδὼν δὲ ὁ Βαλεριανὸς τὸν πανταχόθεν ἐπικείμενον τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ κίνδυνον, αἱρεῖται Γαλιηνὸν τὸν παῖδα τῆς ἀρχῆς κοινωνόν· ἐνοχλουμένων δὲ τῶν πραγμάτων πανταχόθεν, αὐτὸς μὲν ἐπὶ τὴν ἑῴαν ἤλαυνε, Πέρσαις ἀντιστησόμενος. *Valerianus animadverſo periculo, quod Imperio Romano cunctis ex partibus immineret, Gallienum filium Imperii conſortem deligit,*

& quòd undique publicæ res infeſtarentur, ipſe verſus Orientem movet, ut Perſis reſiſteret, Europæos exercitus filio tradit. Victoria coronam tanquam victoris præmium manibus ſublatis præfert.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 407. vulgatus, pro raro numerandus.





COL. AVG. TROA. *Colonia Auguſta Troadenſis.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.
Eadem epigraphe. Equus paſcens ſine freno.

Prior nummus ad originem Romæ ſpectat, hunc verò typum Coloniæ frequenter ſignabant tanquam ex ipſa Roma propagatæ, teſtis eſt Troas, quæ eundem Commodo, Caracallæ, Elagabalo, Alex. Severo, & Mamææ dedicavit: alter verò nummus ad immunitates urbi à Claudio conceſſas pertinet, de quibus in Commodo, Sept. Severo, Caracalla, Elagabalo, Alex. Severo, Mamæa, & Maximino circa eundem typum diximus. Lupæ ubera Romulo & Remo præbentis hiſtoriam aut fabulam nemo neſcit, ita ut de hac iterum verba facere ſuperfluum exiſtimemus.

Uterque nummus minimæ formæ obvius eſt, prior à Patino pag. 407. editus.

TYRUS.





IMP. C. P. LIC. VALERIANVS P. F. AVG. Caput Valeriani laureatum.
COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Hercules ſacrificat ad Aram, lævâ clavam & ſpolia Leonis gerit: in area hinc duæ petræ metarum inſtar, inde Conchylium.
Eadem epigraphe. Hercules dextram apponit trophæo, lævâ clavam & ſpolia Leonis; in area verò eædem petræ & Conchylium.

Tyrus plurimos Valeriano in Syria pro bello Perſico moranti nummos percuſſit, in his ambobus Herculem Deum tutelarem exhibet, Imperatori victorias heroïs ſui augurans. Plutarchus narrat Alexandrum in ejus vita Herculem manum ex muro ſibi tendentem vidiſſe, dum ille urbem obſideret. Οναρ εἶδε τὸν Ἡρακλέα δεξιούμενον αὐτὸν ἀπὸ τοῦ τείχους καὶ καλοῦντα. *Per quietem Herculem vidit ex muro ſibi manus tendentem, invitantemque.* In priori nummo Tyrii Herculem pateram ſuper aram tenentem exhibuerunt, ut ſacra huic Deo pro Valeriano facta ipſi grata fuiſſe oſtenderent, quod ſemper numen aliquot cum Imperatore ſacra ſimul perpetrans indicat. In poſteriori Herculem dextram trophæo apponentem, ut ſæpe depingunt Aſtarten, ſignarunt: hoc verò trophæum non ad victorias Valeriani ſpectat, cùm is captus ſit à Sapore Perſarum Rege, ſed illud ad Phœnicum fines longè latèque ſub Herculis ſicut ſub Aſtartes auſpiciis, propagatos pertinet, quod in ſimile augurium Tyrii Valeriano exhibent. Duæ illæ in area petræ, Ambroſiæ dictæ ſunt apud Nonnum Dionyſ. lib. 41. ad Tyri originem indicandam appoſitæ. Conchylium urbis perpetuum inſigne, ob uſum purpuræ inventum.

Uterque nummus primæ magnitudinis inter raros & elegantes collocandus.



IMP. C. P. LIC. VALERIANVS AVG. Caput Valeriani radiatum.
COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Mercurius ſeminudus cum pallio ſtans, dextrâ baculum, lævâ caduceum, pro pedibus hinc Ibis, inde Palma arbor & Conchylium.

Mercurius

Mercurius in hoc Tyriorum nummo, ſui cultum in eorum urbe indicat, dextrâ baculum, quem radium appellant quo globus tangitur, quia Mercurius Aſtronomiam primus inveniſſe dicitur; de illo Diodorus lib. 1. p. 10. Περί τε τῆς τῶν ἄστρων τάξεως, καὶ περὶ τῆς τῶν φθόγγων ἁρμονίας καὶ φύσεως τοῦτον πρῶτον γενέσθαι παρατηρητήν. *Diſtributam aſtrorum ſeriem, vocumque harmonias & naturas princeps obſervavit.* Ibis Mercurio dicata avis pro ejus pedibus apponitur, quòd ille in Ibim ſe mutaverit, ut narrat Hyginus Aſtron. lib. 2. *Ægyptii autem ſacerdotes, & nonnulli poëtæ dicunt, cùm plures Dii in Ægyptum conveniſſent, repente veniſſe eodem Typhona acerrimum giganta, & maximè deorum inimicum: quo timore permotos, in aliam figuram ſe convertiſſe. Mercurium factum eſſe Ibim.* Mercurius autem Thaautus ſeu Thautus vocatur à Phœnicibus, ut in Lactantii annotatione oſtendit Lil. Giraldus. Mercurius caduceum pro ſymbolo gerit. Palma ad hujus arboris abundantiam circa urbem indicandam appoſita eſt, ſeu ut alii volunt, ad nominis φοῖνιξ etymologiam Phœniciæ & Palmæ communem. Conchylium ſolenne Tyri inſigne eſt.

Hic nummus mediocris formæ, in muſeo R. P. de la Chaiſe Regi à Confeſſionibus, perrarus eſt.



IMP. C. P. LIC. VALERIANVS P. F. AVG. Caput Valeriani radiatum.

COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Mulier tutulata ſtans, dextram imponit trophæo, lævâ ſcipionem, pro pedibus hinc Silenus, inde Conchylium: Victoria columnæ impoſita Aſtarti coronam porrigit.

Occo pag. 462. nummum vulgavit mutilum COL. TRO. C..... quem ad Troadem retulit Com. Mediobarbus pag. 368. ſed ad Tyrum ſpectat, nec figura militaris eſt, ut ille putat, nec eſt Imperator, ut hic exiſtimat, ſed Mulier eſt tutulata, Aſtarte ſeu Venus dicta, de qua fusè paſſim diximus: illam Adoni nupſiſſe tradunt, quam Architida vocat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 21. *Apud quos*, inquit, *Veneris Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent.* Vide quæ de illa retulit Bochartus lib. 2. cap. 16. Venerem ſeminudam exhibent, ad formoſas corporis ejus partes patefaciendas. Geographus autem Anonymus ſub Conſtantio illam refert *Mulieribus gratiam formoſitatis dare.* Tutulata eſt ut Genius urbis, ſub cujus Deæ tutela Tyrus erat. Victoria coronam ei porrigit, in memoriam victoriarum quas ea auſpice retulere olim Phœnices, ut ſæpius diximus. Silenus ſui etiam cultum in urbe denotat, ut illum à plurimis Phœniciæ urbibus ſumma veneratione coli ex nummis obſervavimus. Conchylium perpetuum Tyri ſymbolum.

Hic nummus primæ magnitudinis rarus eſt: hunc Jo. Petr. Bellorius in ſecunda Angeloni editione vulgavit pag. 260. ſed figuram ſolitæ Aſtartes Valerianum eſſe exiſtimavit, & pro Sileno ad ejus pedes Cupidinem genuflexum ſubſtituit.



COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Mulier ſtolata ſtans ante portam urbis ſupra quam artifex eam conſtruit, pro pedibus operarius terram ligone aperit, pone quem Conchylium, Mulier ſcipionem gerit, lævâ ſceptrum, pone eam, in imo palma arbor.

Hunc nummum à Tyriis in Valeriani honorem percuſſum vulgavit Triſtanus, cujus typum ad hiſtoriam Stratonis Tyriorum Regis à plebe creati revocat; illum ſequutus eſt Patinus, aitque, *ſi non placet ænigmatis ſolutio, feliciùs ſolvat quiſpiam.* Sed Triſtanum fefellit Conchylium Tyri ſymbolum, cujus aculeos pro radiis caput humanum circumdantibus accepit. Jam ſimilis typus in Elagabalo & Otacilia prodiit, quem Didoni tribuimus, ut declarat ejus nomen ΔΕΙΔΩΝ in ima nummi Elagabali parte ſcriptum. Tyrii Heroinam ſuam, Carthaginis aut ejus arcis mœnia condentem, ad antiquitatem urbis ſuæ indicandam repræſentarunt. Triſtanus cornucopiæ etiam pro palma arbore protulit, quam Tyrii ad earum abundantiam in agro ſuo denotandam, frequenter in nummis apponunt; ut & Conchylium, ob uſum purpuræ inventum.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis, à Triſtano tom. 3. pag. 8. & à Patino pag. 406. vulgatus, inter rariores aſcribendus.



IMP. C. P. LIC. VALERIANVS AVG. Caput Valeriani radiatum.
COL. TYRO. METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Victoria gradiens, dextrâ coronam, lævâ palmam.

Victoria in hoc Valeriani nummo à Tyriis percussa, Victoriam aliquam ab hoc Imperatore aut ab ejus legatis relatam denotare videtur, quod confirmant frequentes in ejus nummis inscriptiones VICTORIA AVGG. Sed an ad Germanicam spectet, cùm etiam occurrat in iis VICTORIA GERMANICA; an verò ad Parthicam, ut testatur nummus à Mediobarbo pag. 368. allatus cum epigraphe VICTORIA PARTHICA, dubium movere potest: Tyrus porrò quæ nummum cudit, Persis proxima, bello Persico favet; Valerianus autem in quodam concursu superior forsan fuit antequam caperetur, unde populi in lætitiæ signum nummos signarunt.

Hic nummus mediocris moduli inter raros collocandus.



IMP. C. P. LICINIVS VALERIANVS P. F. AVG. Caput Valeriani radiatum.
COL. TYRO METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Arbor inter duos prægrandes lapides, in imo Ara & Conchylium.

Hic nummus ad originem Tyri urbis indicandam percussus videtur; arbor, oliva est; petræ sunt Ambrosiæ dictæ, de quibus Nonnus Dion. lib. 40.

Καὶ σπιλάδων ἐπέβαινον, ὅπη φυτὸν ἦεν Ἀθήνης.
. . . . *Et petras intrarunt, ubi arbor erat Minervæ.*

Idem auctor narrat Herculem Astrochitonem Tyrios monuisse, ut navim conscenderent, quas eos fabricare docuit, & petras in mari quærerent Ambrosias, supra quas Aquilam ab ipsis inventam Neptuno mactarent, quo peracto sacrificio, petræ sponte immotæ fierent, & in quibus urbis fundamenta ponerent: audi Nonnum eodem loco hanc urbem laudibus celebrantem.

Νῆσον ἐν ἠπείρῳ πόθεν ἔδρακον, εἰ θέμις εἰπεῖν,
Τηλίκον ἢ ποτε κάλλος ἐσέδρακον.
Insulam in continente unde vidi? si fas dicere,
Tantam pulchritudinem nunquam vidi.

Ara pro Imperatoris salute sacra à Tyriis perpetrata indicat. Conchylium, solenne urbis symbolum.

Hic nummus primæ formæ inter rariores reponendus.



COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Aquila alis semiexpansis rostro coronam tenet, pone Aquilam vexillum in quo LEG. III. GAL. *Legio tertia Gallica.* In area Conchylium.

Frizzus hunc nummum vulgavit mutilum pag. 551. & sic divisit, COL..... ROM. ET. quem à Colonia quadam Romæ & Augusto dicatum narrat; eundem verò Coloniæ Romuleæ tribuit Com. Mediobarbus: sed ad Tyrum pertinet nummus, de quo in Caracalla p. 49. & in Treb. Gallo p. 218. diximus. Imperii Romani insigne est Aquila, quam Tyrus Colonia Romana facta exhibet. Labarum pone eam, Legionis tertiæ Gallicæ nomen præfert, cujus Veterani Tyrum à Sept. Severo fundatore

fundatore transmissi sunt. Hæc Legio à Julio Cæsare in Transalpina Gallia inter alias conscripta, Tertia nomine appellata est, in Hispania ab Augusto ad provinciæ custodiam collocata, post in Germaniam sub Claudio, deinde in Syriam à Nerone traducta, in Phœnicia tandem hyberna agebat, cùm Sept. Severus eam contra Parthos eduxit, & ob navatam ab ipsa in eo bello fortiter operam, illius Veteranos in Coloniam deduxit: Dio ipsam Alex. Severi tempore adhuc in Phœnicia morari tradit; sed nummi Gallieni, qui Legiones omnes cum eorum nominibus & insignibus exhibent, ejus non meminerunt; an illa tunc dimissa, vel in aliam cooptata fuerit, incertum.

Hic nummus primæ magnitudinis rarior est quàm secundæ.

VIMINACIUM.



IMP. VALERIANVS P. AVG. Caput Valeriani laureatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium.* In uno AN. XIIII. in aliis AN. XV. in aliis AN. XVI. *Anno decimo sexto.* Mulier brachiis expansis stans, pro pedibus hinc Bos, inde Leo.

Viminacium urbs superioris Mœsiæ, Colonia à Gordiano facta, nummos à Coloniæ fundatione sedulo omnibus Imperatoribus cudit, ut eorum curam his monumentis ad suam defensionem excitaret adversus barbaros provincias Romanas sibi proximas depopulantes. Ipsa in nummis annos æræ fundationis perpetuò signavit, ita ut per eos Imperii finis, & initium cujusque Imperatoris ab hoc tempore certò innotescant, quod jam suprà notavimus; hic verò nummus annum XIIII. sub Valeriano signans, ut in Treboniano patre, Volusiano, ejus filio, & Æmiliano, denotat eos omnes anno U. C. 1007. decessisse, & Valerianum Imperium continuò arripuisse, si quidem ad annum U. C. 993. quo Viminacium Colonia constituta est, anni quatuordecim adjecti, constituent eundem annum U. C. 1007. secundus nummus annum XV. exhibens, anno U. C. 1008. cusus est, ut & alter cum AN. XVI. signatus, anno U. C. 1009. sed ab hoc anno 16. epochæ Viminacii nummi nec in Valeriano nec in Gallieno amplius occurrunt. Mulier, ut suprà dictum est, urbem seu urbis Genium repræsentat, Bos Coloniæ symbolum, Leo autem urbis insigne.

Hi nummi secundæ magnitudinis pro raris habendi, unus ex iis malè cum AN. II. *à Patino pag. 406. vulgatus est.*



P. LICINIUS GALLIENUS.





GALLIENUS Licinii Valeriani filius, Liciniæ quidem gentis nomen tulit ut pater, ſed pro Valeriani appellatione, Gallieni nomen à matre Galliena aſſumpſit : nam Treb. Pollio illius avum maternum ſcilicet nomine Gallienum appellat. Mariniana autem ſecunda erat patris ejus uxor, & Valeriani fratris mater. Gallienum Colonias deduxiſſe non legimus, ſed inſcriptio ſuper antiquam Veronæ urbis portam, hanc Coloniam novam Auguſtam Gallienianam appellatam fuiſſe nos docet ob muros urbis ſuæ juſſu Gallieni Imperatoris fabricatos.

Nummi Gallieni ex omni modulo non obvii ſunt, ſed primi inter raros habendi.

A P A M E A Bithyniæ.





IMP. C. LICI. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni radiatum.
COL. IVL. CONC. AVG. APAM. *Colonia Julia Concordia Auguſta Apamena.* In area D. D. *Decreto Decurionum.* Figura virilis tutulata ſeminuda ſtans, dextrâ temonem, lævâ cornucopiæ.

Multiplices ſunt Apameæ nominis urbes, ſed ea quæ in Bithynia eſt, ſola Coloniæ Romanæ dignitatem accepit, cujus meminit Plinius lib. 5. cap. 32. *Intus in Bithynia, Colonia Apamena.* Illa *Juliæ* nomen præferens, à Julio Cæſare deductam denotat; at *Concordia* cognominatur, quod ipſa cum Pruſia urbe ab eodem Bithyniæ Rege condita ſeu reſtaurata ſit, hæc de Pruſiæ Regis nomine dicta, illa de Apame ejus uxore appellata, tanquam ſorores inter ſe concordes fuere, ita ut ambæ pro Julio contra Pompeium ſteterint, & pro mercede Pruſias urbs libertatem accepit, Apamea verò Colonia facta eſt. Hæc Gallieno nummos percuſſit in obſequii monimentum, cùm Scythæ Bithyniam ingreſſi eſſent, ut innuere videtur Trebel. Pollio in ejus vita. *Dum hæc apud Perſas geruntur, Scythæ Cappadociam pervaſerunt : illic captis civitatibus, bello etiam vario, diu acies ad Bithyniam contulerunt.* Apameni pro nummi typo Genium urbis, Gallieno adulantes, ſignarunt, quaſi ille eos tanquam Deus tutelaris conſervaſſet.

Hic nummus ſecundæ formæ inter rariores adſcribendus.



IMP. CAES. P. LIC. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni radiatum.
COL. IVL. CONC. APAM. AVG. *Colonia Julia Concordia Apamena Auguſta.* In area D. D. *Decreto Decurionum.* Victoria gradiens dextrâ coronam, lævâ palmam.

Apameni Bithyniæ Gallieno nummos ob victoriam ab eo relatam percuſſerunt ; ſed ad quam nummus iſte ſit referendus, pronunciare difficile, cùm ille barbaros in omnes provincias irrumpentes ubique repelleret, plurimi enim eodem tempore ditiones Romanas populati ſunt, ut Zoſimus tradit lib. 1. Scythas incurſionibus poſtquam per fretum Byzantinum navigiis tranſiiſſent, Apamenos ipſos vexaſſe. Ἐπιδραμόντες δὲ Νικαίᾳ καὶ Κίῳ καὶ Ἀπαμείᾳ καὶ Προύσῃ, τὰ παραπλήσιά τε καὶ ἐν ταύταις πεποιηκότες, ἐπὶ τὴν Κύζικον ὥρμησαν. *Quumque Nicæam, & Cium, & Apameam, & Pruſam iiſdem incurſionibus*

sionibus vexassent, & in illis paria designassent; Cyzicum petiere. Sed non modò barbari Romanum Imperium infestarunt, imò plurimi Tyranni in provinciis Imperatores appellati illud turbarunt. Victoria à vinctura dicta est, teste Varrone. *Tellus enim quod prima vincta cœlo, Victoria ex eo: & ideo hæc & palma, quod corona vinculum capitis, & ipsa à vinctura dicitur.*

Hic nummus mediocris moduli inter rariores reponendus.

BERYTUS.



IMP. P. LIC. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytensis.* Figura muliebris tutulata stans, dext. scipionem in crucem efformatum, sinistrâ acrostolium, in aliis pede proræ imposito: à sinistris Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit.

Berytus urbs est & Colonia Phœniciæ, quam Nonnus Dionysi lib. 41. omnium urbium antiquissimam tradit.

Πρωτοφανὴς, αἰῶνος ὁμόσπορε, σύνθρονε κόσμου,

Prima apparens cum ævo simul sata, in æquali sede sedens cum mundo.

Nummos plurimis de causis Gallieno percussisse videtur, sed potissimum ad demonstrandam suam erga ipsum perpetuam fidem. Mulier illa Astarte est seu Venus, solita Beryti tutelaris Dea, quæ de filia Beroes nomine urbem Beroen appellavit, teste eodem Nonno.

Καὶ Βερόης μενέαινεν ἐπώνυμον ἄστυ χαράξαι.

Et Beroes studebat urbem cognominem signare.

Beroe deinde à Romanis, postquam illi Syriam in provinciam redegerunt, Berytus dicta est. Ad hanc autem urbem pertinent duo nummi inter incertos à Mediobarbo relegati pag. 879. alter ex Erizzo, alter ex Lævino Hulsio depromptus. De Astartes attributis ac de Victoria, vide quæ passim de iis diximus.

Hic nummus primæ & secundæ formæ occurrit, sed primæ pro raro habendus.

DACIA.



IMP. GALLIENVS PIVS AVG. Caput Gallieni laureatum.

PROVINCIA DACIA. In imo AN. VII. *Anno septimo.* Mulier stans vestitu patrio ornata cum galericulo in capite, utraque signum militare, in quorum dexteriori nota V. sinisteriori verò XIII. pro pedibus hinc Aquila rostro coronam, inde Leo.

Dacia provincia Romana notissima, à Trajano addita Imperio, nummos Græcè ut aliæ ejus tractus provinciæ, scribere solita, eos sub Philippo Latinè exarare cœpit, additâ ipsis annorum notâ, eam ideo liberam, & juris Italici participem ab hoc Imperatore factam augurati sumus, cujus beneficii memor annos ab hoc tempore computavit: at cum I. II. & III. tantùm in Philipporum nummis signaverit, id ab hoc Imperatore factum anno ipsius Imperii quarto, & U. C. 1000. existimavimus, si quidem ille an. U. C. 1002. occisus est, Dacia autem annos IIII. & V. sub Decio cudit, annis U. C. 1003. & 1004. respondentes, in quo ultimo Decius periit: deinde annos VI. & VII. sub Treb. Gallo notavit annis U. C. 1005. & 1006. congruentes, quo ultimo Gallus occisus est: at cùm Dacia eodem æræ suæ anno VII. nummos Hostiliano, Gallo, Æmiliano, & Gallieno percusserit, id indicat eos omnes hoc anno imperasse, Hostilianum nempe ineunte hujus æræ anno mortuum, Gallum post aliquot menses occisum, Æmilianum post alios tres interfectum, Valerianum denique & Gallienum illo exeunte Imperatores fuisse appellatos. Mulier Provinciam repræsentat, Aquila Imperii Romani symbolum est, ut Leo provinciæ insigne.

Hic nummus mediocris formæ, in Thesauro Regio inter rariores reponendus. Patinus alterum typum pag. 411. profert; sed cùm is annorum notas non exhibeat, an ad VII. nec ne pertineat, ignoratur.

DAMASCUS.



IMP. LIC. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni laureatum.

COL. ΔAMAS. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis*, circa ambitum: CEBACMIA in corona quercea.

Damaſcus urbs Cœleſyriæ, licèt Coloniæ titulum ante Metropolis dignitatem in nummis ſcribat, hanc longè priùs prærogativam ante Coloniæ deductionem obtinuit, ſi quidem eam ab Auguſti liberalitate accepit, in Nicolai Damaſceni hujus Imperatoris amiciſſimi gratiam, ut diximus, cujus beneficii illa memor certamina hæc Σεβάσμια ſeu Auguſtea inſtituit, in quibus victores quercea coronabantur, ut indicat ipſa in nummis percuſſa corona: inſcriptio autem celebrationem illorum ſub Gallieno hoc anno factam denotat. Sed Damaſcus Coloniæ honorem longè poſtea habuit, cùm eam à Philippo tantùm deductam obſervaverimus, ut fusè in ejus nummis diximus. Corona quercea ob cives ſervatos à Romanis concedebatur, quæ Auguſto à Senatu decreta eſt: ut autem corona ex quercea ei qui civem ſervaſſet, concederetur, id cauſæ fuit, quod cùm primi homines quercina glande veſcerentur, hæc arbor in humanæ vitæ ipſi ſuſtentaculum data à Jove dicebatur; ita qui civem ſervaverat, coronam ex quercu tanquam vitæ prorogatæ præmium referebat.

Hic nummus ſecundæ magnitudinis inter rariores computandus.

HELIOPOLIS.



IMP. CAES. P. LIC. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Auguſta Felix Heliopolitana.* Caput Gallieni ſub Mercurii effigie, pone quem caduceus, ex adverſo caput Saloninæ ejus uxoris ſub imagine Genii turriti.

Heliopolis à nobis modò Phœniciæ, modò Cœleſyriæ urbs dicta eſt, quatenus à Geographis ponitur: qui autem eam in Phœnicia collocant, duplicem Phœniciam faciunt, unam propriam ſeu littoralem, alteram Libaniſiam ſeu Damaſcenam, quæ Cœleſyria aliis dicitur. Heliopolis Colonia à Julio Cæſare facta, & ab Auguſto Veteranis frequentata eſt, quos ex Legionibus v. *Macedonicæ*, & VIII. *Auguſtæ* eductos fuiſſe nos edocuit perrarus noſter Philippi nummus: hæc nummos Gallieno cudit, ipſumque ut Mercurium Deum tutelarem, ut & Saloninam ejus uxorem tanquam urbis Genium exhibuit. Heliopolitani Mercurium præcipuè colebant, ut in eorum nummis Philippo ſignatis pag. 166. obſervavimus, ob celeberrimum ejus templum in eadem urbe ædificatum pag. 166. Caduceus Mercurii ſymbolum pone ejus caput, virga erat qua ille ad diffidia tollenda utebatur, à cadendo dicta, quòd contentiones & bella cadere faceret.

Erizzus hunc nummum ita depravatum COL. IC. FEL. HEL. pag. 564. protulit, quem reſarcire tentavit Triſtanus tom. 3. pag. 86. cum hac epigraphe COL. RICI. FEL. HEL. & interpretatus eſt, *Colonia Ricina Felix Helvia.* Nummo Helviæ Ricinæ in Piceno urbi attributo: hunc Patinus pag. 412. ritè refert ad Coloniam Juliam Auguſtam Felicem; ſed quàm malè pariter Helviam dixit, hos ſequutus eſt Com. Mediobarbus pag. 379. Triſtani & ejus ſequacium errorem notavit quidem P. Harduinus pag. 191. & 192. ſed ab aliis edoctus, poſtquam notas ſuas ad Plinium in lucem emiſiſſet, nam in iis l. 5. ſect. 18. agens de Heliopoli, ne verbum quidem de ipſius urbis nummis.

Hic nummus primæ & ſecundæ formæ inter elegantiores collocandus.



COL.

COL. IVL. AVG. FEL. HEL. *Colonia Julia Augusta Felix Heliopolitana.* Duo cornua fructibus repleta decussatim, caduceo intermedio.

Cornu fructibus refertum, cornu Amalthææ dicitur, idem quod cornucopiæ, cujus fabula variè narratur apud Autores : qui illud Amalthææ vocant, Jovem tradunt in Creta nutritum lacte capræ cui nomen erat Amalthæa, quam Jupiter jam adultus ob acceptum beneficium in sidera retulit, hujus alterum eorum nymphis nutricibus dedit, videlicet officii præmium, hanc adjiciens facultatem, ut quidquid optassent, id illis ex eo cornu largiter suppeditaretur : alii qui ipsum cornucopiæ appellant, ipsum ab Hercule Acheloo, cùm se in taurum mutasset, devicto detractum fuisse memorant, quod Naiades acceptum & omnium fructuum primitiis refertum, Copiæ consecrarunt, id propterea abundantiæ symbolum dicitur, ut & caduceus pacis. Heliopolitani quem typum in nummis cuderunt, cùm Valerianus & Gallienus imperare cœperunt, augurantes sub iis abundantiam & pacem æternam.

Hic nummus minimi moduli, à Patino pag. 411. editus, pro raro habendus.

HIPPO Regius.



IMP. C. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni laureatum.
C. G. IVL. H. A. P. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Augusta Pia.* Victoria insistens globo, utraque manu coronam supra caput attollens.

Hippo urbs Africæ littoralis gemina, unde in nummis Gemellam se nominat, una *Hippo Regius*; altera *Hippo Diarrhytos*, id est irriguus ; prior Colonia ab Antonino Pio in Itin. dicitur *Hippone Regio Colonia* M. P. XXXII. Hanc à Julio deductam indicat nomen *Juliæ :* de ipsa passim dictum est. Victoria globo imposita ab Hipponensibus Gallieno adulantibus signata videtur ob victorias per totum terrarum orbem tum ab eo cùm ab ejus ducibus relatas ; nam, ut sæpius diximus, non modò barbari provincias Romanas ubique depopulabantur, sed plurimi Tyranni Imperatores se tum temporis proclamaverunt.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter elegantiores habendus.



C. G. I. H. P. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Pia.* Arcus triumphalis super quem Imperator in bigis elephantorum, hinc & inde Victoria.

Hippo appellatur Regius, quia Numidiæ Regum sedes erat, ac proinde à Silio lib. 3. dicitur,

Urbs Libyæ antiquis placuit quæ Regibus Hippo.

Urbs nummum Gallieno cum insigni munificentiæ monumento cudit, huic enim arcus erectus videtur ob ejus in cives liberalitatem ; Colonia autem terræ motu eversa erat, si quidem Treb. Pollio in ejus vita plurimos terræ motus in variis locis extitisse narrat, quibus multæ fabricæ absorptæ sunt cum habitatoribus. *Mota est*, inquit, *Roma, mota & Libya ; hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, quum aqua salsa in fossis appareret. Maria etiam multa urbes occuparunt.* Gallienus Hipponensibus haud dubiè subvenit, proinde ipsi non modò arcum in rei memoriam erexere, sed ipsius figuram marmore perenniorem in nummis consignarunt ; arcus quidem temporis injuriâ collapsus est, sed nummi superstites gratos ipsorum animos adhuc testantur. Gallienus supra arcum in bigis elephantorum triumphans conspicitur, in monumentum triumphi quem Romæ solenni cum pompa celebravit, postquam ex Thracia Scythis debellatis victor rediit, ut narrat idem Pollio.

Hic nummus mediocris moduli pro rarissimo & elegantissimo habendus.



C. G. I. H. P. *Colonia Gemella Julia Hipponensis Pia.* Lupa cum puerulis Romulo & Remo.

Frequentes Coloniæ Hipponensis nummi Gallieno dicati beneficium ab hoc Imperatore acceptum denotant, quod nostram de arcu erecto sententiam planè confirmat. Lupa cum puerulis Coloniarum Romanarum symbolum est, quod illæ tanquam ab urbe propagatæ præferebant ad sui originem indicandam: nemo enim nescit Romulum & Remum in Tiberim abjectos fuisse, ipsisque littori redditis, in proxima alluvie repertis Lupam ubera præbuisse; eorum ejusmodi simulacrum Romæ positum anno U. C. 457. ab Ædilibus Curulibus narrat Livius Dec. 1. lib. 10. quod ab hoc tempore pro insigni Romanorum extitit. Vide quæ diximus ad eundem typum in Commodo pag. 215.

Hic nummus minimi moduli inter raros & elegantes reponendus.

THESSALONICA.



ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ϹΕΒ. Caput Gallieni laureatum.

ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤΡ. ΚΟ. Β. ΝΕ. Θεσσαλονίκη Μητρόπολις Κολωνία β.ς Νεωκόρος. Vas seu discus in quo palmæ ramus, in medio vasis scriptum est ΠΥΘΙΑ.

Thessalonica urbs Macedoniæ ad sinum Thermaicum à Cassandro de uxoris Thessalonicæ Alexandri M. sororis nomine appellata est, ut narrat Strabo lib. 7. pag. 330. Μετὰ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν ἡ Θεσσαλονίκη ἐστὶ πόλις, ἣ πρότερον Θέρμη ἐκαλεῖτο, κτίσμα δ' ἐστὶ Κασσάνδρου, ὃ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς ἑαυτοῦ γυναικός, παιδὸς δὲ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου ὠνόμασε. *Thessalonica urbs ad fluv. Axium, priùs Therme, opus Cassandri, cui nomen dedit Thessalonicæ uxoris, Philippi Amyntæ filiæ.* Hæc urbs Metropolis & Coloniæ titulis insignitur, quos in Valeriani nummis ab hoc Imperatore accepisse diximus, propter obsidionem ab ea fortiter latam, teste Zosimo, quod Trebellius Pollio in vita Gallieni confirmare videtur. *Gotthi & Clodius; de quo dictum est superius, occupatis Thraciis Macedoniam vastarunt, Thessalonicam obsederunt.* Sed cùm hæc urbs se in nummis Νεωκόρος inscribit, iis prærogativis gaudebat priùs quàm Metropolis & Colonia constitueretur; si quidem nummi Gordiani Tertii cum epigraphe ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ nos docent Thessalonicenses primùm factos fuisse ab eo Neocoros, cùm vox ΝΕΩΚΟΡΩΝ ante hujus Imperatoris nummos in aliis non occurrat: Thessalonicenses autem Neocoros iterum pronunciatos demonstrant Philippi nummi, in quibus ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Β. ΝΕ. De Pythiis certaminibus in Salonina Aug.

Hic nummus mediæ formæ inter elegantiores numerandus.

TYRUS.



IMP. C. P. LIC. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni radiatum.

COL. TYRO METR. *Colonia Tyros Metropolis.* Astarte tutulata stans dextram imponit trophæo, sinistrâ scipionem, à sinistris Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit, pro pedibus hinc Silenus, inde Conchylium.

Eadem epigraphe, eademque Astarte in templo tetrastylo.

Tyrus urbs Phœniciæ Metropolis & Colonia, Metropolis quidem dignitate ab Hadriano donata, à Sept. autem Severo Colonia facta, Gallieno ut Valeriano patri nummos dedicat, quos Roma Imperatores appellaverat; his verò frequentes nummos Tyrus dedicavit, quod Valerianus in Syria commoraretur ad repellendos Persas in Mesopotamiam irrumpentes. Typum hujus nummi non se satis novisse fatetur Eq. Patinus pag. 299. sed ille Astarten seu Venerem exhibet, hæc Dea est in Phœnicia & provinciis finitimis maximè culta, quæ Hebraicè dicitur *Astoret*, Regum lib. 3. c. 11. v. 5. ubi LXX. Senes vertunt Astarten, cui Hiramum Tyri Regem templum erexisse narrat Josephus contra Ap. lib. 1. Τότε δ' Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρωσεν. *Herculisque & Astartes fana dedicavit.*

dedicavit. Hujus templi figuram tanquam opus celeberrimum Tyrii in hoc nummo repræsentarunt. De Victoria columnæ imposita ut de Sileno ac Conchylio urbis symbolo passim diximus.

Uterque nummus primæ magnitudinis pro raro habendus.



COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Figura virilis nuda extensis ambabus supra triremem, in area Conchylium.

Figura virilis nuda, Hercules est Tyrius supra triremem positus, an tanquam triremium inventor, quas fabricare Tyrios docuisse narrat Nonnus l. 40.

> Δίφρον ἁλὸς σχεδίην πρωτόπλοον, ἣ διὰ πόντου
> Τμεας ὀχλίζεις.
> *Currum maris extemporalem primò navigantem, qui per pontum*
> *Vos moveat.*

An verò ob res ab eo per mare gestas, non modò autem Herculem Tyrium ad Gades pervenisse tradit Clearchus, teste Isaacio Lycophronis interprete, sed & Arrianus quoque affirmat, τὸν Τύριον Ἡρακλέα τοῖς περὶ τὰ Γάδειρα τόποις ἐπιφοιτῆσαι. *Tyrium Herculem ad loca Gadibus vicina accessisse.* Hercules brachia extendit tanquam hinc & inde itinera sua ostendens, vel undique per mare eundum esse docens. Tyrium Herculem Nonnus Astrogitonem appellat; Eusebius Præpar. lib. 1. Phœnicum linguâ dictum fuisse *Melec Cartha*, seu *Regem urbis*. Illum Minoi σύγχρονον facit Suidas: Ἀνεφάνη ἢ ἐπὶ Μίνωος Ἡρακλῆς Τύριος, ὃς εὗρε τὴν βαφὴν τῆς καλουμένης Κογχύλης, ἀπὸ κυνὸς αἱμαχθέντος τὰς σιαγόνας. *Inclaruit Minoe regnante Hercules Tyrius, qui purpuræ tincturam invenit, postquam canis sui maxillas Conchylii sanie infectas observaret.* Ob usum purpuræ inventum Tyrii Conchylium in nummis pro urbis suæ insigni apposuerunt.

Hic nummus majoris formæ inter præstantiores recensendus.



COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Vir nudus brachio strophium gerens, saxo serpentem contra se erectum impetit: in area Conchylium.

Jam prodiit similis in Tyriorum nummis Gordiano tertio dicatis typus, quem ad Cadmum Agenoris Tyri Regis filium, draconem saxo occidentem revocavimus: dubitabamus an non ad Herculem Tyrium spectaret nummus, sed cùm figura illa virilis in utroque nummo strophium circa brachium lævum habeat, & Leonis spolium solemne sit Herculis insigne, pro Cadmo statuimus, teste Nonno, qui Cadmum serpentis caput saxo fregisse affirmat Dionysiac. lib. 4.

> Ἄκρα δρακοντείοιο καρήατος ἔθλασε πέτρῳ.
> *Summitatem draconei capitis fregit saxo.*

Veritas hujus fabulæ sic se habet, teste Palæphato de Fab. narrat. lib. 1. Draco Thebanorum Rex erat, Martis filius, quem Cadmus occidit, ejusque regnum occupavit; indeque finxerunt Cadmum interfecisse serpentem, ut describit Nonnus loco citato. Tyrii verò Cadmi factum ad antiquitatem urbis indicandam, ut Syrii Europam ejus sororem frequenter in nummis suis exhibuerunt: Agenor enim eorum pater Tyri Rex fuit antiquissimus. Vide nummum Aquiliæ Severæ pag. 101, & Gordiani tertii pag. 150.

Hic nummus majoris formæ pro rarissimo numerandus.



COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Arbor inter duos lapides metarum instar.

Hic nummi typus ad Tyri novæ originem spectat, à Palætyro triginta stadiis distantem; hæc ad maris Phœnicii littus, illa in insula condita, quam Alexander M. continenti aggeribus junxit, dum eam expugnavit. Hercules Tyriis ut novam hanc urbem ædificarent auctor fuit, eos naves fabricare docuit, quibus quærerent duas instabiles in mari petras; has Nonnus vocat Ambrosias Dionys. lib. 40.

Ας φύσις Αμβροσίας επεφήμισεν.

Quas natura Ambrosias celebravit.

Id confirmat superior Gordiani nummus p. 151. in quo ΑΜΒΡΟϹΙΕ ΠΕΤΡΕ. Hercules autem monuit Tyrios super eas olivam arborem esse natam.

Οπη φυτὸν ἦεν Αθλώνης.

Ubi arbor erat Minervæ.

Et super arborem Aquilam inventuros, quâ Jovi & Neptuno immolatâ, petras tunc stabiles & immotas fieri, super quas urbs erat ædificanda.

Hic nummus primæ magnitudinis inter elegantiores reponendus.



Capita Valeriani radiati & Gallieni laureati adversa.

TYRVS SEPT. COL. METROPOL. *Tyrus Septimia Colonia Metropolis.* Aliquid agnitu difficile in quadam substructione; hinc & inde lauri ramus.

Insolens hujus nummi licèt detriti typus suasit, ut publicum eum faceremus, donec integrior occurrat: ille porro, si nobis conjecturæ locus, ad certamina Actia & Heraclia Tyri edi solita pertinet; id confirmare videntur duo lauri rami, ut in simili Caracallæ nummo ad hos ludos spectante appositi. Duo autem illi rami duo certamina indicant, quorum laurus victoris insigne est; & quidquid ob detritionem distingui nequit, præmium videtur in loco quidem edito, ut in certaminibus solebat, expositum. Vide aliquid simile in Bostrenis nummis Alex. Severi pag. 114.

Hic nummus integer secundæ formæ pro rarissimo habendus.

VIMINACIUM.



IMP. LICI. GALLIENVS AVG. Caput Gallieni laureatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium.* In imo AN. XIIII. in aliis AN. XV. in aliis AN. XVI. *Anno decimo-quarto.* Mulier stans brachiis infrà extensis, hinc Bos, inde Leo.

Viminacium Mœsiæ superioris urbs in nummis Gallieno annos XIIII. XV. & XVI. Coloniæ fundationis primis tribus annis Imperii Valeriani patris & sui correspondentibus percussit; sed cur ab illo tempore nulli ex ipsa Colonia nummi huic Imperatori signati observantur, cùm ille ad Tribunitiam potestatem usque XVI. pervenerit: si conjecturæ locus, id causæ fuisse videtur, quod Ingenuus qui Pannonias regebat, Imperio dignus à militibus existimatus sit, & ejus tractus Coloniæ tunc Gallieno nummos non cuderent, & præsertim cùm à Legionibus Mœsiacis ille Imperator appellatus fuisset; hunc tandem Gallienus, Fusco & Basso Coss. vicit, & Mœsiacos graviter mulctatus est, teste Treb. Pollione: *In omnes Mœsiacos tam milites quàm cives asperrimè sæviit, nec quemquam suæ crudelitatis exsortem reliquit; usque adeo asper & truculentus, ut plerasque civitates vacuas à virili sexu relinqueret.* Jus etiam cudendæ monetæ Viminacio & aliis hujus tractus urbibus abstulit, quod tandem post ipsum omnibus Coloniis & provinciis, si Ægyptum exceperis, à Claudio vel Aureliano abrogatum est, nulli enim ampliùs Coloniarum nummi, & cum urbium Græcarum nomine occurrunt.

Hi nummi mediæ magnitudinis inter raros recensendi.

CORNELIA SALONINA.





SALONINA Gallieni uxor, in nummis Latinis & Colonicis *Cornelia Salonina Augusta* appellatur, in quibusdam *Salonina Chrysogone Augusta*. *Corneliæ* nomen Romanam gentem indicat, *Chrysogones* appellatio Græcam sonat; ideo hanc Augustam origine Græcam cum Tristano existimamus. Quæ Chrysogone antè dicebatur, Augusta deinde facta, Corneliæ nomen gentis Romanæ accepit; sicut Domna Septimii Severi Imperatoris uxor, Julia appellata est.

SALONINÆ *nummi secundæ & minimæ formæ inter rariores, primæ rarissimi sunt.*

BERYTUS.



CORNELIA SALONINA AVG. Caput Corneliæ Saloninæ.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus* vel *Berytensis*. Mulier tutulata insistit acrostolio, dextrâ baculum in crucem efformatum, lævâ vestem colligit, à sinistris Victoria columnæ imposita coronam ei porrigit.

Berytus urbs & Colonia Phœniciæ littoralis, Gallieno gratulans, Saloninæ ejus uxori nummos suos dedicat; & cùm ista formâ esset egregia, Venerem seu Astarten in aversa parte exhibuit, Romanorum exemplo, in quorum nummis Salonina dicitur VENVS AVGVSTA. VENVS FELIX. VENVS VICTRIX. VENVS GENITRIX. Illa formæ & generationis Dea ab antiquis credita est; ideoque dicta Venus, quòd ad omnes res veniat, vel quòd per eam omnia proveniant. Astarte seu Venus tutulata est in nummo, tanquam tutelare urbis numen, ut sæpius diximus. Insistit acrostolio, quod in aliis manu gerit, ad indicandum Coloniæ ad mare situm. Acrostolia erant extremæ partes navis, quas Latini rostra vocant. Scipio seu sceptrum ejus insigne est. Victoria columnæ imposita ei coronam porrigit, ut illa ipsius simulacro adstabat, in memoriam victoriarum, quas auspice Astarte Phœnices olim retulerant.

Hic nummus secundæ magnitudinis inter rariores numerandus.



COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Caput Astartes tutulatum, medio corpore, hinc & inde Aquila legionaria.

Berytenses iterum in Saloninæ nummis Astarten seu Venerem repræsentant, tanquam ipsa Salonina altera esset Venus, & altera urbis tutelaris Dea. Beroë urbs à Saturno condita est, teste Stephano; Saturnus eam dedit Neptuno, hic verò de nomine Beroës filiæ Veneris, quam uxorem duxit, urbem appellavit Beroën, ideo Nonnus eam nominasse videtur Amorum Portum, quod Venus in eam, uti jam diximus, appulisset.

Ἐςι πόλις Βερόη βιότε τρόπις, ὅρμος ἐρώτων.

Est urbs Beroë vitæ carina, portus amorum.

 Duas

Duas illas Aquilas legionarias ad Coloniæ originem ſpectare quis unquam pronunciaſſet, niſi nummus perrarus noſter Auguſti id nos edocuiſſet. Berytus, Colonia quidem à Julio Cæſare conſtituta eſt, unde ipſi nomen *Juliæ*, ab Auguſto deinde Veteranis frequentata, unde *Auguſtæ* appellatio: ſed nummus emeritos v. Macedonicæ & viii. Auguſtæ Colonos fuiſſe Berytum tranſmiſſos declarat, unde binæ Aquilæ legionariæ in nummo percuſſæ.

Hic nummus minimi moduli inter præſtantiores reponendus.

DIUM.



CORN. SALONINA AVG. Caput Corneliæ Saloninæ.

COL. IVL. DIENSIS. *Colonia Julia Dienſis.* In area D. D. *Decreto Decurionum.* Jupiter ſtans dextrâ pateram, ſiniſtrâ haſtam, pro pedibus prora navis, in aliis Aquila.

Dium, urbs Macedoniæ littoralis ad ſinum Thermaïcum, Saloninæ nummos percuſſit, Gallieno per uxorem Auguſtam gratulans, ut ipſe provinciæ periclitanti ſubvenire vellet: barbari enim eam incurſionibus devaſtabant. Jupiter in averſa parte ut tutelaris urbis Deus exhibetur, quem ſe vidiſſe Alexander hortantem ad Perſarum Imperium occupandum narrat Joſephus l. II. c. 8, pag. 385. Τοῦτον γὰρ καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους εἶδον ἐν τῷ νῦν σχήματι, ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας τυγχάνων. *Hunc enim vidi & in ſomnis hoc ipſo habitu cùm adhuc eſſem in Dio Macedoniæ.* Juxta urbem erat Jovis templum, de quo egimus in Sept. Severo pag. 10. Olympiaco certamine celeberrimum. Magna quidem certamina Olympiaca circa Olympiam Eleæ celebrabantur; minora autem Dio, quæ ab Archelao Macedonum Rege inſtituta nos docet Demoſthenis Scholiaſtes ad Orat. περὶ παραπρεσβείας. Prora navis pro pedibus Jovis, urbis ſitum indicat. Aquila in aliis nummis ſignatur tanquam avis huic Deo peculiariter ſacra.

Hic nummus minimæ formæ pro rariſſimo habendus.

THESSALONICA.



ΚΟΡ. CΑΛΟΝΙΝΑ ΑΥΓΟ. Caput Corneliæ Saloninæ.

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ ΜΗΤΡ. ΚΟ. Β. ΝΕ. Θεσσαλονίκη Μητρόπολις βὶς Νεωκόρος. Vas ex quo palmæ ramus erumpit, in medio vaſis legitur vox ΠΥΘΙΑ.

Theſſalonica urbs Macedoniæ nummos Saloninæ dedicat beneficii memor, quod à Valeriano Gallieni ipſius marito patre acceperat, qui eam Coloniam & Metropolim conſtituerat, ut denotant ſuperiores Theſſalonicenſium in illius honorem dicati cum epigr. ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ ΜΗΤ. ΚΟΛΩ. Θεσσαλονίκη Μητρόπολις Κολωνία, in aliis Coloniæ & Metropolis titulos non adhuc gerit urbs, ſed tantummodo Νεωκόρος dicitur, & quidem bis; primam Neocoriam ſub Gordiano tertio, & ſecundam ſub Philippo illam obtinuiſſe diximus, antequam Metropolis & Colonia à Valeriano Imperatore facta fuiſſet: licèt autem Theſſalonicenſes in hoc Saloninæ nummo certaminum apud ſe ſub Gallieno editorum memoriam denotent, quæ tertiam poſtularent Neocoriam in Græcis urbibus neceſſariam, liceat nobis conjicere Senatuſconſulto non ampliùs opus eſſe ad ludos celebrandos, cùm urbes Coloniæ dignitatem acceperant; ideo vox iſta Νεωκόρος in Coloniarum nummis valde rara, licet frequenter edita ſint in Coloniis certamina. Hic nummus Pythicum agonem Theſſalonicæ celebratum fuiſſe indicat; ille in honorem Apollinis ob Pythonem ſerpentem occiſum inſtitutus eſt: initio coronarius erat, deinde pecuniarius, poſtremò coronarius, ſed primis temporibus ex auro, pomis, eſculo, etiam lauro: Muſicus quidem initio, Equeſtris poſtea & Gymnicus ut alii ſacri agones.

Hic nummus ſecundi moduli, à Triſtano tom. 3. pag. III. *editus, inter rariores numerandus.*

TROAS.



CORN. SALONINA AVG. Caput Corneliæ Saloninæ.
COL. AVG. TRO. *Colonia Augusta Troadensis.* Aquila alis semiexpansis supra cippum.

Troas urbs Phrygiæ minoris, Colonia ab Augusto constituta, *Augustæ* nomen præfert: hæc in nummis Imperatoribus eorumque familiæ percutiendis erat diligentissima, ut immunitates à Claudio sibi concessas conservaret, ideo nummum hunc Saloninæ Gallieni uxori dicavit, ut obsequium suum erga Imperatorem demonstraret; illa Aquilam in nummis suis exhibuit, quæ Imperium Romanum denotat, vel Coloniæ militaris insigne est, vel ad Jovem spectat: Aquila autem cùm Imperium Romanum indicat, nunquam cippo imposita est; quando militaris Coloniæ symbolum est, ipsi semper signum quoddam militare additur: illa igitur ad Jovem potiùs spectare videtur: cippus enim quemdam reverentiæ gradum denotat, Colonia Troas Jovem sub Aquilæ forma forsan venerata est, Dardanii & Ilii proximarum urbium exemplo, quæ eum in nummis Ganymedem hac forma rapientem exhibent: Ganymedes enim Trois Regis filius in Ida monte, à Troia 3. mill. pass. ab Aquila raptus est.

Hic nummus infimæ molis inter elegantiores ascribendus.

TYRUS.



CORNE. SALONINA. AVG. Caput Corneliæ Saloninæ.
COL. TYRO. METRO. *Colonia Tyros Metropolis.* Mercurius stans cum pallio, dextrâ baculum, sinistrâ caduceum, hinc Ibis, inde Conchylium.

Tyrus Phœniciæ Metropolis & Colonia nummos Valeriano in Syria pro bello Persico commoranti percussit, ita & Gallieno ejus filio, Saloninæque hujus uxori, familiæ Augustæ ejusmodi gratulans. Mercurius sui cultum in urbe indicat; is nudus ut solet, aut strophio ornatus non est, sed palliatus tanquam Philosophus, ideo virgam quam radium vocant, dextrâ gerit, ad Geometriæ & Astrologiæ usum. Phœnices & Ægyptii Mercurium tanquam sapientissimum Philosophum venerabantur, illumque Cicero de Nat. Deor. lib. 3. Ægyptiis leges & litteras tradidisse commemorat. Ipse Ægyptiis Thoth vel Theuth dicitur, Phœnicibus Thautus. Mercurius caduceum tanquam insigne gerit. Ibis pro ejus pedibus apposita est, quòd hæc avis ipsi sacra sit, teste Platone in Phædro, quo loco Socrates loquitur. *Audivi equidem*, inquit, *circa Naucratem Ægypti priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit avis, quam Ibim vocant, Deo autem ipsi nomen Theuth.* Cur Ibis Mercurio tribuatur, in Valeriano diximus, quod Diis à gigante Typhone in Ægypto perterritis, ille in hanc avem mutatus sit. Conchylium Tyri perpetuum est symbolum.

Hic nummus primæ magnitudinis inter rariores & elegantiores numerandus.



CORN. SALONINA. AVG. Caput Corneliæ Saloninæ.
COL. TYRVS METRO. *Colonia Tyrus Metropolis.* Tripus, in area Conchylium.

Tripus

Tripus in Tyri nummis ad Apollinem ſpectat, is unus ex tutelaribus urbis numinibus erat, nam cùm Alexander M. Tyrum obſideret, narrat Plutarchus in ejus vita plurimos Tyrios in ſomniis Apollinem vidiſſe ad Alexandrum ſe tranſiturum dicentem, cum ſibi cordi non eſſe ea quæ in urbe agerentur : itaque illi ſicut transfugæ ſceleris comperti Apollinis ſimulacrum devinxere catenis, clavíſque baſi affixere, Alexandri fautorem appellantes, ſed Tyro captâ Alexander ei catenas detraxit, & Philalexandrum vocari juſſit. Tripus autem Apollini tanquam Vati tribuitur. Apollo etiam pro Citharœdo accipitur, & tunc lyram gerit; modò pro Jaculatore & Sagittario, & arcum tenet, ſed Tripus à machina illa terræ impoſita, unde oracula petebantur, quæ tribus fulcris ſuſtinebatur, nomen accepit; vide Diod. Siculum lib. 16. pag. 524. Εἶναι δὲ τὴν μηχανὴν τρεῖς ἔχουσαν βάσεις, ἀφ' ὧν αὐτὴν Τρίποδα κληθῆναι. *Machinæ tres erant baſes, unde Tripodi illi nomen obvenit.* Conchylium ſolenne eſt Tyri inſigne.

Hic nummus ſecundæ & minimæ formæ pro raro & inſigni habendus.



COL. TYRO. METR. ACTIA. ERACL. *Colonia Tyros Metropolis Actia Heraclia.* Menſa ſupra quam duo vaſa ſeu diſci cum palmis, ſub menſa Conchylium.

Tyrus certaminum Actiorum & Heracliorum celebrationem ſub Gallieno editam in nummis Saloninæ ejus uxoris conſignavit, illa in Apollinis, hæc in Herculis tutelarium urbis numinum honorem inſtituta ſunt, de quibus fusè in Caracalla p. 49. & Otacilia fol. 183. diximus. Apollinem autem & Herculem Deos Tyrii tutelares fuiſſe docent Diodorus & Plutarchus in vita Alexandri Magni. Duo hæc certamina duobus vaſis indicantur, quæ menſæ impoſita ſunt, adinſtar illius, ſuper qua in ludis Olympicis victoribus coronas fuiſſe depoſitas narrat Pauſanias lib. 5. p. 315. quam ex ebore & auro fabricata in ipſo tradit. Η τράπεζα δὲ ἐλέφαντος μὲν πεποίηται καὶ χρυσοῦ. *Menſa ipſa partim ex ebore, partim ex auro fabricata eſt.* Menſa in medio ſtadii victoriæ præmia aſſervabat, in hac duo diſci ſeu vaſa palmæ ramum exhibent victoris inſigne : palma enim præter præmium & coronam pro quolibet certamine diverſam Hieronicæ ſeu ludorum victori concedebatur. Conchylium perpetuum Tyri urbis ſymbolum.

Hic nummus ſecundi moduli inter præſtantiores computandus.



INDEX

INDEX
AUCTORUM VETERUM.

ÆLIANUS, 4. 26. 97
Acta Conciliorum, 133. 187
Albricus, 203.
Ammianus Marcellinus, 6. 20. 81. 114. 115. 123. 133. 149. 192. 193. 194. 197. 198. 201. 206. 209.
Antonini Pii Itinerarium, 167. 186. 241
Apollodorus, 76. 125. 168
Appianus, 15. 25. 47. 149. 157. 167. 225
Apuleius, 56. 91
Aratus, 44. 136. 169. 222
Aristophanes, 77
Aristoteles, 72
Arrianus, 243
Artemidorus, 100
Asconius Pædianus, 182
Athenæus, 6. 20. 47. 60. 64. 90. 101. 119. 123. 163. 180. 223.
D. Augustinus, 139. 164
Aurelius Victor, 33. 41. 166.
Aurelius Victor Schotti, 136. 158. 170. 181. 185. 193. 207. 209. 228.
Ausonius, 99
Caius J.C. 16. 46
Callimachus, 184
Cantacuzenus, 66
Capitolinus, 18. 59. 64. 65. 94. 133. 135. 136. 138. 144. 145. 146. 148. 152. 153. 154. 155.
Catullus, 26
Chronicon Alexandrinum, 12. 37
Cicero, 4. 8. 12. 19. 48. 56. 87. 91. 151. 168. 174. 181. 182. 217.
Clemens Alexandrinus, 8. 89. 196
Codex Justinianeus, 164
Coluthus, 216
Curtius, 48. 68. 125. 183
D. Cyprianus, 197
D. Cyrillus, 19
Didymus in Homerum, 79
Digesta Juris Civilis, 91
Dio Cassius, 4. 21. 23. 25. 27. 28. 32. 33. 34. 41. 49. 51. 54. 58. 60. 63. 67. 69. 71. 72. 73. 74. 82. 86. 87. 91. 92. 96. 99. 103. 111. 114. 115. 153. 172. 175. 179. 188. 191. 197. 199. 206. 218.
Dio Chrysostomus, 192
Dionysius Periegetes, 6. 59. 125. 193. 196
Diodorus Siculus, 10. 11. 37. 48. 68. 78. 88. 121. 132. 138. 155. 235. 248.
Esaias Propheta, 19. 48. 86. 107
Eusebii Chronicon, 8. 35. 39. 48. 192
Eusebii Præp. Evang. 25. 28. 48. 140. 143. 150. 155
Eustathius in Dionys. Perieget. 8. 25. 27. 59. 181. 193. 196. 209.
Euthymius, 97
Eutropius, 35. 122. 181. 197. 209
Fasti Capitolini, 6
Festus Avienus, 36
Florus, 132. 208
Frontinus,
Fulgentius, 82. 84. 199. 216
Gellius, 202. 207
Genesis, 86. 189.
Geographus incertus Gothofredi, 12. 38. 167. 235
Herodianus, 5. 16. 20. 24. 28. 31. 33. 36. 39. 40. 41. 45. 46. 52. 67. 78. 81. 84. 87. 91. 92. 96. 97. 103. 107. 109. 110. 111. 114. 116. 118. 120. 121. 122. 123. 125. 128. 133. 135. 136. 184.
Herodotus, 68. 143
Hesychius, 44. 65. 86
D. Hieronymus, 101
Homerus, 43. 44. 48. 106. 149
Horatius, 79. 97. 109. 166
Hyginus, 44. 74. 89. 134. 151. 167
Joannes Antiochenus, 15. 46. 193
Josephus, 15. 22. 29. 60. 63. 68. 70. 77. 92. 94. 95. 97. 101. 162. 163. 168. 171. 174. 180. 183. 195. 196. 204. 215. 216. 217. 222. 223. 242. 246.
Isacius Lycophronis interpres, 243
D. Isidorus, 35
Judicum Liber, 123
Julianus Apostata, 5. 14. 81. 84. 105. 127. 157. 161. 215.
Julius Cæsar, 218
Julius Maternus, 114. 215
Justinus, 163. 175.
Juvenalis, 52
Lactantius, 26. 52. 203. 222
Lampridius, 62. 69. 70. 71. 73. 79. 82. 108. 112. 113. 114. 117. 122. 124. 127. 128. 129. 130. 170. 177.
Libanius, 39
Livius, 4. 7. 10. 37. 40. 45. 67. 112. 147. 172. 181
Lucanus, 47. 68. 83. 114. 131
D. Lucas, 41
Lucianus, 19. 64. 65. 86. 87. 89. 97. 139. 181.
Lucretius, 132
Macchabæorum scriptor, 184
Macrobius, 14. 35. 37. 38. 48. 50. 55. 57. 72. 97. 125. 130. 150. 166. 194. 230. 235.
Marmora antiqua, 172
Martialis, 76
Maximus Tyrius, 126
Mela, 6. 88. 95.
Metaphrastes, 36
Minucius Felix, 131
Moschus Sidonius, 125
Musæus, 76
Nicolaus Damascenus, 163. 183
Nonni Dionysiaca, 28. 47. 68. 75. 77. 93. 95. 102. 104. 123. 129. 134. 140. 141. 142. 150. 171. 174. 183. 217. 218. 229. 234. 236. 239. 244. 245.
Notitiæ Episc. Græcorum, 179
Oppianus, 77. 147
Ovidius, 9. 22. 31. 33. 54. 75. 82. 89. 100. 175. 183. 222.
Palæphatus, 75. 124
D. Paulinus, 153
Paulus J.C. 11. 16. 20. 24. 39. 46. 50. 74. 165. 168. 173. 192.
Pausanias, 8. 9. 10. 11. 13. 14. 19. 26. 31. 32. 38. 40. 42. 52. 54. 59. 65. 77. 82. 83. 84. 95. 119. 126. 147. 167. 181. 217. 232. 248.
Persius, 118
Philo, 88
Philostrates, 216
Phlegon Trallianus, 94
Phornutus, 65. 117. 123. 125. 126. 132. 203.
Photius, 115. 130
Plato, 247
Plinius, 27. 44. 46. 56. 65. 85. 92. 120. 133. 141. 155. 174. 201. 232. 238.
Plinius Jun. 27. 37. 38. 47. 90. 145. 167

Plutarchus, 14. 18. 19. 27. 44. 49. 83. 87. 96. 110. 117. 119. 121. 140. 143. 161. 163. 186. 194. 196. 218. 233. 234. 248.
Polybius, 11. 43. 127. 164
Pollux, 20. 90. 225. 232
Pomponius Festus, 5. 90
Pomponius Lætus, 191. 197. 212. 213. 221. 224
Porphyrius, 24. 158. 206
Procopius, 19. 80. 92
Propertius, 215
Prudentius, 5
Ptolemæus, 42. 100. 115. 133. 148. 202. 220
Regum liber, 18. 151. 162. 242
Rufus Sextus, 35. 41. 121
Sallustius, 38. 101
Sanchoniaton, 28. 87. 140. 143. 152. 155
Scholiastes Arati, 203
Scholiastes Demosthenis, 10. 246
Scholiastes Pindari, 55. 184
Scholiastes Theocriti, 104
Scylax, 6. 151
Servius, 55. 60
Silius Italicus, 9. 14. 93
Smyrnæus, 122
Solinus, 93. 167. 187
Sophocles, 110
Spartianus, 6. 7. 13. 16. 17. 24. 31. 32. 34. 40. 55. 66. 169. 198.
Statius, 38
Stephanus Byzantius, 8. 10. 15. 28. 38. 43. 123. 146. 156. 169. 182. 198. 199. 213.
Strabo, 4. 7. 14. 17. 21. 23. 25. 26. 32. 40. 42. 44. 45. 51. 57. 59. 65. 68. 72. 79. 85. 86. 91. 92. 95. 110. 118. 120. 125. 132. 139. 144. 146. 156. 157. 162. 165. 168. 178. 180. 187. 202. 222. 224. 232. 233. 242.
Suetonius, 56. 88. 105. 181. 221
Suidas, 23. 41. 63. 65. 72. 151. 161. 243
Tacitus, 28. 42. 45. 98. 116. 132. 149. 194
Tertullianus, 37. 170
Theophilus, 97. 107
Theophrastus, 19
Tibullus, 68
Trebellius Pollio, 232. 238. 241. 242. 244.
Trogus, 97. 107. 157
Tryphiodorus, 125
Valerius Maximus, 22
Varro, 101. 139
Virgilius, 11. 14. 23. 26. 34. 54. 65. 67. 83. 89. 126. 174. 183. 218. 222.
Vitruvius, 56. 175
Ulpianus, 12. 14. 16. 39. 58. 60. 81. 160. 165. 173. 215. 218.
Vopiscus, 36. 98. 215
Xiphilinus, 5. 7. 31. 45. 85. 98. 119. 208
Zosimus, 53. 159. 160. 161. 172. 173. 193. 196. 197. 212. 217. 220. 226. 227. 233. 239.
Zonaras, 107. 172. 182. 185. 188. 190

INDEX AUCTORUM RECENTIORUM.

ANGELONUS, 140
Ant. Augustinus, 131. 185
Baudrandus, 59
Benjamin Thudelensis, 22. 162. 169. 171. 180
Bellorius, 235
Bochartus, 19. 87. 89. 92. 93. 97. 101. 143. 167. 198.
P. Chamillard, 5
Cuperus, 12
Erizzus, 70. 115. 141. 143. 230. 236. 239. 240
Etymologicum Magnum, 183
P. Faber, 82. 215
Falconerius, 17
Goltzius, 67. 99. 120. 121. 147. 152. 176. 191
Gottifredus, 99
Gruterus, 20. 31. 60. 68. 81. 88. 95. 106. 167. 200. 226. 228.
P. Harduinus, 4. 10. 12. 23. 29. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 45. 47. 51. 58. 61. 64. 66. 67. 70. 71. 72. 78. 81. 115. 117. 120. 123. 126. 141. 145. 148. 149. 152. 158. 159. 160. 167. 169. 171. 179. 184. 186. 191. 198. 201. 204. 212. 214. 215. 222. 224. 230. 240.
Holstenius, 12. 18. 37. 44. 64. 87. 115. 186. 192
Lævinus Hulsius, 239
Lilius Giraldus, 60. 71. 85. 100
Mediobarbus, 4. 6. 12. 23. 64. 70. 141. 145. 163. 166. 167. 169. 178. 184. 190. 197. 214. 215. 220. 222. 224. 225. 229. 230. 235. 239. 240.
P. du Molinet, 159
Morellius, 91. 94
P. Norisius, 176. 197
Occo, 99. 120. 141. 220. 224
Octavianus Strada, 190. 224
Oiselius, 70
Onuphrius, 11. 51. 110
Patinus, 4. 12. 15. 23. 26. 36. 38. 42. 43. 58. 61. 62. 63. 64. 70. 74. 83. 102. 103. 114. 115. 120. 123. 126. 145. 153. 158. 160. 163. 168. 177. 178. 179. 182. 192. 197. 198. 205. 210. 212. 214. 228. 229. 240. 242.
Petavius, 73
Pinedo, 180
Ricquius, 70
Scaliger, 16. 24. 73. 97
Seguinus, 124. 148. 150. 169. 190
P. Servius, 177
Simsonius, 8
Spanhemius, 23. 24. 35. 36. 40. 44. 50. 54. 67. 81. 90. 120. 126. 147. 159. 172. 186. 191. 204.
Sponius, 16. 37. 49. 61. 155
Tristanus, 11. 13. 23. 25. 29. 35. 36. 39. 44. 50. 66. 67. 73. 93. 102. 103. 112. 115. 120. 130. 136. 151. 152. 156. 177. 198. 204. 206. 221. 231. 232. 240. 245.
Vaillant, 15. 57. 73. 89. 96. 129. 163. 190
Vossius, 85
Ursatus, 142
Zamosius, 196

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A

Abdastartus Tyri Rex, Bele Astartes filius, 60
Abgarus Osrhoenorum Rex Sept. Severo Sagittarios pro bello Parthico suppeditavit, 34
Abgarus ejus F. copias cum Gordiano III. in bello Persico conjunxit. 156
Abibalus Tyriorum Rex, Hirami pater, 94
Abraham prope Neapolim Samariæ habitavit, 189
Achab Israëlitarum Rex, 21
Achelous ab Hercule victus & occisus, 241
Acrocorinthus Corinthi arx, 10
Acrostolium, hoc est navis rostrum, 245
quid in nummis indicat. 18
Actia certamina in Apollinis honorem instituta, 49. Tyri celebrata sub Caracalla, 48. Gordiano III. 151. Philippo, 175. Otacilia, 183. Treb. Gallo, 225. Gallieno, 175. Salonina, 246
Actiaca pugna ubi commissa. 49
Adadus Rex Damasci, 162
Admetus Thessaliæ Rex, 121. 147
Adonidis planctus, 19
Adonis fluvius juxta Byblum urbem, 70
Adrumetum urbs à Phœnicibus condita, 38
Ægyptii Nilum ut Jovem coluerunt, 14
Solem & Lunam Deos putarunt, 129
Deos non pecudibus & sanguine, sed precibus & thure solo placare solebant, 194
Ægyptus Macrini partibus adhæsit, 63
nullam accepit post Jul. Cæsarem sub Imperatoribus Coloniam, 12
Ælia Capitolina ab Hadriano funditus eversa, 191
ab eodem restaurata & Colonia deducta, 1
unde ipsi Capitolinæ nomen, 191
Commodiana à Commodo deinde dicta, 1. 208
nummos percussit Sept. Severo, 1. Diadumeniano, 69. Elagabalo, 73. Trajano Decio, 191. Q. Herennio, 205. Hostiliano, 208
Æmilianus in Mœsia Imperator contra Gallum appellatus, 228
à Senatu confirmatus, 227
Marci & non Caii prænomen tulit, ibid.
Æmiliæ & non Juliæ gentis erat, 228
post tres menses morbo extinctus, aut à suis interemptus est, 227
Æneas gentis Romanæ princeps habitus, 47
cùm caput velo obduxisset; inde mox sacra faciendi, 13
Æra in plurimis Coloniarum nummis signata, in Antiochensibus Syriæ Alex. Severi, 113. 185. Cæsariensibus Palæstinæ Caracallæ aut Elagabali, 29
Dacia Provincia in Philippi Sev. 160. Otaciliæ, 178. Philippi Jun. 187. Decii, 196. Q. Herennii, 206. Hostiliani, 209. Galli, 213. Æmiliani, 227. Gallieni, 242
Emisenis, Juliæ Domnæ, 19. Caracallæ, 35
Ptolemaidensibus, Elagabali, 85
Rhesainesiis Decii, 197. Etruscillæ, 203. Q. Herennii, 206
Sinopensibus Caracallæ, 42. Gordiani Pii, 149
Viminaciis Gordiani Pii, 152. Philippi Sen. 175. Otaciliæ, 184. Philippi Jun. 189. Decii, 185. Etruscillæ, 204. Q. Herennii, 207. Hostiliani, 210. Treb. Galli, 219. Volusiani, 226. Æmiliano, 228. Valeriano, 337. Gallieno, 244
Æsculapius Apollinis ex Coronide Nympha F. 80
à patre Medicinam edoctus, 164
à Jove Plutonis precibus fulmine percussus, 80
curin deorum numerum relatus, 116
signatus in nummis Deulti Gordiani Pii, 144
& Philippi Senioris, 116
Damasci in Valeriano, 230
Diensis Coloniæ in Elagabalo, 80
Neapolis in Philippo Sen. 170
Agamemnon Dianæ cervum imprudens occidit, 55
Agenor Tyriorum Rex, 8. 48
Cadmi & Europæ pater, 89
Aglæa una ex Gratiis, Venustas dicta, 118
Agon Capitolinus à Nerone Romæ institutus, 10. Musicus initio tantum, 82
Agonalia certamina sub Sept. Severo Romæ edita, 56
Agonotheta ludorum sacerdos, 90
M. Agrippa Veteranos Berytum Colonos traduxit, 165
Agrippa Posthumus in nummis Corinthi, 248
Cæsar & adoptatus ab avo Augusto, ibid.
in Planasiam insulam relegatus, Tiberii jussu post mortem Augusti occisus est, ibid.
Agrippa Rex Judææ Berytum exornavit, 63
Alcibiades quid Patrensibus persuasit, 14
Alexander Severus in templo Alexandri M. natus, 112
Alexianus à parentibus appellatus, ibid.
Ex urbe Emisa oriundus, 120
ab Elagabalo Imperatore adoptatus, 128
juvenis admodum Rom. Imperii gubernacula suscepit, 121
cognomen Severi in memoriam avi assumpsit, Antoninus enim appellari noluerat, ibid.
bellum contra Parthos gesturus in Illyriam venit, ibid.
Troadem sacrificaturus ascendit, 125
Artaxerxi Persarum Regi bellum intulit, 116
Antiochiam Syriæ profectus est, 114
Mesopotamiam recuperavit Persis, 116
ob æstuosos ipsius regionis calores ægrotavit, ibid.
è Persis victor Antiochiam rediit, 124
de Persarum præda ditavit exercitum, 122
adversus Germanos bello Parthico confecto progressus est, 120
Coloniam Bostrenam deduxit, 112
urbium vectigalia ad fabricas earum resarciendas concessit, Dominum se appellari vetuit, 117. 170
cunctis hominibus amabilis, 112
venatione delectabatur, 131
Syrus dici nolebat, 113
omnia matris consilio administrabat, 130
unice in matrem pius, 131
in sacrario Alexandrum M. inter divos & optimos consecravit, 125
plurimos Alexandri M. habitu nummos cudi curavit, 132
ejus erga Trajanum studium, 115
Alexander M. ad bellum Persicum à Jove excitatus, 233
à pugna ad Granicum Troadem ascendit, 92
Tyrum obsedit & cepit, 248
Alexandria in nummis eadem quæ Troas, 100
Alexandria urbs Ægypti maritima, 19. 70
Alisarna urbs Troadis, 18
Amana fluvius ex Hermone monte oriens Damascum præterfluit, 163
Amastris urbs Paphlagoniæ, 230
Amazon Delphinum inequitans in Jul. Domna, 17
Ambrosiæ petræ ad Tyri originem, 48. 102
hæ petræ & oliva arbor in Aquil. Severa, 102. Gordiano Pio, 151. Valeriano, 236. Gallieno, 244
Amici quales esse debeant, 118

Amida urbs Mesopotamiæ in nummis non occurrit, 120
Amisus urbs Ponti, 230
Amoris festa à Thespiensibus celebrata, 119
Ampsaga fluvius Numidiæ, 30
Amulius Numitoris frater, 47
Romulum & Remum nepotes exponi jussit, 140
Anchialus urbs Ponti littoralis, 133
Ancyra urbs & Metropolis Galatiæ, 94
Angelo Jovis & Junonis filia, 104
Angerona Silentii dea, 48
Annus variis temporibus apud populos incœptus, 74
Romanus ex decem mensibus compositus à Martio inchoabatur, 163
Annia Faustina tertia Elagabali uxor, 103
ad Commodum genus suum referebat, *ibid.*
eximia fuit forma prædita, *ibid.*
tanquam altera Venus à Sidoniis habita, 105
Anniversaria Adonidis quando celebranda, 70
Astartes pompa, 87
Dianæ Laphriæ, 84
Annona Commodo Athletis concessa, 37
Anthemusia urbs Mesopotamiæ, 110
Antigonus unus ex Alexandri M. ducibus, 92
Antiochia urbs multiplex, 25
sexdecim in patris memoriam à Seleuco conditæ, 25
duæ tantum ex iis Coloniæ fuerunt, Pisidica & Syriaca, 26
quomodo hæ inter se in nummis distinctæ, 74
Antiochia urbs Pisidiæ in colle sita non longè à Mæandro, 5
ab Augusto deducta, & Cæsarea appellata, 17. 69
juris Italici facta, 74. 192
Latinè nummos inscripsit, 26
nummos percussit Sept. Severo, 2. Jul. Domnæ, 17, Caracallæ, 25. Getæ, 53. Alex. Severo, 112. Gordiano Pio, 138. Decio, 191
Antiochia urbs Syriæ ad Orontem, 24
